BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE


T.
PFANERI
HISTORIÆ
PACIS
WEST
PHALICÆ
BEATIORIS
SECULI ORTUS
MONASTERIUM
OSNABRUGA
DEVS NOBIS HAEC OTIA FECIT

T. PFANNERI
HISTORIA PACIS WESTPHALICÆ.

Editio Tertia

Prioribus emendatior atque aliquantum auctior, eâ præſertim parte,

BLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

quâ de novo

ELECTORATU

conſtituendo agitur,

pro

Præſenti temporum Statu cognitu maxim[e] utilis, imò neceſſaria.

GOTHÆ,
Sumptibus Hæredum AUGUSTI BOËTII.

TYPIS CHRISTOPHORI REYHERI.
cIↄ Iↄc XCVII.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NObiliſſimum opus, ſi materiam ſpectes, exhibiturus, aliqva præfari, ut plerisqve ſolitum, ita nec mihi omittendum duxi, aut favorem forſan ignoto quamvis Scriptori conciliatura, aut amolitura invidiam.

Tam illuſtre negotium, & ne vel dignisſimis viris pudendum, aggrediundi mihi animum occaſio ſuggesſit, pari in bonum malumque facilitate & fures facere, atqve honeſtis actionibus locum aperire ſolita. Nonus jam annus agitur, ex qvo ſacris ſcriniis (qvo loco, Tua nihil intereſt,) tum o-

peranti Commentarii obvenere (*Acta* communiori nomine appellamus,) Tractationis Weſtphalicæ ſeriem, conditionem, ſataque complexi. Illico ſubiit cupido, ampliſſima volumina in Hiſtoriæ compendium Latino ſermone redigere, exercendis ſimul tentandisq; viribus, tantone oneri ferendo ſufficerent, & ſi fortuna conſilio annueret, juvandis ſaltem iſtis, quos talium uſu atq; cognitione pervicax ſcriniorum cuſtodia abſtinet. Impulere ſponte currentem HERMANNI CONRINGII, & JO. HENRICI BOECLERI, litteratiſſimorum hominū vota, hiantem Germanici Status notitiam hac quoq; parte ſuppleri optantiū. Qvanqvam enim

H. Conring. Proleg. Animadverſ. ad SScr. Jac. Lamp. de Rep. Rom. Germ. Boecler. Diſſert. Acad.

nim menſuram tanti deſiderii me expleviſſe adeò non aſſerere velim, ut conſtanter potiùs ingenueq; ipſe negem, juvit tamen juvabitqve, tantos monitores indicesq; ſi non aſſeqvutum, ſecutum tamen fuiſſe. Et verò qvanqvam optandum fuerat, ut iſtis, quibus uti contigit, etiam alia adminicula acceſſiſſent, neceſſaria ei, qui tanta negotia, per tot annos à ſummis viris tractata, poſteritati ex dignitate exponere velit, non tamen adeo difficilem quenquam futurum puto, ut, ni univerſis potiri detur, omnia abnuat. Res equidem maximæ Monaſterl, inter Cæſareos maximè Regiosq;, tractabantur, à quibus juxta cum pluribꝰ aliis, Oſnabru-

de Compar. Actor. & Hiſtor. ſub fin.

genſi Tractationi deſtinatis, noſtrum quoqve, cujus narrationibus potiſſimum nitimur, ut loco, ita conſcientia arcanorum remotuum forte fuiſſe, haud inficias eam. At, Germano ſaltem, ſpero ſuffecerit, ea curatius noſſe, quæ Oſnabrugæ inter Germaniæ utriusque religionis Cives non minori contentione agitata propius ad Rempublicam pertinent; quamvis non adeò incommodè nobiſcum actum ſit, ut noſtræ tantum glebæ adſcriptos omniũ rerum cum exteris actarum ignorantia teneat. Certè cum Svecis Oſnabrugæ de ipſorum pariter emolumentis ac noſtrorum diſſidiis tractatum, agitatum conventumqve atque his

com-

commoda tranſactione pacatis, Gallorum qvoqve negotia eò pertracta fuiſſe, ſi non aliunde, ex noſtra Hiſtoria conſtat. Multum eqvidem, fateor, intereſt, quibus quis non naturæ tantum, ingenii, induſtriæ, ſed & monumentorum præſertim documentorumqve ſubſidiis ſcribere aggrediatur, atq; hinc impar, uti Librorum, ita auctorum fatum, laus atqve exiſtimatio. At non ideo omni gratia excidet, cui minor copia, qvod inſigniorem ineant, qui majoribus inſtructi ornatiqve publicam rem ampliori cenſu promovent. Liberalius adductiusve ut aliis in rebus, ita hic qvoqve fortuna homines habere aſſvevit, nulli tamen ita pro-

 pitia,

pitia, ut uni omnium quacunq; in materie, ſcrinia, tabularia, arcanorum denique adyta pateant, ut adeo cuncta adſpernari neceſſum ſit, cui niſi numeris omnibus abſolutum perfectumq; placere non poſſit. Aliter quidem de hac ipſa, qvam offerimus, Hiſtoria viſum viris, nominis æqve celebritate ac dignitatum ſplendore illuſtribus, qui qualemcunqve operam noſtram approbare laudareq; non contenti, etiam religionem injecere, criminis in publicum bonum arguentes, ſi *rem poſteritati adeo neceſſariam* (Celeberrimi Viri verba recenſeo) *noſtræq; ætati utiliſſimam* ſeculo invidere perſiſterem. Et verò vel hiſce ſolùm induſtriam meam

pro-

probatam eſſe, ſatisfuerit homini, ceteros omnes latére cupienti. Iis tamen & alios acceſſuros non deſperandum puto. Cunctis enim placere, etiam nomen profeſſo neque animus neq; votum foret. At verò illud diſſimulare nolumus, primùm laboris hujus ſubeundi viam exemplumq; illuſtriſſimum Comitem, GALEATIUM GUALDUM, Italum, præiviſſe, conſcriptâ, vernaculâ quidem lingvâ, DE PACE INTER GALLIARUM HISPANIARUMQVE REGES AD PYRÆNEOS MONTES HISTORIA, quam poſt P. AXENIUS Latii Jure donavit. Qvo quidem duce ut dignatione, rerum uſu, atqve prudentiâ nimium qvàm inferioribus, ita la-

tiorem campum materiemque nobis obveniſſe, facile deprehendet, ſi cui noſtra cum Gualdi ſcriptura contendere lubuerit. Ceterum, iſtud teſtari audeo, me rerum geſtarum fidem anxiâ diligentiâ ſecutum, nunqvam (ſponte ſaltem) à vero deflexiſſe, non ignarum, primam Hiſtoriæ legem eſſe, mendacio abſtinere, atqve incorruptam fidem profeſſo nec amore qvenqvam, & ſine odio dicendum eſſe. At verò partium litigantium ſtudia, contentionem, fervoremqve calamo ita ſequi, ut in partes transgreſſus ipſe videare, adeo non Hiſtorici officio adverſum cenſuimus, ut proximam à veritate ejus laudem exiſtimemus, cuncto-

rum

rùm affectus ita exprimere, ut ipſe induiſſē credi queas. Notum eſt, quibus animorum motibus, qvo ardore, atque ubi is longius provectus fuerit, quibus ſæpe conviciis probriſque certetur; quanta contendentium induſtria, qui labor, invidiam in adverſarios transferre, qua ipſe urgearis, cauſæque æquitatem ceteris oſtentare, cujus non validius argumentum, quàm ab adverſæ partis vi, fraude atque injuriis. Talia ſive vera, ſive mutuo odio invicem jactari ſolita recenſere, adeò non à munere Hiſtorici alienum, ut jacêre potius languereque ſcriptio videatur, niſi iſto velut vitali ſpiritu animetur. Neque affectuum intemperiem Scriptori

ptori jure imputes, ſi acerbè ab a-
liis dicta pari verborũ acrimoniâ
extulerit. Iſtud cavimus, ne u-
ni partium moleſta inſenſaq; me-
morantes ea diſſimularemus,
quæ alteri injucunda forent;
haud neſcii, id noſtri hîc muneris
eſſe, medias velut partes agere, ni-
hil odio cujusquam confingere,
nihil in alterius gratiam præterire.
Hiſtor. Gall. Lib. II. p. 171. Sic *in utramque partem* (ut hæc
GRAMMONDI verba uſurpem)
*dicta aut ſcripta dum refero, in
neutrum feror*. QVanquam, ut
verum fatear, Juris noſtri non a-
deò immemores egerimus, ut
non ſentire, quæ vellemus, & quæ
ſentiebamus, dicere auſi ſimus, ju-
dicii quidem (ſi quid nobis fuit)
ſinceritatem, non factionum fa-

vo-

vorem ſeqvuti, alieniſſimi ab iis, quibus ſolo amicitiæ odiive reſpectu omnia partis ſuæ juſta atq; injuſta laudare mos eſt, tanquam, cunctis rite atque ex ordine geſtis peccandi ſortem effugiſſent, quibus ipſi favent, adverſarii non niſi iniqua agere didiciſſent. Atq; hîc eorum iras invidiamque deprecari lubet, qui ſive Hiſtoriæ legum ignari, ſeu oſtentanto in dominos, aut quibus ſive publico ſeu privato ſtudio favent, affectui, quæcunque in hos minus ſvaviter dicta, in injuriam crimenque accipiunt, familiari ferè jam Germaniæ noſtræ malo, libertatis uſum non aliis parcius, quam quibus maximè debebatur, permittere. Certè minori aliquando

do periculo etiam adverſus ſequiores Principes peccatum, apud quos facta arguebantur, dicta impune erant. Atque ut priſca omittamus, quam libere noſtro adhuc, & quæ id proximè præceſſerunt, ſeculis GABR. BARTHOLMAEUS GRAMMONDUS, JA. AUGUSTUS THUANUS, GALLI, ATQVE FR. GVICCIARDINUS, Italus, ſuorum quoque Regum, Principum, ipſorumque Pontificum, res geſtas, facinora, ingenia, moresque deſcripſerint, norunt, qui legêre. Certè Gvicciardinum, quanquam Romanæ Aulæ miniſterio obſtrictum, æquali in Pontifices aliosque licentiâ uſum, non ſine admiratione deprehendere licet, *ſeveriſſimi*

ideo Cenſoris ſummorum virorum, & inprimis Pontificum, ſive notam, ſive elogium à SFORZA PALLAVICINO, Romanæ Curiæ Purpurato, meritò. Neq; id, qvod ſciam, cuiqvam illorum fraudi, apud plerosqve laudi & gloriæ fuit. Nec igitur reprehendendus in noſtris candor, quem in exteris ſuo pretio æſtimamus. Et vero dabunt, ſpero, etiam auſteriores poſteritati, ut ſive grata ipſis ſeu moleſta reſcire permittant, cui plurimum ex rerum ante actarum notitia deperire neceſſum eſt, ſi prava atq; iniqva ſileantur, ut qvæ corrupto in omne nefas ſeculo, potiſſimā jam actionum humanarum partem conficiunt. Et ſi omnino veritati odia

Hiſtor. Concil. Trident. Lib. I. c. 1. §. 5.

parere ſuo magis fato quàm vitio ſolitæ nō ſuccenſere grave videatur, ita ſaltem iræ ultioniq; conſulent, ne dum moleſtiam facere ſatagunt, ſcripto auctoritatem, Auctori gloriā inviti concilient, ſuas inter latebras deliteſcenti lucem ipſi ſplendoremq; allaturi, quem nobiliori vindictæ genere, contemptu ulciſci, perpetuisque tenebris damnare liceret. Non exiguam certè apud Bibliopolas gratiam inibunt, libros non carios vendere ſvetos, quàm qvibus ex interdicto pretium eſt; periculum, quæ hominum ſolertia eſt, in occaſionem lucri vertentes. Ceterum ſi quæ non eleganter ſatis, concinnè atquè perſpicuè dicta ſcriptave, hîc excu-

ſare

ſare nolumus; ejus id foret, cui ex labore gloria quæritur; nobis præmii loco erit, tuto latuiſſe. Iſtud; quod antea commodius potueramus, advertendum duximus, Commentariis maximè (*Actis*) qvorum ſupra mentio facta, in adornanda hac Hiſtoria uſos, ne aliorum qvidem, ubi facultas ſuppeteret, operam reſpuiſſe. Ita CHR. FORSTNERI elegantiſſimis juxta ac gravisſimis ad Scipionem Scaligerum litteris atqve Friſchmannum qvanqvam vix octo menſium negotia complexis nos aliqvantùm adjutos, ingenuè profitemur. Obvenere qvoqve proximo demum, qvi hunc anteceſſit, anno MEMORIÆ qvædã, ut vocantur, ab homine Gallo,

arcanorum regiæ Legationis, ut apparet, ſatis conſcio, & forſan participe conſcriptæ, ex qvibus noſtris qvædam adjecimus. E qvæ inter partes mutuis ſcripti
Act. publ. acta MICH. CASP. LONDORPIUS exhibet, adſcriptis ad paginarum oras locis notavimus, Lectori a mnem indicaturi, qvæ ad ipſum mare deveniat.

Voto finire lubet, ut, qvo no promovendo publici boni ſtudio monſtratum à Gvaldo iter in greſſi ſumus, eodem ad compo nendam Tractationis Neomagenſis Hiſtoriam, ſi cui otium atqve copia fuerit, ſeſe agi patiatur qva videlicet id maximè actum ut eum in ſtatum cuncta repo nerentur, qvi futurus fuerat, ſ

Weſtphalicæ Paci vis ſua roburqve conſtitiſſet. Qvin & hanc ipſam, qvam tradimus hiſtoriam, ſi, qvibus ad Auſtriacorum, Gallorum, Svecorum, aliorumve ſcriniaria aditus, auctiorem reddere lubuerit, ingentis certe litterarũ orbem beneficii debitorem habebunt. Nobis equidem id jucundum, ipſaq; benefacti conſcientia glorioſum erit, rem litterariam, ſi non noſtro labore, laboris ſaltem exemplo juviſſe.

PRÆFATIO
ad
EDITIONEM SECUNDAM.

DUo abhinc anni ſeculo noſtro defluxere, ex qvo primùm publicam lucem intueri auſa eſt Hiſtoria, quam de Tractatione Pacis Weſtphalicæ juvenili adhuc ætate conſcriptam, privatos intra parietes duo per luſtra detinueramus. Carcere ſcilicet non ante emiſimus, quam rei literariæ intereſſe monerent urgerentq; Viri celeberrimi, qvorum auctoritatem adſpernari, probro nobis, ipſorum injuria fuerat. Vix domo pedem extulerat, cùm eo mox applauſu exciperetur, qvo indignam ipſi cenſuimus, eo ingenio nati, ut non aliis magis ac nobis nævi noſtri diſpliceant, adverſus errores aliorum veniæ faciliores. Ut honeſtiori aliquantum loco haberemus, famæ dedimus, modeſtiæ rati, plurium conſenſui judicium noſtrum poſthabere. Et facile eſt, faventiori nobis ſententiæ calculum adjicere. Interim tenuitatis noſtræ haud ideò obliti, non potuimus non ſuſpicere ſortis beni-

benignitatem, ad libelli gratiam exiſtimationemque vertentis, quæ imminuendo abolendoqve alii paraverant decreverantqve. Vix ergaſterio, qvo hactenus latuerat, ad liberioris auræ uſum progreſſum erant, qui, ſi non orbe, (anguſtius quippe noſtri imperitant, regimenq; Cæſarum, nulla hæreſis formidine, tot populi reſpuunt,) Germaniâ ſaltem pellendum putarent. Ita viſum Viro Ampliſſimo, cui cenſoriam in ingenia poteſtatem permiſit, quem ſummum Germaniæ Principem fata dedere. Et ſecuta hominis judicium Cæſaris Aula terris proſcripſit, quotquot Imperatori peculiari proprioque Auſtriacæ Genti Jure reguntur. Mirari quidem ſubiit; qua cauſſa permoti auguſtiſſimi Palatii Proceres exilio librum mulctarent, non aliis magis atque Cæſari faventem, ut proniori, ac Hiſtoricum decebat, in hunc affectu ferri, ii ſaltem conjectare poſſent, quibus moleſtum ſuſpicioſumque, quicquid pro Cæſare dicitur. At ratio ſeveritatis ipſis, qui exercuere, conſtiterit. Nobis haud congruum, de iis judicare, qvibus in nos judicium Dii Princepsq; permiſere. Venerari interim liceat fortis in nos benevolentiam, qua moderante noſtra in majus extulere, qui ſupprimenda

ſtatuerant, grates noſtras ſi non animo, ſaltem beneficio, ſi eventu æſtimes, meriti. Qvanqvam ſolitum id, totqve, (qvo magis iſtorum conſilium mireris,) ſeculorum uſu compertum, ut punitis ingeniis gliſcat auctoritas, neque aliud, qui eadem auſteritate uſi, qvam dedecus ſibi, atq; illis gloriam pepererint. Monuimus id prædiximusq;, cum primò in publicum prodire pateremur Librum, ne Scriptioni, haud adeò magni, ſi ipſam ſpectes, momenti, ſuo interdicto famam auctoritatemque, Bibliopolæ lucrum conciliarent, ſi qvi forte ſuo ſe jure iſti ſuccenſere arbitrarentur. At ſcilicet, quæ fato manent, qvamvis ſignificata, non vitantur. Melius certè, ſi quid noſtri judicii, qui quanquam (nullo equidem adfectuum, ſolo veritatis ſtudio,) acerbius habiti, ſive Legum Hiſtoriæ memores, ſeu majeſtate ſua inferius rati, ignoto homini, ſuisque forſan latebris digno, indignatione ſua lucem, qua ipſe deſtitueretur, affundere, tulere iſta & reliquere; haud facile dixerim, moderatione an ſapientia. Nam ſpreta exoleſcunt, ſi iraſcare, adgnita videntur. Ceterùm iſtud nefas duximus, Viro graviſſimo, quem cenſendis aliorum laboribus præfectum diximus, non grates exſolvere, qui, poſt-

qvam

quam in Librum Librique Auctorem dira qvæque ſtatuiſſet, velut eximio aliquo beneficio ſententiæ acerbitatem mitigaturus, pro Monzambani aut Pufendorfii fœtu habere dignabatur ſcriptum, ignobilioribus multò natalibus editum. Nobis qvidem gratulantibus futurum fuerat, qualemcunq; noſtram ſobolem, in familiam patriciam venientem amittere nomen (ſi quod haberet,) obſcurius, modo id fieri pace tanti viri poterat, cui alienum partum invito obtrudi, injuria foret, talem præſertim, qvi reliqvæ proli decore atque elegantiâ diſpar ingenuorum ſplendorem, ipſe aliunde adſcitus, offuſcaret. Qvicqvid ejus ſit, eo favore ſuſceptus habitusqve Liber, ut vix elapſo, poſtqvam ſui copiam fecerat, ſemeſtri, novam jam editionem & velut παλιγγενεσίαν meditaretur vir honeſtus, qvo obſtetricante lucem adſpexerat. Cohibuimus nimium feſtinantis impetū, conſultius arbitrati, ſpatium primæ dare, qvo defluere poſſet; in ſpem qvoqve induximus, auctiorem elegantioremque habiturum, ſi comendi iterum expoliendiq; tempus permitteret; non fallendi conſilio, ſed qvod ita animo conſtitueram. At obſtitere fata eam ad Spartam non multo poſt vocato, qvâ me multum in colendis

 ſtu-

ſtatuerant, grates noſtras ſi non animo, ſaltem beneficio, ſi eventu æſtimes, meriti. Qvanqvam ſolitum id, totqve, (qvo magis iſtorum conſilium mireris,) ſeculorum uſu compertum, ut punitis ingeniis gliſcat auctoritas, neque aliud, qui eadem auſteritate uſi, qvam dedecus ſibi, atq; illis gloriam pepererint. Monuimus id prædiximusq;, cum primò in publicum prodire pateremur Librum, ne Scriptioni, haud adeò magni, ſi ipſam ſpectes, momenti, ſuo interdicto famam auctoritatemque, Bibliopolæ lucrum conciliarent, ſi qvi forte ſuo ſe jure iſti ſuccenſere arbitrarentur. At ſcilicet, quæ fato manent, qvamvis ſignificata, non vitantur. Melius certè, ſi quid noſtri judicii, qui quanquam (nullo equidem adfectuum, ſolo veritatis ſtudio,) acerbius habiti, ſive Legum Hiſtoriæ memores, ſeu majeſtate ſua inferius rati, ignoto homini, ſuisque forſan latebris digno, indignatione ſua lucem, qua ipſe deſtitueretur, affundere, tulere iſta & reliquere; haud facile dixerim, moderatione an ſapientia. Nam ſpreta exoleſcunt, ſi iraſcare, adgnita videntur. Ceterùm iſtud nefas duximo, Viro graviſſimo, quem cenſendis aliorum laboribus præfectum diximus, non grates exſolvere, qui, poſtqvam

quam in Librum Librique Auctorem dira qvæque ſtatuiſſet, velut eximio aliquo beneficio ſententiæ acerbitatem mitigaturus, pro Monzambani aut Puſendorfii fœtu habere dignabatur ſcriptum, ignobilioribus multò natalibus editum. Nobis qvidem gratulantibus futurum fuerat, qualemcunq; noſtram ſobolem, in familiam patriciam venientem amittere nomen (ſi quod haberet,) obſcurius, modo id fieri pace tanti viri poterat, cui alienum partum invito obtrudi, injuria foret, talem præſertim, qvi reliqvæ proli decore atque elegantiâ diſpar ingenuorum ſplendorem, ipſe aliunde adſcitus, offuſcaret. Qvicqvid ejus ſit, eo favore ſuſceptus habitusqve Liber, ut vix elapſo, poſtqvam ſui copiam fecerat, ſemeſtri, novam jam editionem & velut παλιγγενεσίαν meditaretur vir honeſtus, qvo obſtetricante lucem adſpexerat. Cohibuimus nimium feſtinantis impetũ, conſultius arbitrati, ſpatium primæ dare, qvo defluere poſſet; in ſpem qvoqve induximus, auctiorem elegantioremque habiturum, ſi comendi iterum expoliendiq; tempus permitteret; non fallendi conſilio, ſed qvod ita animo conſtitueram. At obſtitere fata eam ad Spartam non multo poſt vocato, qvâ me multum in colendis

ſtudiis præſtitiſſe puto, non omnino Latinitatis dememiniſſe. Ita inſtante hinc homine amico, ſuoqve ſe lare in librum, ære ſuo librâq; emptum, uſurum interminante, iſthinc nulla fere ſpe reliqva, de opuſculo adornando concepta, morem viri precibus, ut potuit, geſſimus, & cùm pingviorem venuſtioremqve fœtum reddere non liceret, pro patria poteſtate, caſtigavimus, prout id verborum aut incuriâ, aut acerbitate, aut alio aliquo eminentiori nævo meruiſſe videri poterat. Plura te, Lector, volueram. At ſcripturo manus Typographus injecit, ut dicere TIBI nihil reſtet, qvàm ſupremum illud atqve ſolenne digredientibus, VALE.

PRÆFATIO
ad
EDITIONEM TERTIAM.

PRodit nunc tertiùm Hiſtoria noſtra Pacis Weſtphalicæ, Patre tunc juvene, atqve eo qvidem fato nata, uti ignorari hunc non ipſius tantùm, ſed & publicæ rei intereſſe arbitrarentur, ex qvorum juſſu, permiſſu, aut Interdicto, voluntate deniqve atqve arbitrio noſtra pendebant. Ita nempe legitimos etiam fœtus, neqve ulla parentum labe pudendos, natales ſuos diſſimulare aut conſultum qvandoqve aut etiam neceſſum eſt innocenti qvantumvis atqve integræ Pudicitiæ, ſui ſibi periculi magis qvàm vitii conſciæ. Neqve verò fraudi damnove fuit innoxiæ ſoboli, Patre atqve Auctore carere, etiam [uti nempe calamitoſis qvoqve non planè nunqvam favet fortuna, inclementiæ ſuæ veluti pœnitens, atqve gratioſos ſuæ haud raro miſeriæ reddunt] nulla paterni nominis commendatione plerorumqve favorem, & ſi gloriari fas eſt, famam celebritatemq; adepta, neqve maximis

mis

mis etiam viris viſa indigna, cujus non indicio tantum atq; ſubſidio qvodam, ſed & verbis eadem in re commemoranda ipſi uterentur. Omitto alios, qvo facilior jactantiæ contractiori atqve promptior venia ſit. Et verò inſtar omnium eſſe poteſt Vir non dignitate minus atqve inſigni Eruditionis Prærogativâ illuſtris Sam. Puſendorfius, adeò noſtra haud dedignatus, uti non pigeret, eodem in negotio recenſendo ſuum ad uſum verba noſtra transferre; tanti (ſuo equidem) jure habitus Viris literatiſſimis, neqve ſine elogio unqvam memorandis, qvi Acta Eruditorum maximo Reipublicæ literariæ bono Lipſiæ huc usque collegerunt, uti huic aut unicè, aut maximè acce-
1686. ptam ferrent conditam non Pacis Oſna-
p. 429. brugenſis minus qvàm Belli, qvod iſtâ Tractatione componebatur, Hiſtoriam. Ad alia ſcilicet atqve præſtantiora intentis aut ignota planè erant aut non in mentem memoriamqve redierant, aut ſi redierant forte, exiguo aut nullo penitus loco habita noſtra, Puſendorfianis utiqve comparata; qvalis nempè etiam ſiderum ſors eſſe ſolet, poſtremæ præſertim magnitudinis, Solis ſplendori aut majoribus ſaltem collata ſideribus. Et nobis, conditione noſtra qvantulacunqve contentis, ſuf-

ficere potuerat, etiam ab iſtis ſpretos non apud ceteros omnes nullo adeò loco numeroq; cenſeri; Pufendorfio tantò qvamvis majori, temporis ſaltem atqve ordinis qvadam Prærogativâ priores. Et tanqvam injuriæ illos qvoqve pœniteret, etiam Hiſtoriæ noſtræ P. W. juxta atqve Comitio- A. 1694.
rum aliqvantulum tandem meminiſſe ſu- p. 447.
ſtinuerunt; ne curatius hanc recenſerent, A. 1695. p. 391.
ſuis utiqve cauſis inducti. Neqve enim aut odio aut contemptu noſtri noſtræve Scriptionis iſta eveniſſe, nobis aut compertum aut ſaltem perſvaſiſſimum eſt. Non noſtri ſanè, cujus mentionem ſupra meritum honorificam facere, noſtrasqve opellas recenſione ſua commendare literato Orbi plus vice ſimplici haud moleſtum duxere; ut adeò parum ad nos pertineat aliorum haud ſanè poſtremæ dignationis aut qverimonia aut criminatio, alienæ tantùm potiſſimumve ſive Religionis ſive nationis Auctores celebrari ab iſtis, ceterorum minus curioſis. Neqve Scriptionis, credo, tæduit ipſos, materiæ ſuæ nobilitate illuſtris, atqve extra periculum faſtidii poſitæ. Neqve verò Reip. ſive Civilis ſive etiam literariæ magis fortean intereſt, noſſe, uberibusne an verubus potius inſtructa fuerit Diana, ab Epheſiis per ima-

ginem

ginem culta; aut qvalia Cereris atqve Bacchi (qveis ſine ſcilicet miſerè frigere ſolet Venus) Myſteria? (ſuis equidem latebris multo digniora) An Corinthi Diogenem, Cynici cognomen morum ruſticitate adeptum, ſepelierint ſive propinqvi, ſive amici, ſeu qvicunqve alii, qveîs curandi canini funeris provincia qvacunqve ſorte obvenerat? qvæ fuerint Theari apud Græcos atqve Romanos leges, atqve harum ad præſcriptum qvantum fas fuerit rerum Dramate exhiberi, pro temporis modo, qvo aut geſtæ iſtæ, aut geri ſaltem pro indole negotii atqve conditione licuerat; & præſertim Terentianæ, qvæ *Heavtontimorumeni* inſignitur Titulo, fabulæ, utrum decem, an duodecim aut qvindecim deniqve horæ, qveîs res verè ita atqve extra ſcenam ageretur, ſatis eſſe potuerant? aut, ne obſoleta tantum memoremus, qvanto in honore apud Siamenſes Elephas albi coloris habeatur, qvæ inde inter inſanientes Reges populosqve non qvalicunqve tantum diſſidio ſed & bellis occaſio, cauſa, atqve materies; qvanti res ſit periculi homini Siamenſi, præſente Rege tuſſim aut tendentem ad ſternutationem ſpiritum continere non poſſe? atqve hujus generis infinita alia, ſcitu jucunda

potius

potius qvàm fructuoſa, imò qvorum aliqva [ne dicam, pleraqve] nulli plane uſui eſſe, vix ipſi inficiabuntur (atqve hos inter noſtrum qvoqve profitemur nomen) qveîs talia diſcere aut docere maximè volupe eſt; vitio humani ingenii, jucunditatem magis qvàm utilitatem ſectari. Vitio, inqvam, ingenii humani, non aliis ferè intemperantius delectari ſoliti, quàm qvibus amœnitatis pretium an ſua conciliet indoles, aut noſtra opinio faciat, re penitius penſitata, haud parum addubites; quæ eqvidem ſi tollas, quantum, eheu! literaturæ, uti appellamus, elegantiori perire neceſſum foret? Neqve, inqvam, talia addidiciſſe, ad Rempubl. etiam literariam, nedum civilem, noſtram præſertim magis attinet, quàm haud ignoraſſe, qvis inſtaurandæ poſt redditam Germaniæ pacem, emendandæque ad hujus formam Reip. labor, quæ ſtudia, qvanta partium, qvas ſive religionis ſive Ordinis atqve dignitatis facit diverſitas, ſibi plerumqve magis, ſuo decori, atqve incrementis, qvàm publicæ cauſæ atqve incolumitati faventes, contentio, qvæ deniq; Comitiorum facies, progreſſus, fata atqve fortuna, qveîs, ut certam legem formamq; acciperent, qvæ Tractatione Weſtphalica per-

perfici, rerum temporumqve non permittebat conditio, ipſi paciſcentes, belli pariter atqve diuturnæ Negotiationis pertæſi, adeòqve ad pacem feſtinantiores ſtatuerant. Et qvamvis materiæ dignitatem illuſtriorem inſuper qvodammodò reddat ſcriptoris ſermonisve gravitas atqve elegantia, manet tamen ſuum rei pretium, tractatæ etiam ingeniis tenuioribus; neqve illam, licet minus gratam venerandamqve, inutilem tamen Auctoris aut vilitas aut mediocritas efficit. Paucis, qvis Germaniæ noſtræ ſtatus, qvæ conditio Ordinum, qvæ cujusqve in curanda Republ. partes ſint aut eſſe debeant, unde aliàs, qvàm ex Pace Weſtphalica, cujus iſta innititur legibus, & qvæ hanc ſecuta, comitiis, horumqve Hiſtoria magis notitiam haurias? Neqve defuere maximæ dignationis celebritatisqve viri, qvi, ut cœptam inde telam ad præſentia usqve comitia pertexeremus, tantum non publico nomine rogavere; qvo noſtram opellam haberent loco, precum civilitate teſtati.

Ceterum ad Hiſtoriam P. W. qvod ſpectat, iſtud curavimus, ut nunc, qvàm olim ſi non elegantior nitidiorqve, à nævis tamen vitiisqve aliqvantum magis immunis prodiret, qvos Scriptioni aut Typo-

gra-

graphi aut aliqvando etiam Auctoris incuria offert. Ut auctiorem redderemus, minori curæ fuit. Minori, inqvam, non planè nulli. Iſtud non conſultum modo, ſed & neceſſarium viſum, haud paulo, quàm primum à nobis factum, recenſere curatius, qvibus laboribus, qvorum ſuffragio, adſenſu atqve auctoritate eò redierit res, Monaſterii atq; Oſhabrugæ magnis partium ſtudiis atq; contentionibus agitata, ut Palatinorum in gratiam octavus tandem Electoratus naſceretur. Negligentius, (nè noſtrum diſſimulemus crimen) rem olim tractavimus, pauciſſimis, & qvantum ad Hiſtoriæ ſeriem contexendam neceſſum erat, retuliſſe contenti. Neqve enim in mentem venerat, extituros aliqvando, qvi poſt negotium ita patratum affirmarent atq; contenderent, nihil ad Principes, Proceres, Urbes ſpectare Electoratûs ſupra numerum conſtituendi negotium, neqve vitio creatum cenſeri fas eſſe Electorem, Cæſaris ſponte, atque ſuffragio aliquot Electorum inter iſtos adlectum fuiſſe; Eò usqve progreſſa rei indignitate, uti ceteris, Treviro, inqvam, Colonienſi, Palatino (haud ſpernenda ſanè Collegii Electoralis portione) ne permiſſò qvidem (qvantum ad rem adeò novam, inſolentem tantiq; mo-

menti neceſſum (deliberandi ſpatio neqve aliâ qvàm aſſentandi ceterorum placitis copiâ factâ reliqvis, Principibus, inqvam, Proceribus, Urbibus conſultandi ea de re ſuffragiaq; ineundi ne quidē licentia fieret adeò per omnes omnium ordinum curias Claſſes, gradus, nullo dignitatum religionumve diſcrimine, pervagatâ atqve graſſatâ injuriâ, ut tanquam uno ictu Electores Proceres, urbes, Catholicos, Evangelicos ſacri atqve *ſecularis* (uti appellant) ordinis proſtratura, egregio contumeliæ compendio cunctos invaderet; cujus eqvidem generis unqvam ab Aula qvidpiam perperatum, vix forſan omni ex ætate, qvantumvis exemplorum non optimorum haud ſanè ſterili, deprehendas. Res magnis hucusq; animorum agitata motibus, ſcriptisqve publicis auſpiciis pariter atqve auſibus privatis diſceptata; argumentis qvidem plerunq; aliqvantum tenuioribus, atq; alendæ potius fovendæq; diſputationi qvàm expediundæ idoneis. Qvàm ritè hæc geſta, non aliunde certius liqvidiusqve, qvàm ex iis, qvæ de Electoratu octavo Oſnabrugæ acta, comperies; de qvibus uti fundatior ſecuriorqve notitia eſſet, ipſa non Senatorum ſed & SCtorum verba retulimus. Neqve enim moramur aliorum nænias, de diver-

verſa pacificationis conditione neſcio qvid oggannientium.

Atqve hiſce jura ſua injuriasq; æſtimabunt Proceres, qveis ſtatum dignitatemq; ſuam haud ſegniter tueri animus eſt; qvibus ad averſandum novũ Electoratum ſatis eſſe poteſt debetq;, ſententiam non tantùm non rogatos, ſed & eùm promere vellent, vetitos repulſosq; fuiſſe; cum nempè ad modum, qvò Patri ad repudiandum procum ſufficit, non adhuc vota ſua iſtum detuliſe. Et verò Cœlitibus tenerioris etiam molliorisqve ſexûs

Manet alta mente repoſtum
Judicium Paridis ſpretæque injuria formæ.

Et ſibi aliisvè faciunt offucias, qvi violatiſſimo Principum Procerumqve juri alia ratione conſuli poſſe contendunt, ita forſan ineundâ, uti ſalva Auctoribus injuriæ nova dignitate, ceteros omnes aditu, ſpê atqve voto eosdem ambiendi prenſandiqve honores arceret.

Atqve hic non Præfationis tantum ſed & Scriptionis, hujus ſaltem generis, finis,

hic Terminus eſto.

Vinar. ipſis Calend. Septembr. A. O. R. cIɔ Iɔc XCVII.

SYLLABUS LIBRORUM.

Lib. I.

1. Introitus ad Tractationem operis. 2. Tentata belli Germanici compoſitio Francofurti; Propoſitio Cæſareanorum ibi facta; Evangelicorum ad eam Reſponſum; irrito ſucceſſu. 3. Tractatus alii; præliminares Hamburgi transacti, ad ſuſcipiendam tractationem Monaſterienſem atque Oſnabrugenſem. 4. Digreſſio, ipſius operis prævia, de Cauſis Belli Germanici civilis. 5. Cujus præcipua origo ex religione, & Lite inde, circa Bona Eccleſiaſtica, exorta. 6. Principia, occaſiones, & quaſi præludia, iſtius belli; videlicet, Motus Truchſeſſiani. 7. Electio Epiſcopi Argentinenſis inter Pontificios atque Evangelicos Capitulares controverſa. 8. Proſcriptio Urbis Donaverdæ. 9. Succeſſio Juliacenſis. 10. Unio, Liga. 11. Bellum Bohemicum. 12. Fœdus contra Domum Auſtriacam. 13. Bellum Danicum. 14. Meckelburgiorum ejectio. 15. Ferdinandi II. Imp. nimia & periculoſa conſilia. 16. Evangelicis maximè infeſti, in quos Edictum Reſtitutionis de A. 1629. 17. Proceſſus contra immediatam Imp. Nobilitatem. 18. Procerum Imp. querelæ adverſus Ducem Fridlandium. Fœdus Lipſienſe. 19. Cau-

ſa

ſæ Juſtificæ Belli illati à Svecis; Gallis; utriusque cauſæ veræ & ſvaſoriæ. 20. Succincta Deſcriptio Status Europæi tempore Tractationis Weſtphalicæ, & quidem 21. In Italia. 22. Hiſpania. 23. Britanniæ. 24. Gallia. 25. Polonia & Dania, denique 26. In ipſa Germania.

Lib. II.

1. Legatorum Svecorum adventus Oſnabrugæ; eorumque literæ Invitatoriæ ad Pacis Tractatus ad Imperii Proceres; ut & Gallicorum. 2. Cæſaris ad eoſdem Proceres, contra Gallicas. 3. Gallorum Invitatoriæ ad Senatum Auguſtanum. 4. Ad Urbes Hanſeaticas, & inflicta harum Legatis à Gallis contumelia. 5. Cæſareanorum ingreſſus Monaſterii atque Oſnabrugæ. 6. Difficultas ob Dani admiſſionem. 7. Controverſia, de Proceribus Imp. ad Pacificationem admittendis. 8. Treviri reſtitutio à Gallo, & ſalvi conductus pro Mediatis à Svecis petiti. 9. Cæſaris ob has cauſas literæ ad Franconicum Circulum, & Imp. Deputatos. 10. Cauſæ, ob quas Cæſar Ordines admittere recuſarit, tandem tamen adſentiens. 11. Controverſia, de Modo Tractandi. Variæque de illo ſententiæ. 12. Prima Propoſitio (Friedens-*Propoſition*) *Svecorum. 13. Gallorum. Cæſareanorum de iis ſententia. 14. Svecorum jacti pro æquitate Poſtulatorum ſuorum, & contra Cæſarem atque Electores, ſermones. 15. A Proteſtantibus pronis auribus accepti, horumque adverſus Domum Auſtriacam querelæ. 16. Inclinatio*

tio Electoris Saxonici, plerisque Proteſtantibus improbata. 17. Svecorum atque Proteſtantium opinio & queſtus de Gallis. 18. Quæſtio de Loco Modoque Tractandi reſumta. 19. Cauſæ à Monaſterienſibus, cur Monaſterium tractationi deſtinanda, allatæ; ab Oſnabrugenſibus impugnatæ; irrito itidem Memmii Galli apud Svecos. 20. Moguntini apud Brandeburgicos, & Cæſareanorum apud Oſnabrugenſes eam in rem conatu. 21. Oſnabrugenſium conatus contrarii; Monaſterienſium aſſenſus; 22. Et tandem Gallorum. 23. Lis de admiſſione Magdeburgii, Durlaceni, Caſſellani, &c. ad conſultationes publicas. Monaſterienſium contra hos ſententia; 24. Contraria Oſnabrugenſium, & pro ea rationes. 25. Orta inde difficultas occaſione reſponſi Cæſareanorum ad Propoſitiones Regiorum, Proceribus Imp. communicandi, & qua ratione ea tandem ſublata. 26. Cæſareanorum propoſitio ad Proceres. 27. 28. Ipſumque reſponſum ad Propoſitionem Svecicam. 29. Gallicam. 30. Continuatio litis de admiſſione memoratorum Ordinum. 31. Oſnabrugenſium ob eam rem literæ ad Monaſterienſes. 32. Horum reſponſum. 33. Oſnabrugenſium de iis deliberatio. 34. Et legatio atque reſponſum ad Monaſterienſes. 35. Et ipſa irrita. Novæ Monaſterienſium conditiones ratione Magdeburgii; 38. Repudiata ab Oſnabrugenſibus. 39. 40. Alia Tractatio Oſnabrugæ inſtituta. 41. Et ipſa nullo ſucceſſu. 42. Lis hæc tandem ſopita. Origo ſcamni transverſi in Concilio Princi

pum

pum (der Querbanck im Fürſten-Rath.) *43. Excellentia Electoralium. 44. Bavaro imputata. Procerum de ea ſententia. 45. Rationes Electoralium. 46. Judicia de hoc Electoralium. 47. Svecorum & Auſtriacorum. 48. 49. Reſponſum Cæſareanorum Regiis exhibitum. Lis de Salvo Conductu Mediatu* (Reichs-Mittelbahren) *à Cæſareis præſtando. 50. Adventu Trautmansdorffii, ſupremo Cæſareæ Legationis principe, ſublata. 51. Gallorum de Trautmansdorffii adventu criminatio. 52. Modus Replicandi ad Reſponſum Cæſar. inter Regios transactus. 53. In Præliminaribus ſalvus conductus pro Lotharingo à Cæſareanis. 54. 55. Pro Luſitano à Svecis deſideratus, fruſtra uterque. 56. Modus replicandi inter Cæſareanos & Svecos. 57 Replica Svecorum ad Proœmium Reſponſi Cæſarei, de cauſis belli, & an illud à Svecis Imperio illatum, adeoque pro hoſtibus ejus, ut & Hiſpani cenſendi ſint? 58. Ulterius, ad Claſſem I. de Negotiis Imperii, nempe (1) Amneſtia. (2) Privilegiis & Juribus Ordinum; præſertim fœderum cum exteris. (3) Gravaminibus, & (4) Commerciis. 59. Ad Claſſ. II. (1) de ſatisfactione Svecica, (2) Caſſellana & (3) militiæ. 60. Ad Claſſ. III. de Pacis Reductione atque ſecuritate, & denique 61. 62. De Executione Pacis; ubi de liberatione Eduardi Bragantini, ab Hiſpanis detenti. 63. Replica Gallorum, præſertim ratione auxilii Hiſpano contra Gallum à Cæſare ferendi; electionis Regis Romani; ſatisfactionis Gallicæ; Cauſæ*

Lotharingicæ, & mutui fœderis pro conſervanda Pace. 64. Judicia de Replicis Regiorum. 65. Pro. 66. Contra. 67. Inprimis Cæſareanorum; 68. Brandenburgiorum, Mekelburgenſium, aliorumque. 69. Quid occaſione colligendorum Gravaminum Evangelicorum, inter Electores Brandenburgicos, & Principales (Fürſtl. Evangeliſchen) *contigerit. 70. Exhibitio dictorum Gravaminum, concernentium (1) Reſervatum Eccleſiaſticum. (2) Jus reformandi Cœnobiorum mediatorum.* (*Mediat-*Stiffter) *(3) Avtonomiam ſubditorum* (Freyſtellung der Religion.) *(4) Reditus ſacros ex alieno Territorio pendendos; Juriſdictionem Eccleſiaſticam, & ſcripta Paci internæ adverſa. &c. 71. Gravamina Politico-Eccleſiaſtica circa (7) Majora vota. (8) Imparem Deputatorum Imperii numerum, (9) Dopaverda reſtitutionem, & juſtitiam publicam ubi de tollendis Dicaſterio Rotvilenſi, Provinciali Svevico, &c. & inſtituendis aliis, Cameræ Spirenſi & Cæſareo aulico æqualibus. 72. Quo animo accepta à Cæſareis, Moguntinis, Regiis.*

LIB. III.

1. Reſponſum & Gravamina Catholicorum. 2. Deliberationes Principum Collegii ſuper Propoſ. reg. & reſponſo Cæſareorum, & quidem 3. De eo, an Gallorum & Svecorum bellum contra Imperium? 4 An contra Hiſpanum? 5. De Tractatibus Schœnbekianis. 6. Amneſtia Pragenſis, Ratisbonenſis, emendata. 7. Approbata à Catholicis. 8. Secus ab

Evan-

Evangelicis. 9. De Fœderibus Ordinum Imp. cum Exteris. 10. De Hiſpano Paci Germanicæ innectendo. 11. 12. De cauſa Lotharingica; ubi de Caroli Lotharingi conſiliis, actionibus, &c. 13. De electione Regis Rom. 14. Præſertim vivo Imperatore. 15. 16. 17. De ſatisfactione Suecica. 18. 19. Gallica. 20. 21. Caſſellana. 22. Digresſio de origine Controverſiæ Caſſellano-Darmſtadinæ. 23. Monaſterienſium conſultatio & ſententia de iſta ſatisf. Caſſellana. 24. Tractatus Gravaminum. 25. Propoſita ab Evangelicis. Media circa. (1) Reſervatum Eccleſiaſticum. 26. Oblata Suecis. 27. Cæſareis. 28. Media Evangelicorum, circa (2) Bona Eccleſiaſtica mediata; (3) Avtonomiam ſubditorum, & (4) Reditus ex alieno Territorio. 29. Catholicorum Media (Gegen-Vorſchläge) *circa eadem; ut & ratione Juriſdictionis Eccleſiaſticæ. 30. Communicata Evangelicis. 31. Conſultatio de auxilio ab Imperatore Hiſpano contra Gallum ferendo. 32. Circa Punctum Aſſecurationis Pacis; ubi 33. De mutuo fœdere pro conſervanda Pace, à Gallis propoſito. 34. De liberatione Eduardi Bragantini. 35. Evangelicorũ Gravamina Politica; (1) Comitiorum intermisſio. (2) Defectus Matriculæ, & militaris Diſciplinæ. (3) Electorum nimia poteſtas in Capitulatione Cæſarea formanda; Conventibus Electoralibus. (4) Delectorum Imp. Conventu; & affectato Excellentiæ Titulo. (5) Voti Civitatum Imp. impugnatio. (6) Exemtiones illegitimæ. (7) Collationes Dignitatum in*

c 5 *im-*

immeritos. 36. Electoralium Secundariorum Præcedentia præ Principum Legatis. 37. Catholici Svecorum operam in componendis mutuis Gravaminibus exquirunt. Evangelicorum ea de re ſententia. 38. Svecorum; Catholicorum medium de temporaria ſacrorum Bonorum poſſesſione aliquatenus probantium; minori aſſenſu Evangelicorum. 39. 40. Tractatio Oſnabrugæ cum Monaſterienſibus inſtituta. 41. Lis de objecto Tractationis, an ſcil. Evangelicorum, an Pontificiorum Media pro eo habenda. Evangelicorum Argumenta. 42. Pontificiorum. Et de tollenda hac Lite conſilium. 43. Ab Evangelicis acceptum. 44. Horum ad removendam Transactionem temporariam conatus. 45. Tractatio inter Pontificios & Evangelicos reaſſumpta; & horum Præmonita. 46. Reſponſum Catholicorum ad ea. 47. Remedia Gravaminum ab Evangelicis rurſum propoſita. 48. Cæſareanorum eam in rem conſilium. 49. Pontificiorum de iis ſententia; & oblata alia media, ratione Bonorum Eccleſiaſticorum. 50. Ab Evangelicis itidem rejecta. Conventio de negotio per Cæſareos ac Svecos tractando. 51. SCtum Electorale in Propoſitiones Pacis. 52. Civitatum Imp. 53. Curiarum Conſulta de propoſ. Pac. Cæſareis exhibita. Horum Duplica ad Svecorum Replicam; de ſalvo Conductu pro Luſitanis; Cauſis belli Svecici; Bellum Svecorum an contra Imperium? Hiſpanum? Ad Claſſ. 1. de Amneſtia. Juribus Statuum. Gravaminibus. Reformatis. Commerciis.

Ad

Ad Claſſ. 2. de ſatisfactione Svecica, Haſſiaca, Militiæ, Ad Claſſ. 3. de auxilio Svecis à Gallo, & Hiſpanis à Cæſare non ferendo; & liberatione Braganti-ni. 54. Duplica ad Replicam Gallorum; in ſpecie de Pace inter Hiſpanos & Gallos; Lotharingo; Electione Regis Romani; ſatisfactione Gallica. 55. Projectum Inſtrumenti Pacis, Trautmansdorffii. 56. Svecorum & ceterorum Evangelicorum de eo ſententia. 57. 58. Evangelici diviſi in Zelotas; 59. Remiſſos, 60. Et Medios, malè ideò à Zelotis habitos. 62. Trautmansdorffii conſilium de componendis Gravaminibus; à Proteſtantibus neglectum. 63. Gallorum. 64. Itidem ab Evangelicis rejectum. 65. Der Cathol. Hauptſächl. Erklärung über die Religions-*Gravamina. 66.* Der Evangel. fernere Gegen-Erklärungs-Puncten. *67.* Der Cathol. weitere und endliche *Compoſitions*-Vorſchläge. *68. Non omnibus Catholicis probata. 69. Satisfactio Regum. Cæſareorum de ea conſilia. 70. Satisfactio Gallica. Bavari in eam rem conſilium. 71. A Cæſareis acceptum, primò id diſſimulantibus. 72. Cæſareorum oblatio. 73. Spreta à Gallis. Ab Auſtriacis adjectis conditionibus reſtricta. 74. Gallorum ad eos Declaratio. 75. Cæſareorum oblatio erga Svecos. 76. Brandenburgiorum ob Pomeraniam oblatam querimoniæ. 77. Evangelicorum interceſſio apud Svecos; & de ipſa re ſententia. 78. Interceſſio iterata. 79. Judicia quorundam ex ipsâ domo Brandenb. pro Svecis. 80. Poſtulata Caſſellana; etiam*

iam Evangelicis improbata. 81. Publica de iis conſultatio. 82.83. Cauſa Palatina. Judicia de Palatini proſcriptione; Evangelicorum. 84. Brandenburgiorum poſtulata pro Palatino. 85. Acre Bavari reſponſum. 86. Evangelicorum cura in cauſa hac componenda. 87. Rationes componendæ ei allatæ. 88. A Palatinis rejectæ. Svecorum conſilium de alternatione Electoratus; ſpretum à Bavaro. 89. Palatinorum Queſtus & Poſtulata. 90. Bavaricorum ad ea reſponſum. 91. Simultas Auſtriacorum & Bavarorum; & iſtorum contra Bavarum conſilia & conatus. 92. Evangelicorum deliberatio ſuper noviſſimis Pontificiorum conditionibus. Magdeburgiorum Zelus in impugnando Reſervato Eccleſiaſtico. 93. A ceteris Evangelicis non omnino probatus. Eorum ſententia pro Autonomia. 94. Colloquium Evangelicorum Monaſterienſium atque Oſnabrugenſium Lengericam indictum; eorum diſſidio ſuſpenſum. 95. Inſidioſa Cæſareorum Quæſtio, Evangelicis de ſatisfactione militis propoſita, ab Evangelicis alio aſtu eluſa. 96. Conventus Lengeranus Evangelicorum. Der Evangel. endliche Gegen-Erklärung. *97. Controverſia Urbium Imp. cum Nobilitate immediata de Præcedentia. Nobilium Argumenta. Urbium. Medium compoſitionis. 98. Declaratio Evangelicorum exhibita Cæſareis. 99. Catholicis; in diverſas ſententias ſciſſis. Bavaricorum oblatio erga Evangelicos. 100.* Der Cathol. Bedencken/ *ſuper dicta Declaratione. 101. Evangelicis per Cæſa-*

Cæſareos ſignificata. 102. Evangelicorum inde indignatio. 103. Et ad Coronas refugium. 104. Judicia de Pontificiorum duritie. 105. Eorum auctus animus, unde. 106. Saxonicorum Electoralium Media in P. Gravaminum. Evangelicis Oſnabrugenſibus ſummè improbata; ſecus à Monaſterienſibus. 107. Nova lis de Loco atque ordine tractandorum Gravaminum mutandis, atque excludendis Svecis. 108. Cæſareorum eam in rem hortamenta erga Evangelicos Monaſterienſes. 109. Horum aſſenſus; & Svecorum inde atque Oſnabrugenſium indignatio. 110. Conventus Saxonicorum in pago Lengerich. 111. Tractatio de Gravaminibus Monaſterii ſuſcepta. 112. Inter Deputatos utriusque partis. Alia inter Cæſareos, Svecos, & Proteſtantes. 113. Ab Oxenſtiernio turbata. 114. Nova Catholicorum oblatio. Proteſtantibus non ſatis grata. 115. Recompenſatio pro Pomerania à Brandenburgiis poſtulata; ab ipſis Evangelicis improbata. 116. Svecorum agendi hac in re ratio; Evangelicis moleſta ſuſpectaque. 117. Nova Svecorum Poſtulata. Cæſareorum in plerisq; adſenſus. 118. Queſtus Brandenburgiorum. 119. Friderici Holſati, ob Archiepiſcopatum Bremæ Svecis cedendum. 120. Poloni interceſſio ratione Pomeraniæ. 121. Brandeburgiorum vehementia. Ablegatorum Provinciæ Pomeraniæ conſilium; nemini probatum. 122. Legati à Cæſareis & Gallis ad Brandenburgium perſvadendum miſſi. Galli oblatio. 123. Electoris reſponſum, Gallo. Ablegatis Electoralium. 124. Cæſareorum.

tio Electoris Saxonici, plerisque Proteſtantibus improbata. 17. Svecorum atque Proteſtantium opinio & queſtus de Gallis. 18. Quæſtio de Loco Modoque Tractandi reſumta. 19. Cauſæ à Monaſterienſibus, cur Monaſterium tractationi deſtinanda, allatæ; ab Oſnabrugenſibus impugnatæ; irrito itidem Memmii Galli apud Svecos. 20. Moguntini apud Brandeburgicos, & Cæſareanorum apud Oſnabrugenſes eam in rem conatu. 21. Oſnabrugenſium conatus contrarii; Monaſterienſium aſſenſus; 22. Et tandem Gallorum. 23. Lis de admiſſione Magdeburgii, Durlaceni, Caſſellani, &c. ad conſultationes publicas. Monaſterienſium contra hos ſententia; 24. Contraria Oſnabrugenſium, & pro ea rationes. 25. Orta inde difficultas occaſione reſponſi Cæſareanorum ad Propoſitiones Regiorum, Proceribus Imp. communicandi, & qua ratione ea tandem ſublata. 26. Cæſareanorum propoſitio ad Proceres. 27. 28. Ipſumque reſponſum ad Propoſitionem Svecicam. 29. Gallicam. 30. Continuatio litis de admisſione memoratorum Ordinum. 31. Oſnabrugenſium ob eam rem literæ ad Monaſterienſes. 32. Horum reſponſum. 33. Oſnabrugenſium de iis deliberatio. 34. Et legatio atque reſponſum ad Monaſterienſes. 35. Et ipſa irrita. Novæ Monaſterienſium conditiones ratione Magdeburgii; 38. Repudiata ab Oſnabrugenſibus. 39. 40. Alia Tractatio Oſnabrugæ inſtituta. 41. Et ipſa nullo ſucceſſu. 42. Lis hæc tandem ſopita. Origo ſcamni transverſi in Concilio Principum

pum (der Querbanck im Fürſten-Rath.) *43. Excellentia Electoralium. 44. Bavaro imputata. Procerum de ea ſententia. 45. Rationes Electoralium. 46. Judicia de hoc Electoralium. 47. Svecorum & Auſtriacorum. 48. 49. Reſponſum Cæſareanorum Regiis exhibitum. Lis de Salvo Conductu Mediatis* (Reichs-Mittelbahren) *à Cæſareis præſtando. 50. Adventu Trautmansdorffii, ſupremo Cæſareæ Legationis principe, ſublata. 51. Gallorum de Trautmansdorffii adventu criminatio. 52. Modus Replicandi ad Reſponſum Cæſar. inter Regios transactus. 53. In Præliminaribus ſalvus conductus pro Lotharingo à Cæſareanis. 54. 55. Pro Luſitano à Svecis deſideratus, fruſtra uterque. 56. Modus replicandi inter Cæſareanos & Svecos. 57 Replica Svecorum ad Proœmium Reſponſi Cæſarei, de cauſis belli, & an illud à Svecis Imperio illatum, adeoque pro hoſtibus ejus, ut & Hiſpani cenſendi ſint? 58. Ulterius, ad Claſſem I. de Negotiis Imperii, nempe (1) Amneſtia. (2) Privilegiis & Juribus Ordinum; præſertim fœderum cum exteris. (3) Gravaminibus, & (4) Commerciis. 59. Ad Claſſ. II. (1) de ſatisfactione Svecica, (2) Caſſellana & (3) militiæ. 60. Ad Claſſ. III.. de Pacis Reductione atque ſecuritate, & denique 61. 62. De Executione Pacis; ubi de liberatione Eduardi Bragantini, ab Hiſpanis detenti. 63. Replica Gallorum, præſertim ratione auxilii Hiſpano contra Gallum à Cæſare ferendi; electionis Regis Romani; ſatisfactionis Gallicæ; Cauſæ*

Lotharingicæ, & mutui fœderis pro conſervanda Pace. 64. Judicia de Replicis Regiorum. 65. Pro. 66. Contra. 67. Inprimis Cæſareanorum; 68. Brandenburgiorum, Mekelburgenſium, aliorumque. 69. Quid occaſione colligendorum Gravaminum Evangelicorum, inter Electores Brandenburgicos, & Principales (Fürſtl. Evangeliſchen) *contigerit. 70. Exhibitio dictorum Gravaminum, concernentium (1) Reſervatum Eccleſiaſticum. (2) Jus reformandi Cœnobiorum mediatorum.* (*Mediat*-Stiffter) *(3) Autonomiam ſubditorum* (Freyſtellung der Religion.) *(4) Reditus ſacros ex alieno Territorio pendendos; Jurisdictionem Eccleſiaſticam, & ſcripta Paci internæ adverſa. &c. 71. Gravamina Politico-Eccleſiaſtica circa (7) Majora vota. (8) Imparem Deputatorum Imperii numerum, (9) Dovaverda reſtitutionem, & juſtitiam publicam ubi de tollendis Dicaſterio Rotvilenſi, Provinciali Suevico, &c. & inſtituendis aliis, Cameræ Spirenſi & Cæſareo aulico æqualibus. 72. Quo animo accepta à Cæſareis, Moguntinis, Regiis.*

LIB. III.

1. Reſponſum & Gravamina Catholicorum. 2. Deliberationes Principum Collegii ſuper Propoſ. reg. & reſponſo Cæſareorum, & quidem 3. De eo, an Gallorum & Svecorum bellum contra Imperium? 4. An contra Hiſpanum? 5. De Tractatibus Schœnbekianis. 6. Amneſtia Pragenſis, Ratisbonenſis, emendata. 7. Approbata à Catholicis. 8. Secus ab

Evan-

Evangelicis. 9. De Fœderibus Ordinum Imp. cum Exteris. 10. De Hiſpano Paci Germanicæ innectendo. 11. 12. De cauſa Lotharingica; ubi de Caroli Lotharingi conſiliis, actionibus, &c. 13. De electione Regis Rom. 14. Præſertim vivo Imperatore. 15. 16. 17. De ſatisfactione Suecica. 18. 19. Gallica. 20. 21. Caſſellana. 22. Digreſſio de origine Controverſiæ Caſſellano-Darmſtadinæ. 23. Monaſterienſium conſultatio & ſententia de iſta ſatisf. Caſſellana. 24. Tractatus Gravaminum. 25. Propoſita ab Evangelicis. Media circa. (1) Reſervatum Eccleſiaſticum. 26. Oblata Suecis. 27. Cæſareis. 28. Media Evangelicorum, circa (2) Bona Eccleſiaſtica mediata; (3) Autonomiam ſubditorum, & (4) Reditus ex alieno Territorio. 29. Catholicorum Media (Gegen-Vorſchläge) *circa eadem; ut & ratione Jurisdictionis Eccleſiaſticæ. 30. Communicata Evangelicis. 31. Conſultatio de auxilio ab Imperatore Hiſpano contra Gallum ferendo. 32. Circa Punctum Aſſecurationis Pacis; ubi 33. De mutuo fœdere pro conſervanda Pace, à Gallis propoſito. 34. De liberatione Eduardi Bragantini. 35. Evangelicorũ Gravamina Politica; (1) Comitiorum intermisſio. (2) Defectus Matriculæ, & militaris Diſciplinæ. (3) Electorum nimia poteſtas in Capitulatione Cæſarea formanda; Conventibus Electoralibus. (4) Delectorum Imp. Conventu; & affectato Excellentiæ Titulo. (5) Voti Civitatum Imp. impugnatio. (6) Exemtiones illegitimæ. (7) Collationes Dignitatum in*

immeritos. 36. Electoralium Secundariorum Præcedentia præ Principum Legatis. 37. Catbolici Svecorum operam in componendis mutuis Gravaminibus exquirunt. Evangelicorum ea de re ſententia. 38. Svecorum; Catbolicorum medium de temporaria ſacrorum Bonorum poſſeſſione aliquatenus probantium; minori aſſenſu Evangelicorum. 39. 40. Tractatio Oſnabrugæ cum Monaſterienſibus inſtituta. 41. Lis de objecto Tractationis, an ſcil. Evangelicorum, an Pontificiorum Media pro eo babenda. Evangelicorum Argumenta. 42. Pontificiorum. Et de tollenda hac Lite conſilium. 43. Ab Evangelicis acceptum. 44. Horum ad removendam Transactionem temporariam conatus. 45. Tractatio inter Pontificios & Evangelicos reaſſumpta; & horum Præmonita. 46. Reſponſum Catholicorum ad ea. 47. Remedia Gravaminum ab Evangelicis rurſum propoſita. 48. Cæſareanorum eam in rem conſilium. 49. Pontificiorum de iis ſententia; & oblata alia media, ratione Bonorum Eccleſiaſticorum. 50. Ab Evangelicis itidem rejecta. Conventio de negotio per Cæſareos ac Svecos tractando. 51. SCtum Electorale in Propoſitiones Pacis. 52. Civitatum Imp. 53. Curiarum Conſulta de propoſ. Pac. Cæſareis exhibita. Horum Duplica ad Svecorum Replicam; de ſalvo Conductu pro Luſitanis; Cauſis belli Svecici; Bellum Svecorum an contra Imperium? Hiſpanum? Ad Claſſ. 1. de Amneſtia. Juribus Statuum. Gravaminibus. Reformatis. Commerciis.

Ad

Ad Claſſ. 2. de ſatisfactione Suecica, Haſſiaca, Militiæ. Ad Claſſ. 3. de auxilio Svecis à Gallo, & Hiſpanis à Cæſare non ferendo; & liberatione Braganti- ni. 54. Duplica ad Replicam Gallorum; in ſpecie de Pace inter Hiſpanos & Gallos; Lotharingo; Electione Regis Romani; ſatisfactione Gallica. 55. Projectum Inſtrumenti Pacis, Trautmansdorffii. 56. Svecorum & ceterorum Evangelicorum de eo ſententia. 57. 58. Evangelici diviſi in Zelotas; 59. Remiſſos, 60. Et Medios, malè ideò à Zelotis habitos. 62. Trautmansdorffii conſilium de componendis Gravaminibus; à Proteſtantibus neglectum. 63. Gallorum. 64. Itidem ab Evangelicis rejectum. 65. Der Cathol. Hauptſächl. Erklärung über die Religions-*Gravamina.* 66. Der Evangel. fernere Gegen-Erklärungs-Puncten. 67. Der Cathol. weitere und endliche *Compoſitions*-Vorſchläge. *68. Non omnibus Catholicis probata. 69. Satisfactio Regum, Cæſareorum de ea conſilia. 70. Satisfactio Gallica. Bavari in eam rem conſilium. 71. A Cæſareis acceptum, primò id diſſimulantibus. 72. Cæſareorum oblatio. 73. Spreta à Gallis. Ab Auſtriacis adjectis conditionibus reſtricta. 74. Gallorum ad eos Declaratio. 75. Cæſareorum oblatio erga Svecos. 76. Brandenburgiorum ob Pomeraniam oblatam querimoniæ. 77. Evangelicorum interceſſio apud Svecos; & de ipſa re ſententia. 78. Interceſſio iterata. 79. Judicia quorundam ex ipſâ domo Brandenb. pro Svecis. 80. Poſtulata Caſſellana; etiam*

iam Evangelicis improbata. 81. Publica de iis conſultatio. 82.83. Cauſa Palatina. Judicia de Palatini proſcriptione; Evangelicorum. 84. Brandenburgiorum poſtulata pro Palatino. 85. Acre Bavari reſponſum. 86. Evangelicorum cura in cauſa hac componenda. 87. Rationes componendæ ei allatæ. 88. A Palatinis rejectæ. Svecorum conſilium de alternatione Electoratus; ſpretum à Bavaro. 89. Palatinorum Queſtus & Poſtulata. 90. Bavaricorum ad ea reſponſum. 91. Simultas Auſtriacorum & Bavarorum; & iſtorum contra Bavarum conſilia & conatus. 92. Evangelicorum deliberatio ſuper noviſſimis Pontificiorum conditionibus. Magdeburgiorum Zelus in impugnando Reſervato Eccleſiaſtico. 93. A ceteris Evangelicis non omnino probatus. Eorum ſententia pro Autonomia. 94. Colloquium Evangelicorum Monaſterienſium atque Oſnabrugenſium Lengericam indictum; eorum diſſidio ſuſpenſum. 95. Inſidioſa Cæſareorum Quæſtio, Evangelicis de ſatisfactione militis propoſita, ab Evangelicis alio aſtu eluſa. 96. Conventus Lengeranus Evangelicorum. Der Evangel. endliche Gegen-Erklärung. *97. Controverſia Urbium Imp. cum Nobilitate immediata de Præcedentia. Nobilium Argumenta. Urbium. Medium compoſitionis. 98. Declaratio Evangelicorum exhibita Cæſareis. 99. Catholicis; in diverſas ſententias ſciſſis. Bavaricorum oblatio erga Evangelicos. 100.* Der Cathol. Bedencken/ *ſuper dicta Declaratione. 101. Evangelicis per*

Cæſa-

Cæſareos ſignificata. 102. Evangelicorum inde indignatio. 103. Et ad Coronas *refugium. 104. Judicia de Pontificiorum duritie. 105. Eorum auctus animus, unde. 106. Saxonicorum Electoralium Media in P. Gravaminum. Evangelicis Oſnabrugenſibus ſummè improbata; ſecus à Monaſterienſibus. 107. Nova lis de Loco atque ordine tractandorum Gravaminum mutandis, atque excludendis Suecis. 108. Cæſareorum eam in rem hortamenta erga Evangelicos Monaſterienſes. 109. Horum aſſenſus; & Suecorum inde atque Oſnabrugenſium indignatio. 110. Conventus Saxonicorum in pago Lengerich. 111. Tractatio de Gravaminibus Monaſterii ſuſcepta. 112. Inter Deputatos utriusque partis. Alia inter* C*æſareos, Suecos, & Proteſtantes. 113. Ab Oxenſtiernio turbata. 114. Nova* Catholicorum *oblatio. Proteſtantibus non ſatis grata. 115. Recompenſatio pro Pomerania à Brandenburgiis poſtulata; ab ipſis Evangelicis improbata. 116. Suecorum agendi hac in re ratio; Evangelicis moleſta ſuſpectaque. 117. Nova Suecorum Poſtulata.* C*æſareorum in plerisq; adſenſus. 118. Queſtus Brandenburgiorum. 119. Friderici Holſati, ob Archiepiſcopatum Bremæ Suecis cedendum. 120. Poloni interceſſio ratione Pomeraniæ. 121. Brandeburgiorum vehementia. Ablegatorum Provinciæ* P*omeraniæ conſilium; nemini probatum. 122. Legati à* C*æſareis & Gallis ad Brandenburgium perſvadendum miſſi. Galli oblatio. 123. Electoris reſponſum, Gallo. Ablegatis Electoralium. 124.* C*æſareorum.*

iam Evangelicis improbata. 81. Publica de iis conſultatio. 82. 83. Cauſa Palatina. Judicia de Palatini proſcriptione; Evangelicorum. 84. Brandenburgiorum poſtulata pro Palatino. 85. Acre Bavari reſponſum. 86. Evangelicorum cura in cauſa hac componenda. 87. Rationes componendæ ei allatæ. 88. A Palatinis rejectæ. Svecorum conſilium de alternatione Electoratus; ſpretum à Bavaro. 89. Palatinorum Queſtus & Poſtulata. 90. Bavaricorum ad ea reſponſum. 91. Simultas Auſtriacorum & Bavarorum; & iſtorum contra Bavarum conſilia & conatus. 92. Evangelicorum deliberatio ſuper noviſſimis Pontificiorum conditionibus. Magdeburgiorum Zelus in impugnando Reſervato Eccleſiaſtico. 93. A ceteris Evangelicis non omnino probatus. Eorum ſententia pro Autonomia. 94. Colloquium Evangelicorum Monaſterienſium atque Oſnabrugenſium Lengericam indictum; eorum diſſidio ſuſpenſum. 95. Inſidioſa Cæſareorum Quæſtio, Evangelicis de ſatisfactione militis propoſita, ab Evangelicis alio aſtu eluſa. 96. Conventus Lengeranus Evangelicorum. Der Evangel. endliche Gegen-Erklärung. *97. Controverſia Urbium Imp. cum Nobilitate immediata de Præcedentia. Nobilium Argumenta. Urbium. Medium compoſitionis. 98. Declaratio Evangelicorum exhibita Cæſareis. 99. Catholicis; in diverſas ſententias ſciſſis. Bavaricorum oblatio erga Evangelicos. 100.* Der Cathol. Bedencken/ *ſuper dicta Declaratione. 101. Evangelicis per*

Cæſa-

Cæſareos ſignificata. 102. Evangelicorum inde indignatio. 103. Et ad Coronas refugium. 104. Judicia de Pontificiorum duritie. 105. Eorum auctus animus, unde. 106. Saxonicorum Electoralium Media in P. Gravaminum. Evangelicis Oſnabrugenſibus ſummè improbata; ſecus à Monaſterienſibus. 107. Nova lis de Loco atque ordine tractandorum Gravaminum mutandis, atque excludendis Svecis. 108. Cæſareorum eam in rem hortamenta erga Evangelicos Monaſterienſes. 109. Horum aſſenſus; & Svecorum inde atque Oſnabrugenſium indignatio. 110. Conventus Saxonicorum in pago Lengerich. 111. Tractatio de Gravaminibus Monaſterii ſuſcepta. 112. Inter Deputatos utriusque partis. Alia inter Cæſareos, Svecos, & Proteſtantes. 113. Ab Oxenſtiernio turbata. 114. Nova Catholicorum oblatio. Proteſtantibus non ſatis grata. 115. Recompenſatio pro Pomerania à Brandenburgiis poſtulata; ab ipſis Evangelicis improbata. 116. Svecorum agendi hac in re ratio; Evangelicis moleſta ſuſpectaque. 117. Nova Svecorum Poſtulata. Cæſareorum in plerisq; adſenſus. 118. Queſtus Brandenburgiorum. 119. Friderici Holſati, ob Archiepiſcopatum Bremæ Svecis cedendum. 120. Poloni interceſſio ratione Pomeraniæ. 121. Brandeburgiorum vehementia. Ablegatorum Provinciæ Pomeraniæ conſilium; nemini probatum. 122. Legati à Cæſareis & Gallis ad Brandenburgium perſvadendum miſſi. Galli oblatio. 123. Electoris reſponſum, Gallo. Ablegatis Electoralium. 124. Cæſareorum.

Lib.

LIB. IV.

1. Evangelicorum Interceſſio à Brandenburgicis deſiderata. Iſtorum eam in rem dubia; certo modo tandem annuentium. 2. Ad eam Interceſſionem Reſponſio Cæſareorum. 3. Svecorum. 5. Ultima horum propoſitio. 6. Brandenburgiorum ad eam Declaratio. Inter utroſque tandem conventum. 7. Recompenſatio Brunſvicenſis. 8. Controverſia de Bremenſi Seſſione. Bavari invectiva in Svecos ob arrogatum primum locum; & agitatam ſui excluſionem è Principum Curia. Media componendæ huic liti allata; ſopitæ. 9. Continuatio Tractationis de Satisfactione Gallica; oblatæ à Gallis conditiones. 10. Queſtus Wirtembergiorum. 11. Lindavienſium. 12. Pronis Evangelicorum auribus accepti. 13. Tractationis de Satisfactione Gallica capita. 14. Legatio Svecica ob cauſam Palatinam Lutetiam miſſa. 15. Fruſtra. Palatinorum in re differenda conſilia. Exigua à Gallis ſpes. Neoburgi induſtria in aſſerenda communis Domus dignitate. 16. Colloquia in P. Gravaminum inter Cæſareos, Svecos & Evangelicos inſtituta. Difficultas ob terminum Reſtitutionis, eosque, qui ante iſtum terminum læſi. Ob Epiſcopatum Mindanum & Oſnabrugenſem; Locum Evangelicis Epiſcopis aſſignandum; Autonomiam. 17. Judicia de Evangelicis. 18. 19. Ipſorum Evangelicorum. In ſpecie ratione Autonomiæ. 20. Nova & mitiores Cæſareorum conditiones. 21. Ab Evangelicis itidem ſpretæ. 22.

Objur-

Objurgatis ideò à Cæſareis. 23. Reſponſum Evangelicorum dilatorium. Alia rurſum Cæſareorum oblatio. Evangelicis non omninò ingrata. 24. Reſtauratum inde inter Volmarum & Salvium colloquium; nullo ſucceſſu. 25. Conventus inter *Cæſareos, Svecos, & Evangelicos repetiti. Difficultas ob Avtonomiam in terris Auſtriacorum. 26. Saxonicorum Electoralium inde indignatio & expoſtulatio cum* Cæſareis. *28. 29. Projectum ſecundum Inſtrumenti Pacis* Cæſareanorum. *Ab iis mitigatum. 30. Deliberatio in id Evangelicorum. 31. Projectum Svecorum. A* Cæſareis *improbatum. Laudatum etiam à* Pontificiorum *quibusdam. 32. Largior* Cæſareorum *oblatio. Evangelicis maxima ex parte probata. 33. Unica ferè difficultas in Avtonomia Auſtriacorum. 35.* Plerarumqve *controverſiarum compoſitio; reliquis Monaſterium rejectis. 36. Inſtituta Monaſterii Tractatio.* Pontificiorum *adverſus Tractata contradictio. 37. Eorum Querelæ contra* Cæſareos. *38. 39. Cæſareorum Apologia; 40. Trautmansdorffii abitus. 41. Tractatio inter Lambergium, Volmarum, & Salvium continuata. Aſſiſtentia Auſtrio-Hiſpanica. 42. Bavari in ea re pro Gallis ſtudia. Temperamenta à quibusdam propoſita. 43. Satisfactio Caſſellana à Gallis ſuſtentata. Cæſareorum oblatio; ubique rejecta. 44. Continuatio Tractationis Caſſellanæ. 45.* Catholici *ob Caſſellana Poſtulata Transactionem Gravaminum confirmare recuſant. 46. Suſpicio & ſollicitudo Evangelicorum ex*

Pon-

Pontificiorum litteris ad Bavarum, ab ipſis Bavaris communicatis. 47. Epiſtola Muhlmanni Jeſuitæ, Egræ à Svecis inventa. 48. Et Cæſareorum ambiguitate. 49. Oxenſtiernii minæ de retractandis pactis. A Salvio explicatæ mitigatæque. 50. 51. Reſtaurata Tractatio. Ejus difficultates. Alexandri Erskenii pro Exulibus Auſtriacis ſtudia. Bavaricorum ad pacem promovendam promiſſa. 52. Erskenii poſtulata pro Auſtriacis Evangelicis. 53. Colonienſis & Oſnabrugenſis armiſtitium cum Svecis & Landgravia renunciant. Colonienſis litteræ ad Landgraviam, Wrangelium, & Kœnigsmarkium. 54. Reſponſum Landgraviæ. 55. Kœnigsmarkii. 56. Spes Evangelicorum ex Bavaro & Colonienſi. 57. Eorundem ſuſpicio in Bavarum. Leuxelringii Auguſtani pro bello conſilia. Catholici in quatuor factiones diviſi. 58. Volmari Tractatio à Proteſtantibus expetita. 59. Cæſareorum in protrahendo pacis negotio conatus; Saxoni, Bavaro, aliisq; Catholicorum improbati. 60. Saxonicorum officia apud Cæſareos, ad celerandam pacem, horumque reſponſum. 61. Poſtulatum Gallorum, ut Auſtriaci Landgraviorum Alſatiæ titulo abſtinerent. 62. Et in decem Civitates Præfecturæ Hagenavienſis. Procerum pro iis, ut & Lotharingo, ac Imp. Vaſallis Metenſibus &c. ſententia. 63. Conditiones Palatinis à Cæſareis oblatæ. Palatinorum Declaratio. 64. Svecorum pro Palatinis ſtudia. 65. Käiſerl. *Commiſſions-Decret, in Cauſa Palatina. Præſertim de*

novo

novo Electoratu inſtituendo. 66. *Deliberatio & ſententia Procerum de cauſa hac, & inſtitutione octavi Electoratûs. Electoralium. Equeſtris Imp. Ordinis, Svecorum.* 67. *Deputatio Imp.* Collegiorum *ad Svecos in hac cauſa. Evangelicorum conſilium, à Svecis comprobatum.* 68. *Palatinorum repugnatia; irrita, Cauſâ ad Bavari votum deciſâ.* 69. *Armiſtitium Gallo-Sveco-Bavaricum.* 70. *Legatio contra eam rem à Svecis Lutetiam amandata.* 71. *Fruſtra. Induciæ perfectæ. Improbatæ* Cæſari. 71. *Hujus ad Bavarum litteræ.* 73. *Bavari reſponſum.* 74. *Rixa Auſtriacorum cum Bavaricis.* 75. *Werthii Bavaricæ militiæ Ducis ad Cæſarem defectio. Suſpicio inde Svecorum in Bavarum; Et ad eum Wrangelii literæ, atque Legatio. Bavari reſponſum.* 76. *Et literæ ad Cæſarem.* 77. *Hujus reſponſum.* 78. *Induciæ à Bavaro Svecis renunciatæ.* 79. *Regina ad illum reſponſum.* 80. *Et litteræ ad Galliũ. Reginam matrem, &* Cardinalem *Mazarinum.* 81. *Joannis Erneſti, Legati Bavarici ad Legatos Svecicos Reſponſum.* 82. *Evangelicorum inde metus; Erneſti Bavarici Legati conteſtatione mitigatus.* 83. *Satisfactio Militiæ Svecicæ, ab Erskenio flagitata; atq; inde tam Evangelicorum qvàm* Pontificiorum *conſternatio.* 84. *Litteræ Cæſaris ad Ordines Imperii.* 85. *Continuatio Tractationis Gravaminum. Cæſar bellum malle ſuſpectus.* 86. 87. *Increpitus à Bavaro.* 88. *Cæſareorum profeſſum tardandæ in Hiſpanorum gratiam pacis ſtudium* 89. *Tractatio Oſnabru-*

 nabru-

nabrugæ à Volmaro reaſſumpta. Bavaricorum pr Pace, & contra Pontificios auſteriores vehementi. 90. Nuncii Apoſtolici Proteſtatio ad Proceres Ponti ficios. 91. Pontificis neglectus. 92. Hiſpanorum co natus in impediunda pace; ſuſtentatorum à Cæſarei ingenti Pontificiorum pacificorum indignatione. 93 Saxonis conſilia Armorum reſumendorum; contra Brandenburgii. 94. Evangelicorum inſtantia apua Cæſareos ob maturandam pacem. 95. Cæſarei conventis cum Trautmannsdorffio ſtari poſſe negant. Præcipua Puncta Catholicis improbata. 96. Catholicorum Declaratio ad Cæſareorum poſterius Projectum Inſtrum. Pacis; in puncto Satisfactionis Svecicæ. 67. Evangelicorum è contra inſtantia. 98. Cæſareorum queſtus ob nova Svecorum poſtulata, ratione Satisfactionis. Svecorum excuſatio. 99. 100. Saxonici Electoris de his Tractatibus ſententia.

Lib. V.

1. Ulterior Evangelicorum Declaratio de Projecto Cæſareo Inſtrumenti Pacis. 2. Caſſellanorum turbamenta. 3. Longovillani Ducis abitus. 4. Catholicorum reſponſum ad Evangelicorum declarationem. 5. Conventus quorundam Catholicorum & Evangelicorum, ex ipſis Evangelicis quibusdam improbati. 6. Cæſarei Evangelicis novas conditiones afferunt. 7. Pontificiis Conventus iſtos exprobrant. Saxonicus Electoralis iis abſtinere jubetur. 8. Congreſſus Cæſareorum cum Svecis. 9. Cum Electoralibus, Saxonicis & Brandeburgicis. 10. Reli-

quis

quis Evangelicorum Deputatis. 11. Horum adverſus Catholicos querelæ. Iſtorum reſponſum; pactis Trautmansdorffianis ſtare conſtanter negantium. 12. Alius tractandi modus ab Evangelicis in medium allatus; Cæſareis, Catholicis, & tandem etiam Oxenſtiernio probatus. 13. Tractationis impedimentum à Saxonicis Electoralibus, atque Gallis. 14. Tractatio rurſum ſuſcepta. Cauſæ nimirum adhuc controverſæ. 15 Punctus Juſtitiæ tractatus, & transactus. 16. In Puncto Avtonomiæ Cæſareorum conditiones. 17. Svecis & Evangelicis ingratæ; Evangelicorum moderata conſilia, & conditiones. 18. Svecis non adverſæ. Secus Cæſareis, & ceteris Pontificiis. 19. Poſt varias difficultates Punctus iſte tandem transactus. 20. Caſſellani de ſatisfactione ſua tractari petunt; Pontificiis & Cæſareis in Gravaminibus atque Amneſtia, præſertim Auſtriæ Exulum pergendum contendentibus. Punctus de Senatu Auguſtano, & de Compenſatione Brandenburgica ac Brunſvicenſi transactus. 21. Renovata lis de ordine tractandæ Amneſtiæ Exulum, & ſatisfactionis Caſſellanæ. 22. Evangelicorum & Catholicorum ad obſtaculum illud removendum conſenſus; neglectus à Cæſareis. Diſceptatio de Exulibus in aliud tempus dilata. 23. Nova Caſſellanorum Poſtulata. 24. Satisfactio Caſſellana in certis articulis transacta. 25. Continuatio Tractationis Amneſtiæ. 26. Cauſa Badenſis. Ejus origo. 27. Evangelicorum conſilium de transactione à Durlacenis incunda. 28.

Cauſa Badenſis proviſionaliter tranſacta. 29. Punctus Amneſtiæ usque ad cauſam Caſſellanam ſubſcriptus. Cauſa Exulum reſumta; atque ejus difficultates. Ea à Svecis auro prodita. 30. Svecorum diſſimulatio pacti eam in rem initi. Evangelicorum contradictio. 31. Procerum de ea re conſultatio & ſententia Auſtriaci. 32. Ejusdem de ſatisfactione militis Svecici. 33. Ceterorum. 34. Deputatorum ab Ordinibus labor pro Exulibus apud Cæſareos initus. 35. Circuli Svecico, Cæſareo, & Bavarico militi adſignati; reliquis omnibus negati. 36. Bavarorum ultra poſtulatum. 37. De Reformatis, an ii ſub Pace Religionis comprehenſi? Affirmativa. 38. Negativa. 39. Lutheranorum de ea illis communicanda ſententia. 40. Tractatus de hac re. Lutherani Reformatos ad Pacem Religionis admittunt; at cum conditione non reformandi Lutheranos. 41. Rejecta à Reformatis; ad Svecorum opem confugientibus; à quibus non ex voto accipiuntur. Suborta inde Quæſtio, an Jus Reformandi juri ſuperioritatis annexum ſit. Negativa. 43. Affirmativa. Sententia media. 44. 45. Continuatio Tractationis cum Reformatis. 46. Batavorum literæ ad Evangelicos pro Reformatis. 47. Reſponſum Evangelicorum. 48. Svecorum temperamentum, partibus non omnino ingratum. Variæ formulæ. 49. Nova Reformatorum poſtulata; rejecta à Lutheranis. 50. Brandeburgiorum Projectum; ab iſtis itidem repudiatum. 51. Aliam exhibentibus, Reformatis quoque tandem pro-

probatam. 52. Cauſa Reformatorum transacta. Electoris Saxoniæ Proteſtatio. 53. Projectum *Cæſareorum novum Inſtr. p. 54. Conſultatio Ordinũ, de ſatisfactione militis. 55. Concluſum. 56. Oxenſtiernii ad illud declaratio. 57. De ea Ordinum ſententia; in ſpecie, de* Puncto *Executionis & Aſſecurationis* Pacis *cum* Puncto *ſatisfactionis militiæ jungendo. 58. Oxenſtiernii inſtantia. 59. Altercatio cum Bavaricis. 60.* Continuatio *tractationis de ſatisfactione militis Suecici. 61. Ordinum oblatio qvatuor millionum; ſpreta. 62. Satisfactio pro milite ipſorum Caſſellanis flagitata. 63. Negata ab Ordinibus, & præcipuè à Saxone impugnata. 54. Monaſterienſium contradictio in puncto ſatisfactionis militis Suecici. 65. Oſnabrugenſes ſex tonnas florenorum offerunt; fruſtra. 66.* Principum *Curia qvinqve tandem thalerorum milliones Suecis certo modo decernit; adſentiente tandem Septemvirorum atqve Urbium Collegio. 67. Sveci rem, non modum acceptant. 68. Monaſterienſium Decretum contra Conceſſionem iſtam; & Cæſareorum qverelæ. 69. Oſnabrugenſium conatus, Gallicum qvoqve negotium Oſnabrugam Monaſterio trahendi; recuſante Servientio. 70. Et multo magis Cæſareanis. 71. Inſtitutæ nihilominus iſtorum deliberationi intercedentibus. 72. Ordinum ad iſtorum obteſtationem reſponſum. Tractatio Oſnabrugæ abrupta. 73. Senatus Auguſtani renitentia contra transacta paritatem. 74. Evangelicorum Procerum literæ ideo ad*

Cæſarem. 75. Ad Senatum Auguſtanum. 76. Hujus reſponſum. 77. Continuatio tractationis de ſatisfactione militis, ratione ſolutionis & aſſecurationis. 78. Reginæ Sveciæ literæ excuſatoriæ ad Ordines. 79. Cæſareorum inſtantia ob ipſorum militem. 80. Termini ſolutionis cum Svecis conventi. 81. Notæ Svecorum ad noviſſimum Cæſareanorum Inſtrumentum. 82. Continuatio de Amneſtia & reſtitutione Exulum Auſtriacorum; tandem tranſacta. 83. Singularis Catholicorum & Evangelicorum concordia. 84. Tractationis impedimentum à Cæſareorũ in Hiſpanos ſtudio. 85. Injectæ inde novæ quæſtiones difficultateſq;. 86. Ab Ordinibus ſolutæ. 87. Inſtrumentum Pacis à Cæſareis, Svecis, & Oſnabrugenſibus perfectum. De ſubſcriptione ſenatorum Regni Sveciæ. 88. Inſtrumentum Pacis coram Ordinibus recitatum. Eorum ad id Monita. 89. Altercatio ob ſatisfactionem militis Caſſellani. 90. Deputati ex Ordinibus ad ſubſcriptionem Inſtrum. Pac. Suſcriptio ob Gallos dilata. 91. Contentio de loco Pacem Gallicam tractandi. Oſnabrugenſium ſententia. 92. Lambergii Craniiq; reſponſum. 93. Cæſareorum Reſponſum. Oſnabrugenſium, etiam Pontificiæ *partis, inde indignatio. 94. Monaſterienſium* Proteſtatio *contra Oſnabrugenſes. 95. Irrita. Declaratio Servientii ad* Projectum *Inſtrum. Pac. 96.* Procerum *de ea ſententia. 97. Lis de immediatis Imp. Statibus Alſatiæ, Metis, Tulli, & Viroduni. 98. Tractatio Deputatorum cum Servientio 99. Gallus Imp. Ordi-*

Ordinibus adſcribi offert. 100. *Procerum quorundã de dictis ſtatibus ſententia.* 101. *Salvii irrita apud* Servientium *preces;* & *conſilium.* 102. 103. *An Alſatia Gallo cum qualitate ſtatûs Imp. conferenda.* 104. *Electorum* & *Principum ſententia affirmativa.* 105. *Contra, Urbium.* 106. *Cæſareorum cum quibusdam Urbibus ſermo,* & *illecebræ; ob negotiationem Oſnabrugam non transferendam.* 107. *Fruſtra. Earum conſenſus de negotiatione iſta Oſnabrugæ ſuſcipienda.* 108. *Suſcepta. Declaratio ſtatuum in* Puncto *ſatisfactionis Gallicæ.* 109. *Salvio oblatæ.* 110. *A Servientio rejectæ. Ejus adjecta Declaratio; ab Ordinibus accepta.* 111. *Ordinum literæ ad Regem Galliæ.* 112. *De auxilio Hiſpanis à Cæſare contra Gallum ferendo. Electoralium ſententia.* 113. *Servientii reſponſum.* 114. *Approbatum à Salvio. Hujus temperamentum.* Pleriſq; Procerum *probatum. Electoralium conſilium de re prius ad Cæſareos deferenda; diſſentiente* Principum Collegio; *cui* & *Electorales Urbesque accedunt.* 115. *Formulæ transactionis de iſto* Puncto. 116. *A Servientio improbatæ. Illius formula.* 117. *Res hæc ex parte Ordinum transacta; cum reſervatione conſenſûs Cæſarei.* 118. *Hiſpanica petiti Gallici de* Circulo *Burgundico à Pace Imp. excludenda* &c. *Refutatio. Irrita.* 119. *Nova Gallorum Poſtulata; remiſſa. Inſtrumentum* Pacis *Gallicum obſignatum* & *depoſitum.* 120. *Oſnabrugenſium re confecta iter Monaſterium;* & *apud Cæſareos excuſatio.* 121. *Horum Reſponſum.* 122. *Ser-*

vien-

vientii in Cæſareos ob ſtudium in Hiſpanos ſermones. 123. Cæſaris in pacem inclinatio. 124. Oſnabrugenſes ad accipiendum Cæſareorum Reſponſum unà cum Monaſterienſibus adeſſe jubentur. 125. Nota Cæſareorum ad inſtr. Pac. Gallicum, & de Pace Oſnabrugæ confecta reſponſum dilatorium. 126. Ordinum è contra. 127. Cæſareorum ſecreta inde indignatio. Et ad iſtos reſponſum. Conſilia contra Cæſarem pacem morantem. Jurgium inter Cæſareos & Bavaricos. 128. Colloquium Brunii cum Saxonicis. 129. Cæſareorum tergiverſatio. 130. Conſultatio cum Electoralibus, & Hiſpanis. 131. Pacem Gallicam tandem acceptantium. 132. Nova ſignandi Inſtrumenti Gallici impedimenta, à Gallis, Suecis remota. 133. Renata. Contentio inter Saxonicos & Brandenburgicos ob Juliaci Ducis titulum; ſopita. 134. Oxenſtiernius Inſtr. Pac. Monaſterii ſubſcribere recuſat; tandem certis conditionibus annuit. 135. Dies ſubſcriptioni præſtituta. 136. Ob Oxenſtiernium & Cæſareos dilata. 137. Pax tandem ſubſcripta. 138. Publicata.

HISTO-

HISTORIA PACIS WESTPHALICÆ.

Lib. I.

SUMMARIA.

1. *Introitus ad Tractationem operis.*
2. *Tentata belli Germanici compoſitio Francofurti; Propoſitio Cæſareanorum ibi facta; Evangelicorum ad eam Reſponſum; irrito ſucceſſu.*
3. *Tractatus alii; præliminares Hamburgi tranſacti, ad ſuſcipiendam tractationem Monaſterienſem atque Oſnabrugenſem.*
4. *Digreſſio, ipſius operis prævia, de Cauſis Belli Germanici civilis.*
5. *Cujus præcipua origo ex religione, & Lite inde, circa Bona Eccleſiaſtica, exorta.*
6. *Principia, occaſiones, & quaſi præludia iſtius belli; videlicet, Motus Truchſeſſiani.*
7. *Electio Epiſcopi Argentinenſis inter Pontificios, atque Evangelicos Capitulares controverſa.*
8. *Proſcriptio Urbis Donaverdæ.*
9. *Succeſſio Juliacenſis.*
10. *Unio, Liga.*

 11. Bel-

11. *Bellum Bohemicum.*
12. *Fœdus contra Domum Auſtriacam.*
13. *Bellum Danicum.*
14. *Meckelburgiorum ejectio.*
15. *Ferdinandi II. Imp. nimia & periculoſa conſilia.*
16. *Evangelicis maximè infeſti, in quos Edictum Reſtitutionis de A. 1629.*
17. *Proceſſus contra immediatam Imp. Nobilitatem.*
18. *Procerum Imp. querelæ adverſus Ducem Fridlandium. Fœdus Lipſienſe.*
19. *Cauſæ Juſtificæ Belli illati à Svecis, Gallis; utriusq; cauſa vera & ſuaſoria.*
20. *Succincta Deſcriptio Status Europæi tempore Tractationis Weſtphalicæ, & quidem.*
21. *In Italia.*
22. *Hiſpania.*
23. *Britannia.*
24. *Gallia.*
25. *Polonia & Dania, denique*
26. *In ipſa Germania.*

I.

ANnum jam qvartum decimum Germania noſtra expleverat, ex qvo, poſt audita primum Svecorum arma, non ſuis minus quam peregrinis viribus lacerata animam agere videbatur, in campo Martio fatali rogo cremanda, funus ducturis, qvi funus eam feciſſent, & qvo-

qvorum oculis atqve oblectationi ceciderat. Non certe unquam atrocioribus Populi Germanici cladibus, magisve juſtis judiciis approbatum fuerat, non eſſe curæ Deo ſecuritatem noſtram, eſſe ultionem; cum tandem beatioris ſeculi ortum pacis aliqua ſpe oblata promitteret clementiſſimum Numen, aut pacatum malis noſtris, aut victorum ſuperbiæ iratum. Verum, ut naturâ humanæ infirmitatis tardiora ſunt remedia qvam mala, & corpora lente augeſcunt, cito extingvuntur, ſic pacem facilius expulimus, quam revocavimus; neque mirum erat, tantum bonum, atqve Germaniæ (ſi præſertim prima belli tentamina computes) jam fere ignotum non niſi diuturni temporis laborisq; contentione reparari potuiſſe.

II. Sæpius equidem tentata fuerat Germaniæ ſibi aliisq; conciliandæ ratio, ſed irrito conatu, nondum exactis calamitatibus, qvas peccatis noſtris divinum Numen deſtinaverat. Invitaverant jam Pontificii proximo poſt illata à Guſtavo Adolpho Cæſari ſociisqve arma Evangelicos ad procurandum mutuæ pacis negotium, cui, accedente Saxonis atque Brandenburgii Electorum conſenſu, diem tertium Menſis Auguſti, locumq;, Francofurtum ad Mœnum deſignaverant; quò (a) pudore magis, & ne officio ſanciendæ concordiæ deeſſe viderentur, qvam ejus obtinendæ fiducia, Compoſitions-Tag in Franckfurth/ A. 1631.

 ſe

(a) *Theatr. Europ. Tom. II. p. 413. -- 425. Mith. Caſp. Lundorp. Act. pub. Tom. IV. l. 2. c. 1.*

ſe plurimi Evangelicorum contulere, certi, conditiones adſpernari, qvibus adverſam partem felicitati ſuæ, & Ferdinandi opibus præſidentem, demoveri poſſe, nemo ſperabat. Cæſar qvoqve Joannem Caſparem ordinis Teutonici in Pruſſia Adminiſtratorem, Hermannum Baronem Qveſtenbergium, & Conradum Hildenbrandum JCtum eò miſerat, ſuas ibi partes implere. Hi

d. 5. Septemb. A. 16,1.

ergò conſcripto Ordinum Senatu mandata ſua exponentes, ut in medium afferrent Evangelici, ſi qvæ haberent, reducendæ pacis conſilia, exhortabantur, modo Imperii legibus, Paci Religionis, & præſertim promulgato Cæſaris juſſu ipſaqve æqvitate nixo de reſtituendis bonis Eccleſiaſticis Edicto non adverſa, & qvorum arbitrium Imperatori, ut unico ſupremoqve litium harum Judici ſalvum integrumq; maneret. At verò Evangelicis neq; Judicem competentem, neqve ſententiam juſtam cauſantibus, & ut ex Saxonis Conſilio *interdicto uti poſſidetis* & annum milleſimum ſexcenteſimum ad vigeſimum exigendo controverſiæ hæ componerentur petentibus, ex qvo ſcilicet utraqve pars Juribus Boniſve in perpetuum fruerentur, tempore iſto cuicunqve poſſeſſis; eoqve impetrato ſe omni prætextui in reliqva ſacra Bona renunciaturos, & *Reſervato*, ut vocant, *Eccleſiaſtico* ſuum in poſterum robur permiſſuros ſpondentibus, omnino id ſceleris in ſe admiſſuros negavere Catholici, nunqvam *Re* per Edictum iſtud

judica-

judicata ſe deceſſuros affirmantes, *de Modo* tantum *Executionis* tractationem inituri, in iſtorum ſcilicet ſolatium, qvi eo ſe læſos legitimis argumentis probare poſſent. Excepta qvoqve vox eſt hominis, non poſtremæ inter Pontificios dignitatis, negantis, *ſe impudentiam Evangelicorum ſatis* (b) *mirari poſſe, tam enormia eo temporum rerumq; ſtatu flagitare audentium, qvo non Catholici ipſorum, ſed ipſi Catholicorum poteſtati manuiq; obnoxii eſſent.* Ita cum nec iſti tam exigua acceptare, nec hi plura largiri vellent, Catholici infecta re & inſalutatis Evangelicis abierunt, ſcripto per Moguntini Legati Scribam, poſtqvam abſceſſerant, oblato mandatorum utriusqve partis inopiam, ob vias militibus hinc inde inſeſſas adeoqve intutas tam facile non ſarciendam, neceſſitatem abeundi Legatis Cæſaris partim ob valetudinem minus commodam, partim ob alia negotia impoſitam, aliaque diſceſſui ſuo obtendentes, adjectis, qvibus non omnem ſpem pacis abitu ſuo ſublatam ſe velle, ſed idonea magis ejus curandæ tempora expectare, profitebantur.

III. Nec meliori ſucceſſu poſtea opus hoc Mulhuſiam deſtinatum, tentatum Schœnbeckæ, Francofurti reſumtum, aut Pragenſi deniqve pactione per- Tractatus alii.

(b) Sie verwunderten ſich zum höchſten/ was die Evangel. gedencken müſten/ ihnen dergleichen Zumuthung zu thun/ da ſie doch itzo in ihren (der Cathol.) und nicht dieſe in jener Händen wären.

perfectum eſt, concordiâ ab Imperatore atqve Saxone cæteriſq; Evangelicis iis conditionibus ſancitâ, qvæ neqve pacem facerent, neqve bellum ſinebant. Quin remedium illud ipſo ferè malo deterius, & ob excluſos Svecos irritamentum belli magis qvam medelam fuiſſe, triſti eventu probatum eſt. Poſt varios tandem Tractatus, Tractatuumqve conamina Hamburgi demum inter Conradum Luxavium Auſtriacum, Memmium Claudium, Gallium, atqve Jo. Adlerum Salvium Svecum, Dani opera, de tempore locoque tractandæ Pacis, illorumqve Legatorum commeatu, qvos qvisqve miſſurus eſſet, eum in modum conventum, ut cum Gallo Monaſterii, cum Svecis Osnabrugæ ageretur. Negotio inchoando vigeſima & qvinta Martii ſecuturi anni dies dicta, poſtea [c] ad XI. Jul. Anni qvadrageſimi tertii prolata. Commeatus literas ad Negotiationem Monaſterienſem Imperator cum Rege Catholico, Gallo, Svecis, Sabaudæ, Batavis, Treviro, Comiti Palatino, Ducibus Brunſvicenſibus, & Landgraviæ Haſſiæ, cæteriſq; Imperii Proceribus, Gallico fæderi innexis; Gallus, Cæſari, Hiſpano, ipſorumqve ſociis, Colonienſi, Bavaroqve Septemviris; Osnabrugam autem eundi Cæſar cunctis, qvibus Monaſterium tendendi ſecuritatem ab eo datam modo diximus, excepta Sabauda, qvod ibi compare-

Tractatus præliminaris Hamburgenſis pro Tractatibus Pacis Vniverſalis Monaſterii & Osnabrugæ inſtituendis. 15. & 25. Decem. A. 1641.

(c) *Lundorp. Tom. V. Lib. II. c. 50.*

parere ejus non intereſſe putabatur; Sveci Cæſari, Moguntino atque Bavaro Electoribus promiſêre.

IV. Cæterum, anteqvam deſtinata componam, repetendum videtur, quibus ex cauſis, occaſionibus, principiis tanta bellorum moles, cui tum ſubmovendæ laborabatur, coierit; qvalis, cum de pace agi cœptaretur, per Europam rerum ſtatus, qvis præſertim Germaniæ habitus, quæ belligerantium fortuna, & inde ſpei, metus, ſollicitudinis, fiduciæqve argumenta, ut non modò caſus eventusqve rerum, qvi plerumq; fortuiti ſunt, ſed ratio etiam cauſæqve noſcantur.

V. Prima tantum malorum religio ſvaſit, ſolenne iſtud turbarum claſſicum, more humani ingenii, nullas inimicitias infenſius exercere, qvam qvas diverſæ de Deo ejusqve cultu opiniones accenderint; malo, ipſius Chriſti vaticinio prædicto, cujus veritatem á Lutheri ZWingliiqve temporibus tantum non univerſa Europæ regna provinciæqve ſuis damnis comprobavere. Vehementius, ſi cum aliis comparetur, clades hæc Germaniam adflixit, mutuis ſuſpicionibus primum, dein qverelis, denıqve bellis agitatam, qvæ Paſſavienſi Tranſactione, mox Auguſtana Pace utcunqve pacata, tranquillitatis uſum magis qvam ſecuritatem reddidere, ſimultatibus partim cineri adhuc doloſo ſuppoſitis, in novam eamqve atrociorem erupturis flammam, ubi melioris fortunæ ſpes, aut

INTESTINI BELLI GERMANICI CAUSÆ præcipuè ex Religione.

virium incrementa, aut occaſionum commoditas qvietis patientiam diſſociatis ſua ſponte animis excuſſiſſent, Et tracta ipſa Pacis conventio in (*d*) jurgiorum materiem, inde Evangelicis; hinc Pontificiis leges ejus aut iniqua interpretatione corruptas, aut vi, ambitu, fraudeve turbatas, conqverentibus, ingenti de Bonis ſacris poſt Transactionem Paſſavienſem occupatis, at majori fere de Reſervato Eccleſiaſtico, controverſia, Pacis Auguſtanæ ſanctione aucta magis, qvam ſublata. Et ne medicina ſuppeteret, laboranti tanta humorum intemperie Reip. opem latura, Judex deerat, qvi lites iſtas componeret; ſolito Germanis ex libertate vitio, apud qvos Cæſar multis exceptionibus, & precario Jure parendi imperitat; adeoque invalido ſummorum Tribunalium auxilio, ſententiis eorum non apud alios fere rei judicatæ auctoritatem obtinentibus, qvam qvorum in commodum latæ ſunt, aut qvibus virium imbecillitas obtemperandi neceſſitatem injungit. Ita graveſcentibus in dies publicis malis, ſubſidia minuebantur. Neque (*e*) argumenta Evangelicis deerant, qvibus, non Jure, ſed amica litigantium pactione diſſidia tranſigunda, contendebant; Pacem Auguſtanam partium conſenſu ſancitam, ideo

(d) *Vid. Gravamina Evangelicorum d. 15. Maj. 1559. apud Freyberg. Germ. perturb. & reſtaur. Part 2. Diſc. 13. Pontificiorum. Diſc. 14.* (e) *Freyberg. d. Diſc. 15. p. 162. Caraff. de Germ. ſacr. reſt. in p. 49. Edit. Francof.*

ideoqve enatas inde rixas, earundem conventione finiundas; qvascunqve Declarationes aut Conſtitutiones, Pacis iſtius legibus vetitas, ac ab ipſo Cæſare Spirenſi Dicaſterio edictum referentes, Ne contra illas aut actionem daret, aut qvidqvam eis adverſum decerneret. Ambitum qvoq; fori, & corrupta judicia incuſantes, Judices, ut iniqvos ejurabant, apud qvos partem alteram gratia prævalere manifeſtum eſſet, neque adeo dubiam pro Pontificiis ſententiam, ſi cauſâ cum iis agere inſtituerent; Catholicis (*f*) contra, Cæſarei id muneris eſſe, regerentibus, ſubortas inter Cives lites ad legum ſuis auſpiciis latarum formulam (inter eas & Pacem iſtam numerabant) definire; neqve qvæ contra Declarationes aut interpretamenta illius ſtatuta, Tribunalium cognitioni obeſſe, qvorum officium, injuria oppreſſis Juris remedio ſubvenire. Non etiam vano ſuſpicionis crimine infamari debere homines Cæſaris Procerumqve ſuffragiis ſupremis Dicaſteriis adlectos, nec collatam in eos publica lege poteſtatem in iſtorum gratiam revocari, qvibus, ſuæ nimirũ iniqvitatis conſciis, qvæcunqve Tribunalia non magis, qvam cuicunq; Reo placere poſſint. Ita ſpretis judiciis, unicis fere civilis ſocietatis vinculis, neq; ulla in partium transactione concordiæ ſpe, qvas Juris ſui fiducia, aut perſvaſio, ſeu potior qvovis Jure cupiditas multo altius imbuerat, qvam ut altera alteri conce-

(f) *Freyberg. d. l.*

cedere vellet poſſetve, nihil aliud ſupererat, qvam ut certamina iſta non ſententiæ Judicum, non hominum qvisquam diſceptator, ſed Campus Germanus, in qvo concurrendum erat, & arma atqve nimium communis Mars inteſtini belli decerneret. Verum ut majora incendia leviores plerumqve flammæ præcedere ſolent, metum potius omenqve futuræ ſtragis qvam præſens damnum illaturæ; ita præluſerunt venturæ calamitati varii motus, factiones, tumultus, meditamenta tentamentaqve bellorum civilium, at poſt aliqvot demum luſtra eo, qvo ſpectabant, proruptura, innata Germanis indole, tarditatem irarum gravitate penſare, ad ſumenda æqve ponendaqve arma difficiles.

PRINCIPIA, OCCASIONES & qvaſi præludia. MOTUS TRUCHSESSIANI, 1582

VI. Atqve ut inſigniora tantum turbamenta recenſeam, qvæ Germaniæ pacem ſua ſponte infidam magis ſollicitavere, ingentem aſperandæ diſcordiæ materiem Gebhardus Truchſeſſius Ubiorum Antiſtes ſuggeſſit. Hic, (g) illuſtri Waldburgiorum genere oriundus, Electoralem dignitatem, hæreditario forſan Jure Familiæ ſuæ adqviri poſſe, aut ſaltem dum viveret, cum conjuge ſvavius tanta fortuna ſe fruiturum ſperans, Agnetem Mansfeldiam ipſam qvoqve perpetuæ virginitatis voto obſtrictam, non ſine adverſa de eorum amoribus fama, ſibi deſponderat, Alberti Bran-

(g) *Thuan. Hiſtor. Lib. LXXVI. LXXIIX. & ſeqq. L. Maimbourg Hiſtoire du Luther. Lib. VI. p. 357. -- 380.*

Brandenburgii viam ingreſſus, qvi primus ex ſacris (*h*) Principibus, projecto Romanæ Sedis obſeqvio, & juncta ſibi matrimonio Dorothea Daniæ Regis filia, Pruſſiam, Teutonici ordinis Magiſtri titulo hactenus habitam, nomine Ducis ſub imperium acceperat, ſecurâ ejus poſſeſſione potitus, & Commilitonum tantum conviciis qveſtibusqve, atqve inani Spirenſis Tribunalis ſententia (*Banno*,) nullo belli periculo temeratâ; cujus felicitatem æmulatus poſtea Gotthardus Kettlerus, Churlandiæ ac Semigalliæ Principatum familiæ ſuæ, hactenus eqveſtris tantum in Weſtphalia nobilitatis, intulit aſſeruitqve. Idem iter ante qvadraginta fere annos Hermannus (*) Wedæ Comes, ipſe qvoqve Colonienſium Archiepiſcopus, at diverſo exitu, intraverat. Is inſtitutæ à ſe ſacrorum mutationi & Connubii Juri cum Pontificis Romani, qvam non omnino exuerat, reverentia convenire falsò exiſtimans, & Collegarum, (*Canonicorum*) Richardi ſcilicet Palatini, Henrici Stolbergii, Friderici Wedani, ipſorum qvoqve nuptias, qvas ſuo qvisqve tempore poſtea iniere, cupientium, Jacobi præterea Rheingravii,

Chri-

(h) *Jo. Sleidan. de Stat. Relig. Lib. V. in fin. J. Maſen. Hiſtor. Car. V. & Ferdin. I. Lib. III. c. 35. Caraff. p. 14. Contin. Melleſ. Hiſtor. Pezrel. p. 694. Freyberg. Part. I. Diſc. 21.*
(*) *P. Svav. Hiſtor. Concil. Trident. Lib. 2. p. 232. 233. Pallavicin. Lib. 9. c. 13. §. 1. Maimbourg. d. Hiſtor. l. 3. p. 410. -- 422. ubi V. L. Seckkendorf. Sect. 27. §. 124. & Addit. 2. §. 131. n. 4. -- 7.*

Chriſtophori Oldenburgii, atqve Philippi Oberſteinii adprobatu animoſior, cum plurima ex religione immutare occœpiſſet, etiam conjugio, ne ullo Chriſtianorum myſterio (*ſacramento*) ipſe ſacro ordini initiatus, careret, animum adjecerat; at Pontificis fulmine tactus, & ad Concilium Germanæ Nationis fruſtra provocans, ideoqve ultro offerendum ratus, qvod retinere non poterat, Cæſaris tandem juſſui, cui armato, & poſt debellatos Schmalcaldici fœderis ſocios ferociori parere prudentiæ aut neceſſitatis erat, amicorum deniqve Theodorici Manderſcheidii, & Gvilielmi Nevenarii auctoritati tribuit, ut abdicato Præſulatu vacuum deſignato jam ſucceſſori locum efficeret. Poſt hunc Hermanni ex fratre nepos Fridericus, qvem modo memoravimus, & deniqve Salentinus, uterqve Coloniæ Præſul, & hic qvidem civilius, impetrata nimirum cælibatus venia, ne clariſſima Iſenburgi comitum familia, cujus ipſe poſtremus cenſebatur, extingveretur, ducere uxores, ſuſcipere liberos, qvam tantis dignitatibus potiri, maluere. Horum cupiditatem magis qvam pœnitentiam modeſtiamve ſecutus Truchſeſſius, perdere forſan bona dignos fuiſſe ratus, qvi uti neſcierant, & neqve ſponſæ repudium mittere, neqve à Septemvirali honore divertere ſuſtinens, cum ſacrum, cui præerat, Collegium (Das Dom-Capitul) adverſum ſibi experiretur, Agrippinenſium plebem, Lutheri, ut præferebat, do-

gmata

gmata amplexam aliqvo beneficio propitiaturus, facile illam perpulit, publicum religionis uſum expetere. At renuente id Senatu, cui oblata poſtea à Gvilielmo Clivenſi, & Alexandro Farneſio, Belgicæ Præſide, auxilia, animos firmaverant, atqve urbe excedere juſſis, qvi peregrina diverſaqve à Majoribus ſacra colerent, ipſoqve Gebhardo Senatus PopuliqveAgrippinenſis odio magis onerato cùm urbem tantum non aperta vi ingreſſus varia flagitaret, tentaretqve, qvibus libertati ejus inſidiari videbatur; hic totus ad Proteſtantium opes converſus, ut lapſis ſuis dubiisqve rebus mederentur, oravit. Neqve hi preces perire paſſi, ſuamqve hic rem agi exiſtimantes, ſi iſte pelleretur, caſu ſuo Reſervatum, qvod adeo exoſum habebant, Eccleſiaſticum firmaturus, crebro apud Cæſarem oratu hortatuqve inſtitere, ne tanta illi injuria, tantum præjudicio hoc in Truchſeſſium Evangelico ordini detrimentum inferretur; Pacem religioſam, ne fraudi cuiqvam foret, Auguſt. Confeſſionem ſectari, caventem, Matrimonii ſanctitatem, divino juſſu ac tot piorum hominum ſacerdotumqve per omnia ſecula exemplis probatam, ſummi Numinis indignationem, ſi reſtitutæ in integrum religioni impedimentum fieret, ſuamqve ignominiam oſtendentes, qvando honoribus muniisqve cogerentur carere, qvi eadem ſecum ſacra ſeqverentur; Pontificiis contra morem majorum, & antiqvas Deditationum leges, qvibus

qvibus nihil prius ac Catholica Religio, cælibatusqve integritas, atqve á nuptiis abſtinentia imperetur, ac Pacis Auguſtanæ conditiones & ipſis regerentibus, cujus nobiliſſimam partem Reſervatum iſtud conſtituat. Qvin Evangelicos tantum non intentati exitii reos agentes, illorum iniqvitatem increpabant, Abolitione Reſervati, qvo ſolo Res Catholica adhuc ſtare videbatur, id ſcilicet parantium, ut paulatim reliqvis ſacræ conditionis Proceribus in ſuam ſententiam tantæ utilitatis ſvavitatisqve illecebris commendatam pertractis, abrogatis legibus, Catholicorum bonis ſuo patrimonio adjectis, toto deniq; Imperio cum ipſo Imperatore Lutheri Zwingliiqve lue infectis, & extirpata Romana Religione, ipſi ſoli Germania potirentur. Et ſi vera magis, qvam dictu ſpecioſa dicenda ſunt, actum de Catholicorum incolumnitate fuiſſet, qvando matrimonium contrahere, & ſimul cum cœlibatu etiam religionem deſerere licuerat, plerisqve Præſulum, connato fere in mulieres amore, & ſolenni, maxime Principibus, dominandi libidine, juxta cum Principatus dignitatisve ſacræ ſplendore atqve emolumento, in poſteros ubi facultas oriretur, propagandæ, etiam honeſto iſto gratiſſimoqve laborum vitæqve levamine frui, qvam tam auſtera temperantia honores ſuos commodaqve corrumpere optaturis; facili eorum præſertim, ad contraria Romanæ Eccleſiæ, cujus legibus iſta vetantur, dogmata trans-

tranſitu, qvibus aut anguſtæ domi res minorqve natalium conditio, aut ſummo qvidem loco atqve illuſtribus familiis ortis, ſeqvior tamen naſcendi ordo, hinc prenſandi ſacra munia neceſſitatem ambitumve, iſthinc firmandæ genti ſuæ tantæ dignationis opulentiæqve vota, ſpem, audaciamqve feciſſent. Et qvid futurum fuerat de Epiſcopatibus cæterisqve Eccleſiaſticis Bonis, atqve ipſa Pontificiorum in Germania ſalute, in proclivi judicium eſt; poſt plerosqve *ſeculares*, qvos vocant Proceres [qvanqvam & (*i*) horum plurimos nimia Cœnobiorum Monaſteriorumqve cupiditate potius, qvam melioris religionis ſtudio Romani Pontificis venerationem projeciſſe iſti arguebant] tot Archiepiſcopatibus, (*k*) Epiſcopatibus ac Abbatiis, plerisqve à maritatis Præſulibus, alios ad Ritus translatis; eandemq; ſortem etiam reliquis ſubituris, qvoties aut ſincerioris Cultus opinio, aut cœlibatus tædium, aut poſterorum familiæve cura, aliam & à Pontificiis diverſam credendi formulam ſvaſiſſent. Neqve enim, ſi rerum hominumqve ingenia aut viciſſitudinem ſpectes, ambigere licet, inter tot Antiſtites, qvos fa-

tali

(i) *Vid. Brachel. Lib. I. Caraff p. 23. Fr Gvicciard. Hiſtor. d' Ital. Lib. XIII. p. 170. Jac. Maſen. Lib. III. Hiſtor. Carol. V. & Ferdin. I. c. 25.* (k) *Vid. Theatr. Europ. Tom. II. p. 1. ſeqq. Hadrian. P. M. apud Sleidan. Lib. 4. Bodin. de Rep. Lib. 5. c. 2. Seckendorf. Hiſtor. Luther. II. 6. 6. n 2. 4. 11. add. §. 73. n. 1. 4. Autor. Anonym. de la France toute Catholique. Act. Erud. L. 1685. p. 134. 135. 156.*

qvibus nihil prius ac Catholica Religio, cælibatusqve integritas, atqve á nuptiis abſtinentia imperetur, ac Pacis Auguſtanæ conditiones & ipſis regerentibus, cujus nobiliſſimam partem Reſervatum iſtud conſtituat. Qvin Evangelicos tantum non intentati exitii reos agentes, illorum iniqvitatem increpabant, Abolitione Reſervati, qvo ſolo Res Catholica adhuc ſtare videbatur, id ſcilicet parantium, ut paulatim reliqvis ſacræ conditionis Proceribus in ſuam ſententiam tantæ utilitatis ſvavitatisqve illecebris commendatam pertractis, abrogatis legibus, Catholicorum bonis ſuo patrimonio adjectis, toto deniq; Imperio cum ipſo Imperatore Lutheri Zwingliiqve lue infectis, & extirpata Romana Religione, ipſi ſoli Germania potirentur. Et ſi vera magis, qvam dictu ſpecioſa dicenda ſunt, actum de Catholicorum incolumnitate fuiſſet, qvando matrimonium contrahere, & ſimul cum cœlibatu etiam religionem deſerere licuerat, pleriſqve Præſulum, connato fere in mulieres amore, & ſolenni, maxime Principibus, dominandi libidine, juxta cum Principatus dignitatisve ſacræ ſplendore atqve emolumento, in poſteros ubi facultas oriretur, propagandæ, etiam honeſto iſto gratiſſimoqve laborum vitæqve levamine frui, qvam tam auſtera temperantia honores ſuos commodaqve corrumpere optaturis; facili eorum præſertim, ad contraria Romanæ Eccleſiæ, cujus legibus iſta vetantur, dogmata trans-

tranſitu, qvibus aut anguſtæ domi res minorqve natalium conditio, aut ſummo qvidem loco atqve illuſtribus familiis ortis, ſeqvior tamen naſcendi ordo, hinc prenſandi ſacra munia neceſſitatem ambitumve, iſthinc firmandæ genti ſuæ tantæ dignationis opulentiæqve vota, ſpem, audaciamqve feciſſent. Et qvid futurum fuerat de Epiſcopatibus cæterisqve Eccleſiaſticis Bonis, atqve ipſa Pontificiorum in Germania ſalute, in proclivi judicium eſt; poſt plerosqve *ſeculares*, qvos vocant Proceres [qvanqvam & (*i*) horum plurimos nimia Cœnobiorum Monaſteriorumqve cupiditate potius, qvam melioris religionis ſtudio Romani Pontificis venerationem projeciſſe iſti arguebant] tot Archiepiſcopatibus, (*k*) Epiſcopatibus ac Abbatiis, plerisqve à maritatis Præſulibus, alios ad Ritus translatis; eandemq; ſortem etiam reliquis ſubituris, qvoties aut ſincerioris Cultus opinio, aut cœlibatus tædium, aut poſterorum familiæve cura, aliam & à Pontificiis diverſam credendi formulam ſvaſiſſent. Neqve enim, ſi rerum hominumqve ingenia aut viciſſitudinem ſpectes, ambigere licet, inter tot Antiſtites, qvos fatali

(i) *Vid. Brachel. Lib. I. Caraff p. 23. Et Gvicciard. Hiſtor. d' Ital. Lib. XIII. p. 170. Jac. Maſen. Lib. III. Hiſtor. Carol. V. & Ferdin. I. c. 25.* (k) *Vid. Theatr. Europ. Tom. II. p. 1. ſeqq. Hadrian. P. M. apud Sleidan. Lib. 4. Bodin. de Rep. Lib. 5. c. 2. Seckendorf. Hiſtor. Luther. II. 6. 6. n. 2. 4. 11. add. §. 73. n. 1. 4. Autor. Anonym. de la France toute Catholique. Act. Erud. L. 1685. p. 134. 135. 138.*

tali mortalitatis ordine alios aliis ſuccedere neceſſum eſt, defuturos fuiſſe, qvi ducendæ uxoris cupidine, vel in gentem ſuam adfectu, ſeu Numinis deniqve puriori cultu propitiandi pietate ducti à Papiſmo deſciſcerent. Ita ſi non omnibus, plurimis certe Eccleſiaſticorum ſimul cum ſecularibus alia ad ſacra transgreſſuris, qvid aliud Catholicis reliqvum erat, niſi ut aut Germania abſcedere juberentur, aut prævalida adverſariorum potentia oppreſſi religionis ſuæ libertatisq; uſu non amplius gauderent, qvàm contrariæ factioni placuiſſet? Atqve intendit tanti periculi metus cum cæteris Catholicis Pontificis maxime ſolertiam, qvi Ottonis Cardinalis & Epiſcopi Auguſtani (frater is erat Gebhardi, multis erga Rom. Eccleſiam meritis officiisqve inſignis) reverentia primum detentus, cùm neqve hortatu neqve precibus qvidqvam profici cerneret, ad duriora verſus, *excommunicationis* ſententiam in Electorem, inconſulto qvidem Cæſare, (*) adeoq; non ſine magna Germaniæ dignitatis libertatisqve injuria pronunciavit. Ita cùm undiqve urgeretur Truchſeſſius, Apoſtaſiæ, nuptiarum [qvarum ſolennia interim celebraverat, dubiis potius adverſisqve, qvam proſperis ſociam, ac ſimul malorum ſuorum cauſam ſolamenqve habiturus] atqve deſtinati ſuis hæredibus ſacri Electoratus crimen edito libello fruſtra amolitus, Cæſaris præterea proſcriptione

(*) *Domin. Arum. ad A. B. Diſc. 4. Th. 9.*

ptione & ſubrogato Erneſto Bojoaro jam Friſingenſium, Hildeshemiorum atqve Leodienſium Præſule, magis percûlſus, Evangelicorum auxilia circumſpectabat, ex quibus Jo. Caſimirus Palatinus, Pontificis audacia infenſior, ſociatis cum Gebhardi fratre Carolo Waldburgio viribus, poſtqvam Ubiorum provinciam gravibus damnis affeciſſet, fratris Electoris morte, atqve Lutheraniorum æmulatione, qvibus Palatini reformatæqve religionis incrementa haud admodum læta eveniebant, impeditus, Gebhardum ſolo Septemviri nomine atqve umbra conſpicuum deſtituit. Is igitur cum ſe imparem Erneſto; non ſuis tantum Collegiiqve, ſed & fratris Ferdinandi & Hiſpani maxime opibus præpollenti, videret, neqve Tractatibus Bingæ, Francofurti, alibiqve inſtitutis, qvid obtinere potuiſſet, ſecuram ferè adverſario poſſeſſionem Archiepiſcopatus permiſit, conſenuitqve ipſe conjuxqve, comes exilii, imò dux atqve neceſſitas.

VII. Secutum aliud certamen, ob æmulorum utrinqve vires, clientelas, amicitiasqve Truchſeſſiano infeſtius. Impleverat finem vitæ Anno CIƆ IƆ XCII. Argentinenſium (l) Antiſtes Jo. Manderſcheidius Comes, Pontificius, facili conjectura, qvo nova electio evaſura foret, ſacri Collegii Sodalibus (*Canonicos* appellare ſolemus) in Argentinenſis. Anno 1592.

B Evan-

(l) *Thuan. Lib. CIV. Caraff. p. 48. ſeq. Freyb. d.c.19.*

Evangelicorum Catholicorumqve factiones diviſis, mutuisqve contentionibus jam ſatis ante divulſis. Miſere qvidem Evangelici (die Bruderhöfiſche) ad Pontificios, Tabernis Alſaticis tum degentes, literas, qvibus concordiæ ſtudium ſvadentes offerentesque, ut Argentinam venirent, Comitia ſecum de Epiſcopo in defuncti locum ſubrogando peracturi, orabant; verum iis qvo minus urbem adirent, ob Senatus in ſe odia, ademtasqve ſibi illius violentia domos, prædia, reditusqve inviſam pariter infenſamqve cauſantibus, iſti officio ſuo ſe ſatisfeciſſe, neqve illorum rationem habendam putantes, qvi rogati venire recuſaſſent, qvo ſecurius agerent, ſi potentem elegiſſent, Jo. Georgium Brandenburgi Marchionem Epiſcopum ſalutavere, qvi mox electionem ratam habens, literas ad Præfectos, Magiſtratus, omniaqve Dioeceſeos loca, tanqvam adepto Principatu miſit, ut ſibi velut legitimo Præſuli parerent adhortans atqve præcipiens. Et Senatus, qvo Georgio novam dignitatem fortius aſſereret, delecta militum manu Kochersbergam & Dachſteinium occupavere. At Catholici ſibi qvoqve contra adverſariorum vim munimenta paraturi, Carolum Lotharingum, Cardinalitio jam Metenſisqve Epiſcopatus honore præfulgentem Principem delegerunt. Neqve is Canonicorum de ſe judicium ſpernens, accepto munere, & ne ludibrio foret, ſi inermis adventaſſet, conſcripto decem

cem millium exercitu Alſatiam ingreſſus expugnata Benfelda, & Kochersberga, Dachſteinio atqve Tabernis Alſaticis recuperatis & incendia, cædes, rapinas, ac terrorem undique circumferens (ſolenni fere Lotharingo militi more, rapto plerumqve vivere aſſveto) acerbis cladibus oves, qvibus paſcendis venire oportuerat, adflixit. Nec Jo. Georgio atqve Senatui Argentinenſi ſua auxilia defuere, à Helveticis Tigurinorum, Bernenſium atqve Baſileenſium Civitatibus ex fœderis legibus miſſa, ſuamqve in eam rem operam Chriſtiano Anhaltino, Erneſto Friderico Durlaceno, ac Fabiano Donavio non ſegniter navantibus. Et illata utrinqve acceptaqve ingentia damna, ſtrages, aliaqve bellorum, præſertim civilium, mala, in latius incendium duratura, ni cæterorum Germaniæ Procerum, votis plerunqve ac literis magis, qvam viris nummisve partes, qvibus favent, juvare ſolitorum, & Rudolphi moderatio obſtitiſſet. Is qvippe inſita animi indole ad mitiora pronus [ignaviam vocabant, qvibus cuncta Principum ſeqvius interpretari mos eſt,] & tum Turcarum in Hungaria metu atqve Bohemorum Auſtriorumqve in Proteſtantes benevolentia ſollicitus, præterea Truchſeſſianorum motuum cura, qvorum reliqviæ Coloniæ Weſtphaliæqve ditiones agitare nondum deſierant, à belli conſiliis magis averſus, miſſo Feciali, aliisqve, qvi tanta jurgia ſedarent, illud

deniqve impetravit, ut diviſo in Georgium atqve Carolum Epiſcopatu, qvaſi herciſcundæ familiæ judicio ageretur, publicâ tranqvillitatem mir...is turbarent; variis, ut ſunt hominum ingenia, ſermonibus, moderationem laudantium, aut conſtantiam reqvirentium. Verum recruduit poſt novem annos vulnus, ſubitanea cura obductum magis, qvam ſanatum, qvovis æmulorum, ut eſt difficile, eodem loci potentiam & concordiam eſſe, totum Epiſcopatum, qvam altera ſui parte diminutum, habere cupientibus. Res igitur ad arma rediit, truculentius, qvam inter ſacros Principes deceret, reſumta; Cæſaris tamen induſtria, ad qvævis belli ſigna trepidantis, pactis in qvindecim annos induciis, eas in conditiones, poſita, ut exſoluta Georgio certâ pecuniæ ſumma integer honor ditioqve penes Carolum maneret, Secutus hunc Leopoldus Auſtrius Paſſavii Præſul, vivoqve adhuc Carolo ſucceſſor deſignatus [*coadjutor*] cum per trium annorum ſpatium qvietus egiſſet, collecto rurſum milite, hoſtilia minari videbatur, qvibus repellendis & Senatus ſatagebat & Palatinus Elector, ac Wirtembergiæ Durlaciq; Principes non ſpernendas copias Alſatiam adduxere, non ſine magna Provinciæ clade, tam continuis fere tumultibus laceratæ, donec Lotharingi Ducis, Jo. Reinhardi Hanovii & eqvetris inferioris Alſatiæ ordinis opera Wilſtetti pax ancita qvalemcunqve malorum reqviem denuo indulgeret.

IIX. Ve-

IIX. Verum, ne tumultibus vacaret Germania, Donaverda ſuppeditavit, Bavariæ qvondam ducibus ſubdita, qvorum tamen obſeqvium jam à duobus ab hinc ſeculis, neſcio qvo motu, qvi totam Provinciam corripuerat, excuſſit, liberarum exinde Imperii urbium Jure locoqve gaviſa, & poſt Lutherum Aug. Confeſſionem amplexa. Hujus (*m*) Abbas, cum per urbem *proceſſionibus*, qvibus Divos placari poſſe Pontificii autumant, jam ab immutatæ iſthic religionis tempore Anteceſſores ejus abſtinuiſſent, ipſe reſtaurare aggreſſus eſt. Cui obviam iturus Senatus, ne inſolito inceſſu Urbis tranqvillitatem turbaret, rogabat, ſuam inſuper ſollicitudinem oſtendentes, ne plebes novitate accenſa gravius qvid in eos perpetraret, qvi ſacra fercula geſtantem comitarentur. At Abbas ſive animum Donaverthanis deſore exiſtimans, ſive crimini locum qværens, qvo innoxiam civitatem involveret, ſpretis Senatus precibus incœpta perſeqvi inſtitit. Deſeruit tandem Cives patientia. Iiqve Abbatem poſt peractum extra Urbem iter revertentem ſub ipſis portis nacti atqve vexilliferos reliqvosqve comites adorti, hos pariter atq; eos verberibus mulctavere, qvi ad vim depellendam accurrerant. Jacta qvoqve, ut ab iratis ſolet, vulgo præſertim, futuri minus curioſo, & modeſtiæ ignaro in Pontificem,

Proſcriptio Urbis Donaverdæ. Anno 1607

 Roma-

(m) *Thuan. Lib ult. Caraff. p. 51. Freyberg. Part. 2. Diſc. 20. Pezel, p. 885.*

Romanam religionem, Bavariæ Ducem ipſumqve Cæſarem probra, avidè ab inimicis excepta, perniciem Urbi meditantibus; & qvo atrocius acciperentur, è longinqvo aucta in deterius attulere. Delatis igitur ad Viennenſem aulam qverimoniis, religionis plerunqve, qvam juſtitiæ vindicem, & adverſus Evangelicos promptam, cum Imperatoris Edicto, ne Abbati per Urbem inceſſuro moleſtiam faceſſerent, ſegnius parerent Donaverthani, utut Senatus neceſſitati conceſſurus molliora cenſuerat, proſcribi meruere. Et juſſus Bojoarus, ſententiam armis exeqvi; Proteſtantibus jura Svevicæ Regionis [*circuli*] (ei Donavertha accenſetur) atqve Imperii leges neqvicqvam invocantibus, qvibus illicitum habetur, qvamcunqve in Proceres Urbesve Imperii executionem, niſi certis caſibus, externo & alienæ Regionis Principi demandari. Nec defuit muneri Bojoarus, ſua ſponte Urbi infenſus, & ob id navandæ operæ avidior, qvaſi puro pioqve duello, qvanqvam alio nomine, repetiturus, ſeditione Donaverdanorum olim amiſſa; cum in animo revolvente injurias, etiamſi impetus offenſionis poſt tot ætates languerat, memoria valeret. Tantis igitur anguſtiis circumventi [decem enim millium peditum & ſeptingentorum eqvitum exercitu inſtructus Maximilianus advenerat,] neqve multum in Palatini copiis præſidii advertentes, qvæ vicina loca agroſqve, at impari numero, inſede-

fœderant, præterea inteſtinâ diſcordiâ, ſolito infelicibus malo, laborantes, ad clementiam Bojoari confugere, oblatis portarum clavibus duriora deprecati. Inde detracta Civibus arma, aliaqve, qvæ in devictos ſolent, exercita, niſi qvod cœde, in deditos qvippe, atqve direptione temperatum. Nec ademtam Urbi libertatem, & Evangelico ordini ſociam Proteſtantes niſi inani rumore, & vanis in Comitiis ſermonibus qveſti ſunt. Qvo tamen minus offenderentur, Urbs proſcriptioni exemta, addito etiam ludibrio, ut Imperii Urbis nomine compellaretur, plenum decus recuperatura, ubi belli ſumtus (qvos nemo exoluturus erat) Bojoarus recepiſſet. Et manſit hactenus Urbi Status, ſeu priorem fortunam deſperet, ſive ſervituti jam adſveta libertatis bonum vilius æſtimet, plerisqve civium poſt interverſam natis, neqve forſan jam reliqvo, qvi integram vidiſſet.

IX. Succeſſit [n] his omnibus, ſive rerum, de qvibus certabatur, magnitudinem, ſive litigantium opes, auctoritatem, potentiam, ſeu ceterorum, qvibus inde commodi, damnive ſpes aut metus, cupiditatem, ſtudia, conatusqve conſideres, atrocior motus. Atqve is in ea parte Germaniæ ortus, qvæ Belgis contigua eſt, igne ſuo Cauſa Juliacenſis. 1609.

 meli-

(n) *Freyberg. Part. II. c. 19. Rohan. Trut. Stat. Europ. Part. 2. Diſcurſ. 5. Caraff. p. 54. Grammond. Hiſt. Gall. Lib. I.*

meliorem Europæ partem corripuerat, niſi fata nondum tanto incendio matura reſtinxiſſent. Exierat vitâ A. M. DCIX. VIII. Cal. April. Jo. Gvilielmus Juliacenſium Dux, nulla virili ſtirpe; Sorores ſupererant, qvarum prima [Mariæ Eleonoræ nomen erat,] Alberto Friderico Brandenburgio, Anna Philippo Ludovico Neoburgio, Magdalena Joanni Bipontino, minima deniqve natu Sibylla Carolo Burgoviæ Marchioni (Ferdinandi Archiducis ex Philippina Welſeria Patricia Auguſtana filio, juſto tamen matrimonio ſuſcepto) denupſerant. Hinc acerrima de tanta hereditate contentio; qvam totam illinc Georgius Sigismundus Elector Brandenburgius Mariæ Eleonoræ ex Anna nepos, inde Wolffgangus Gvilielmus Neoburgius Annæ Juliacenſis filius ſibi vindicabant. Bipontino atqve Burgovio ſuas qvoq; ſibi partes, & qvo pluribus tricis res innecteretur, Carolo Gonzaga Niverſio Cliviam, tanqvam è Cliviæ Ducum Domo, & Carolo Roberto Comite Maleporio, è Marcanorum Comitum gente, Marcæ Comitatum poſcentibus. Adverſabantur Saxones, qvi ſucceſſionis jura in Juliacas atqve Bergenſes terras à Friderico Imperatore in Albertum Saxoniæ Ducem collata, ſuis ergaCæſarem atqve Imperium officiis eam gratiam meritum, Cliviæ verò, Marcæ & Ravenſteini hereditatem ex pactorum dotalium tabulis inter Jo. Fridericum Saxoniæ Electorem & Sibyllam

lam Joannis Clivenſis filiam initorum ſibi debitam, memorantes, cauſam ſuam, velut reliqvis potiorem, omnibus fere, ſi partes excipias, approbavere, ſive regnandi gratia jus violandum illæ putarent, modo ceteris in rebus pietatem colerent, ſive ſe optimo Jure niti ſibi ipſis perſvadebant, inſito mortalibus affectu, & judicium qvaſi natura extorqvente, ut cauſæ æqvitati putemus tribuere, qvod ambitioni avidatiqve noſtræ interim indulgemus. Ad Cæſarem ex imperii legibus pertinebat, de cauſa cognoſcere, & miſſus ab eo Leopoldus ArchiDux, ne interim provinciæ qvid detrimenti caperent, curaturus. At Brandenburgius Neoburgiusqve, (his, ut ſe cohæredes invicem paterentur, amici, Mauritius præſertim Haſſiæ Landgravius, perſvaſerant,) ſive cauſæ ſuæ, ſive legum, invalido plerunqve auxilio, ſeu in Auſtrios deniqve atqve Hiſpanos ſuſpicione, ne *fiduciæ* nomine rem controverſam ſibi aſſererent, diffiſi, militem, nummos, amicos patronosqve conqvirebant. Jamqve ad atrociſſimum bellum res ſpectabat, totius fere Europæ ſtudiis agitanda, hinc Galliæ, Angliæ, Daniæqve Regibus, Durlaci, Wirtembergiæ, aliisqve Proteſtantium Proceribus, Batavis deniqve; iſthinc Imperatore ac Hiſpano, & qvi horum partes benevolentia aut neceſſitate ſectabantur, arma expedientibus, cum Henricus Galliæ Rex Calviniſmi ſuſpicione acrioribus Pontificiis inviſus, (qvem ut

 qvon-

qvondam mortis metu, ſic poſteą regni magis qvam Numinis amore ejuraſſe Catholici juxta ac Hugonottæ criminabantur) ſicarii manu concideret, nimio Religionis Romanæ ardore ad tantum facinus adacti; non absqve ſiniſtro in Hiſpanos rumore, atroci ſcilicet ſemper erga dominantium exitus fama, & plerisqve ſcelus eorum magis ſuſpectantibus, qvod ſupra veri fidem videretur, à ſocietate tanti flagitii abeſſe poſſe, quibus id tam opportune evenerat, factique cauſam alibi eſſe, quam ubi merces fuiſſet. Henricus quippe LX CIↃ militum exercitu inſtructus, ea potiſſimum occaſione conſilia exequi deſtinaverat, quæ adverſus Auſtriacam Gentem cœpiſſe, infra referemus. Sublato igitur, cujus primæ in peragenda Tragœdia partes eſſe debuerant, remiſſius utrinque certatum eſt, Proteſtantibus Henrici caſu timidioribus, & Auſtriacis Principib9, ob Rudolphi, Matthiæ, Ferdinandique ſimultates ſuis diſſidiis detentis, adeoque aliena leviori cura habentibus. Neque, ut infida regnandi ſocietas eſt, Brandenburgio & Neoburgio diu conveniebat, eorumque jurgia cum matrimonii fœdere pacari poſſe, propinqvi ipſorum crediſſent, acrius exarſere, inter epulas, quibus futurum Generum Septemvir excipiebat, (hujus enim filia Wolfgango ſperabatur) ob neſcio quos ſermones eò inter utrumque altercatione provecta, ut Elector iræ impotentior nulla dignitatis, hoſpitii, cognationis, affinita-

finitatisve verecundia cohibitus, intenderit Neoburgio manus, & contra tendentis os verberaverit. Ita quæ apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infenſos erant. Et Neoburgius. quo firmioribus munimentis inſiſteret, atque conciliando Cæſaris, Hiſpani, reliquorumque Pontificiorum favori, projecto nuptiarum cum Brandenburgia voto, atque juncta ſibi Magdalena Maximiliani Bojoari ſorore, ad Romana quoqve ſacra tranſivit; Brandeburgio contra Batavorum amicitia freto, ſuum quoque in eo periculum verſari exiſtimantium, ſi Hiſpani, Hiſpaniſve faventes provinciis iſtis potirentur. Nec ſine mutuis, cladibus damniſqve, ſuos tamen intra fines ferè ſtetere hæ rixæ, ne nunc quidem ſincera omnium partium transactione ſopitæ.

X. Perſtrinxere iſta, quæ recenſuimus, aliaque ineundem modum peracta ſuſpicaces Proteſtantium animos, in excidium ſe à Catholicis peti, vix dubitare ſuſtinentium. Reputabant Pontificis atque Hiſpanorum acerrima adverſus ſe odia, qui patratæ Pariſiis totoque Regno in Hugonottas cædis, (atque ob eam Romæ tanquam re bene atque ordine geſta gratiæ Divis actæ, ſupplicationesque decretæ non ignorabantur,) ſacræque in Gallia Ligæ auctores etiam Angliæ ſuprema paraverant, lata à Pontifice in Eliſabetham ſententiâ, tanquam incapax regni dignitate excidiſſet, exe- *Unio. Liga.*

quen-

qvendæqve ejus munere Hiſpano, in caſſum quidem & maximis Philippi famæ, virorum, ſumtuumque diſpendiis, ac majori Reginæ tanquam Numinis auxilio protectæ gloriâ, demandato ſuſceptoque; facili (ut prona ſemper timori in pejus fides eſt,) judicio, qvid in Germaniæ Proceres aliqvando ſtatuturi eſſent, contra Reges Majeſtate ſummiqve imperii jure celſiores tam atrocia auſi. Cumulavit paventium curas Ferdinandi (*o*) in Evangelicos Styriam reliquasque ſubjectas ipſi provincias, incolentes acerbitas, tanto rigore exercita, ut interdicto publico privatoque Numinis cultu, ac ſacris ædibus, qvibus is celebrari ſveverat, ſubjecti nitrati pulveris violentia diſruptis ſubverſisqve, etiam in libros ſæviretur, delegato quibusdam miniſterio, ut undiqve conquiſiti in foro urerentur. Hiſque paria adverſus Auſtriacos ſuos Matthias editurus apparebat. Ita calamitas ab iſtis in ſubditos cœpta ad Imperii ordines perventura videbatur, ni ingruentem vim idonea defenſione retunderent, non incognitis illorum ceterorumqve Pontificiorum artibus, (*p*) qvi tempori ſe aptare docti modeſtiam in Evangelicos non diutius ſervarent, ac neceſſitas poſtularit, occaſionibus tantum intenti, qvibus diſſimulata odia infenſius ac minori periculo promant. Et (*q*) poſt varios Fridbergæ, Hail-

(o) *V. Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c. 52. (p. 121.)* (p) *V. Caraff. p. 109. 136. 154. ſeq. & paſſim.* (q) *Id. p. 50. Grammond. H. G. Lib. IV. ſub. princ.*

Hailbrunnæ, Spiræ, Heidelbergæ alibique habitos Cœtus, iſtaqve fœdera, qvò firmiori vinculo ſocietatem adſtringerent, Aſchuſii novas de tuenda contra Pontificiorum Judiciiq; Aulici injurias communi utilitate leges modosqve iniere. Nomina (*r*) dederunt Fridericus Elector Palatinus, fœderis Princeps, Joachimus Erneſtus Onolsbacenus, Mauritius Cattus, Frider. Erneſt. Durlacenus, Jo. Frid. Wirtembergius, Chriſtianus Anhaldinus, atq; pleriqve Sveviæ, Wetteraviæ, Franconiæ Comitum, & quæ libertate ſoli Cæſari atque Imperio obnoxia gaudent Civitates, non ſine reliquorum Proteſtantium, (*s*) Saxoniæ inprimis ElectorisDucumqve ſollicitudine, ſive arma civilia exhorrentes, quæ neque parari poſſent, neque haberi per bonas artes, omiſſa ſpe longinqva & ancipiti præſentem potioremque ſequi mallent, ſive, ut alii interpretabantur, vitandæ (*t*) Auſtriorum Cæſarisq; invidiæ, Juris ſui in Juliacas provincias Judicem eum vindicemqve habituri. At Catholici & ipſi rebus ſuis curandis Herbipoli coacti, in certas fœderis ad novem annos duraturi conditiones coiere, Maximiliano Bojoaro delecto, ut ſocietati præeſſet, datiqve adjutores Her- *Anno 1609.*

(r) *Caraff. p. 25.* (s) *Et st. rer. Germam. Anonym. ad A. 1617. Caraff. p. 54.* (t) *Freyberg. lII. 3. Limn. J. P. Tom. 2. Lib. 4. c. 8. n. 34-49. Oldenburg. Limn. Enucl. Lib. 2. c. 19. n. 14. 15. Carpzov. de L. Reg. Germ. c. 6. Sect. 9. n. 9-19.*

Herbipolis, Auguſtæ, ac Paſſavii Præſules, (*u*) rebus communibus adminiſtrandis. Et tracti vocative in partes ab *Unionis* Popularibus (id ſibi nomen ipſi adſciverant, *Correſpondentium* etiam titulo celebrati,) Galliæ, Angliæ, Daniæque Reges, Veneti, Batavi, Pannones, & Transſylvani; à *Liga* ſociis, (ita Pontificia factio vocabatur,) Pontifex, Hiſpaniæ & Poloniæ Reges, Albertus Belgarum & Ferdinandus Hetruſcorum Principes; irrito Imperatore, qvi lenibus remediis aptior, & concitatos animos flecti qvam frangi tutius putans, literis, edictis, reſcriptisqve, ut quieta turbidis, pacemqve bello ante haberent, obteſtabatur, ne ſvadendi quidem auctoritate auditus, adeo nulla, apud Correſpondentes ſaltem, jubendi poteſtate, ut miſſo Pragam Anhaldino, ne ad cognitionem ſuam Aulæve (*x*) ſuæ lites ipſorum Imperator traheret, preces, & adverſum aſpernantem minas interjacerent. Adeo commoti infirmitate retinentis ultro accendebantur. Atqve ut libertatis moderatio in difficili eſt, erant, qui priſcum quendam incertumq; morem, (*y*) aut longi ſaltem ævi deſvetudine exoletum revocaturi, tanqvam ex Prætoria poteſtate Palatinum Judicem Cæſari dabant, ipſi Imperatoris jurisdictionem dedignantes. Et quo irritati jam invi-

cem

(u) *Joſua Arnd. ad Rohan. Trut. Stat. Europ. Part. II. Diſc. 6.* (x) *Caraff. p. 53.* (y) Anhalt. geheim. Canzel.

cem animi implacabilius exardeſcerent, armis pariter ſcriptisque certavere, ne probris quidem conviciisque temperantes, variis (ut plurimum quidem privatorum hominum) carminibus, libellis, picturisque vulgatis. Præcipue in Calviniſtas [*Reformati* ſalutari malunt,] Catholici invecti, eos potiſſimum turbatæ quietis crimine arceſſebant, quod nulla in pace religioſa [cujus ipſi incapaces] ſpe, omne in turbido conſilium habentes, ideoque docti rimari metus aut injicere, plerisqve Proteſtantium fœderis communionem perſvaſerint, quibusdam ſpe pingvioris ex direptione ſacrorum Bonorum fortunæ, aliis amittendi, quæ injuſtè rapta non ignorarent, omnibus intentati à Pontificiis periculi timore, [tanta equidem Calviniſtarum arte] deluſis, ut poſito A. Conf. nomine, Evangelicos ſe communi cum iſtis titulo ferrent, (*y*) quanquam ſui in Lutheranos amoris clara ſatis in ſuperiori, Simmerenſi, ac Bipontino Palatinatu, & Haſſiacis Brandenburgiacisq; terris documenta ediderint. Hos nimirum eſſe, qui magnifica libertatis religionisque tutandæ vocabula crepantes, Catholicis primum atque Imperatori, poſt Reip. ipſisq; tandem Lutheranis extrema meditati ſint, longe alii conſiliis, quam quorum ſimulationem induerint. Hos ſacra bonorum Eccleſiaſticorum fame & in Ca-

(z) Anhalt. Cantzel. *n.* 7. D. Anhalt. Cantzel. *n.* 8.

in Catholicos furore (*a*) correptos, atqve Moguntiæ, Vangionum, Nemetumqve ditiones juxta cum Alſatia Palatino, Joachimo Erneſto Culmbachio Herbipolenſem; Wirtembergio Elwangenſem, Chriſtiano Anhaldio Bambergiam; alias aliis terras deſtinantes pollicentesve; non ſecuritatis ſibi firmamentum, ſed excidium Catholicis Romanisq; ſacris intendiſſe, qvos cum Pontifice ac Hiſpano bello abhorrere non ignoraverint. Neqve Cæſareæ Majeſtatis magis reverentes, qvam in populares (*b*) communisqve Reip. Cives æquos, etiam Imperatori, totiqve Auſtriorum Genti perniciem intendiſſe; eique fini Sabaudum oblatis Germaniæ atq; Bohemiæ regnis, (velut in Calviniſtarum commercio fuerant,) Venetos (*c*) potiundi Fori Julii atqve Iſtriæ illecebris, ad armorum ſocietatem invitatos, vocatos in partes Batavos; Pannones, Bojemos, Auſtrios, ceteroſq; Auſtriacorum imperio obnoxios, ad defectionem ſollicitatos; ipſos denique Turcas profeſſos Chriſtiani nominis hoſtes adverſus Cæſarum Domum excitos, & tantum non inferorum ſpiritus carminibus evocatos; Certe Diabolum potius qvam Ferdinandum Impera-

(a) *D. Cancel. l. 27. 31. 53. 79. 200. 204. 206. 208. ſeqq. l. 4. 5. Caraff. p. 57. 75. 71. 65.* (b) *D. Canc. l. 29. 37. ſeqq. 50. Caraff. p. 70. 75. 76.* (c) *D. Canc. l. 66. 67. 266. 244. ſeqq. 134. Car. p. 67. 68. 69. 51. 53. 59. 70. 74. 76. 85. Canc. 124. 188. ſeqq. 256. 274. 275. Caraff. p. 51. Id. p. 88.*

peratorio faſtigio admotum videre, præoptaſſe, cujus electioni plus qvam Tribunitio Jure, licet vano conatu, interceſſerint. Neqve Germaniæ limitibus ambitionem avaritiamqve terminantes, etiam Italiæ ipſiq; Romæ invadendæ conſilia agitaſſe, initis rationibus, apertis verſus Tirolim atque Italiam Alpium faucibus Oceanum Adriatico mari conjungendi; tam ſubleſta quoqve in fœderis ſocios fide, ut Triumviri tantum factionis, (Palatinum, Onolsbacenum, & Anhaldium eo nomine inſignivere Pontificii,) cuncta arbitrii ſui facientes, ſoliſcili digni, qvi arcano iſto *Miſſæ myſterio* initiarentur, (Geheimnis der Meß) ceteros tanquam profanos præcipuorum moliminum conſcientia arcuerint, impendendis tantum in rem communem ſumtibus oneratos, & Urbibus præſertim ingenti nummorum ſumma emunctis. At qvanqvam non ſine magno armorum ſtrepitu damnisqve rixæ hæ, lenius tamen exercitæ, & partibus mutua formidine ſuſpenſis mollitæ. Ita ſæpe non tumultus, non qvies, quale magni metus & magnæ iræ ſilentium eſt, donec fata juſto bello jam matura viam aperirent; initio apud Bohemos orto, qvi oblatum Vienna acceptumqve Regem, qvamvis Gentis Auſtriacæ, imò qvia Auſtriacæ, aſpernabantur.

XI. Obtinuerant ii jam à Rudolpho Cæſare, talium prodigo, ampliſſima privilegia, (*Maje-* Bellum Bohemicum.

 ſtati-

ſtaticarum literarum (*d*) titulo celebrata,) qvibus ſacræ ſimul civiliqve libertati proſpectum, ipſi non ſine acriorum Catholicorum invidia qveſtuque lætabantur. Qvidam gratiam hanc in deterius trahentes, angvem in herba latere, non vani omnino auſpices, & addicentibus (*e*) augurio fatis, præſagierant; eò ſcil. tam prolixam benignitatem ſpectare aſſerentes, qvo Evangelici conceſſis noviter Juribus abuſuri; etiam antiqvis exuerentur; proclivi Cæſareis Pontificiisqve occaſione, cauſas materiemque præbere, queis concitati iſti tumultus cierent; juſtis inde armis & tanqvam rebelles, non ut parerent tantum, ſed & ut ſervirent, belli jure edomandi. Et affirmavere ſuſpicionem, quæ ſecuta ſunt, cùm Pontificiis minora, qvam literæ iſtæ tribuebant, permittentibus, Evangelici contra (hic ſub Utraque) omnem fere civilis interpretationis modum excederent. Atque hi [*g*] dirutas ſacras ædes, Cloſtergrabii Pragenſi Archiepiſcopo; atque Brunoviæ Oppidi iſtius Abbati ſubjectæ, Privilegiorum obtentu conſtructas, Civiumqve aliquos carceri (*h*) mancipatos indignantes; indicto Pragæ concilio, auſteritate Gvilielmi Slavatæ, & Jaroslai Borzitæ Martinizii Comitis offenſi [eos ſimul [*i*] cum Adamo Sternbergio Regni Burg-

Anno 1618.

gra-

(d) *Exhibet eas Lundorp. Act. public. Lib. 1. c. 26.*
(e) *Freyberg. III. 1. in fin. add. Buckiſch. ad J. P. Obſerv.*
(g) *Brabel. Lib. I.* (h) *Caroff. p. 71.* (i) *Freyb. III, 6 Grammond. Lib. IV. p. 242.*

gravio, & Poppelio Barone, ſanandis diſſenſionibus Matthias ablegaverat,] nulla Cæſaris Regisqve ſui verecundia, arce, ubi Conventus habebatur, tanquam è Saxo Tarpejo, cum Philippo Fabricio Secretario dejecerunt, qvi qvanqvam ſclopetis etiam petiti, munere tamen Deûm (ita Pontificii interpretabantur fortuita iſta ad gloriam vertentes) ſervati, Evangelicorum in Bohemia rem graviori caſu adflixere; Henrico Matthia Turriano Comite [k] maxime ejus facti invidia flagrante, tanqvam ſemina ſeditionis, qua Auſtrii regno pellerentur, jam diu meditatus, atqve Tribules ſuos inſigni facinori illigaturus, qvo contacti ſpem in perpetuum impunitatis & cum Cæſare pacis amitterent, rebellionem tam atrocibus auſpiciis exordiri conſtituerit. Scelus igitur ſuum alio ſcelere tuituri, Magiſtratuum, legum vim ſibi vindicare, deſignare Directores, & prævertendæ Cæſaris vindictæ, qvam meruiſſe non ignorabant, arma, milites, Pecuniam parare, fruſtra Matthia primum, poſt Ferdinando Privilegiorum ſtabilimentum, atqve ſpem arma ſine noxa ponendi offerentibus: ſurdis à Bohemis auribus excepta, ſive ſuis atque ſociorum viribus confiſi Auſtriorum iram gratiamque juxta habebant, ſive criminis magnitudinem reputantes ſinceram eorum clementiam deſperarent, qvos tam proterve graviterque offenderant. Et

 ſecu-

(k) *Epiſt. Rer. Germ. Anonym. ad Annum 1618.*

ſecuta paulo poſt Matthiæ morte alacriores, libertatem licentius uſurpabant, ut erga Principem novum & nutantem, donec omni ejus reverentia ſoluti eo furoris proveherentur, ut imperium abrogarent, honeſtius in illum arma ſe laturos rati, regio nomine exutum; egregio atque commodiſſimo omnibus, qvos Dominorum piget, commento, ſi negatus juſto Principi nominis honor legitimam rebellionem efficere poſſet. Atqve ipſi Ferdinandum, non Reip. minus qvam religionis Hiſpanicæ tyrannidi ſubigendæ conſiliis pro hoſte judicari meritum, edito libello inceſſentes, aliena Imperia (*k*) circumſpectabant; ingens novis rebus materia, ut non in unum aliqvem certo favore, ita audenti parata. Hinc pulſo Ferdinando, Dano rejecto, ſpreto Sabaudo (*l*) ac tentato Saxonis imperio, eoque adſpernante, incerti ſolutique & magis ſine Domino, quam in libertate, Fridericum Palatinum in regnum accipiunt, lætantes, ferme ad nova Imperia. Atque is, quamvis periculi non neſcius, uxoris tamen nobilitate, ſuorumqve ſtimulis accenſus, & nonnulla ſuperandi ſpe, ſimul magnis præmiis operiri futura & præſentibus frui pro ſolatio habebat. Jamqve extrema (*m*) Cæſarum Domui imminebant, ad trium fere Principum anguſtias redactæ, ex quibus Carolus Sileſia

(k) Böhmiſ. *Deduction-* Schrifft *apud Lundorp. Lib. I. c. 108.* (l) *Grammond. d. Lib. IV. p. 243. 244. ubi de Saxone contrarium refert.* (m) *Caraff. p. 88. Epit. rer. Germ. A. 1619.*

ſia profugus, & Leopoldus Tiroli Alſatiave latitans, omnem in Ferdinandum curam transtulerant, ipſum quoque non Bohemorum tantum, Moravorum, Pannonum, Auſtriorumque defectione labefactatum, ac Unioniſtarum, (*n*) Danorum, Belgarumque arma paveſcentem, ſed & Viennæ non metu minus á Civibus fidei haud ſatis ſinceræ ſi non reis, ſuſpectis ſaltem, qvam Turriani Comitis copiis obſeſſum. Affuit ut ſæpe alias fortuna Auſtriacæ Gentis, qvæ Bucqvojum viresque Belgii in Bohemiam tulit, cujus tutandæ neceſſitate revocatus Turrianus obſidionem omiſit. Et debellato uno ad Pragam prælio inimico ſalutem, copias, regnum nondum tamen quietem in victoria Imperator habuit, Mansfeldii, Jegerndorffii, Jo. Georgii Chriſtiani Halberſtadienſis, in Bohemia, Moravia, Palatinatu, atque Saxonia armis temeratam; omni in eo Friderici cura, ut avitæ ditioni reſtitueretur, cujus jacturâ alieni regni cupiditatem piaverat, exilium ex prioris ſortis memoria ægrius tolerans, qvia principibus æqua, nedum infima inſolita ſunt, ideoque miſcere cuncta, & privata vulnera Reip. malis operire ſtatuens, cum omnibus ſcil. potius, quam ſolus periturus. Et aſperrima ejus clades plurimum in eum miſericordiæ traxit.

XII. Anxiis inde curis impleri Evangelici, alieno diſcrimine ſibi paventes, eoque magis peri- Fœdus contra Domũ Auſtriacam.

(n) *Jo. Arnd. ad Rohan. Part. 2. Diſc. 6. p. 202.*

pericula ſua creſcere rati, quanto Ferdinandi potentia creſceret, cui (*o*) cohibendæ, Mansfeldii maxime opera, inter Gallum, Anglum, Danum, Sabaudum, Venetos, Batavosque fœdus coaluit, majori ſtrepitu quam ſucceſſu, Angliæ Regis, ac paulo poſt Mauritii Orangii morte, & infelici Batavorum in Hiſpaniam (*p*) expeditione turbatum.

Bellum Danicum.

XIII. Ei mox aliud, Daniæ nempe Regis, cum Brandenburgio, Brunſvicenſibus, Holſatis, Mekelburgiis, tum Lubeca, Brema, Hamburgo aliisque Urbibus ſucceſſit, Regionis inferioris Saxoniæ, cui tutandæ id initum perhibebatur, Imperio (Kreiß-Obriſten-Ampt) à Georgio Lüneburgenſi, tanquam ſegniori & muneri huic impari in Danum translato. Is igitur ſive Palatini calamitate libertatisque Germanicæ periculo, ſive propria ambitione ductus (Bremenſi ſcil. Lubecenſi, Halberſtadienſi, atque Osnabrugenſi Epiſcopatibus filiis ſuis motis rebus facilius parandis (*q*) intentus,) Tillii exercitum Saxonià deportari à Cæſare poſtulat, non ut aſſequeretur, ſed prætextum bello. Ei per quinque annos variis eventibus geſto, & non obſcuris præliis nobilitato, ſancita (*r*) tandem Lubecæ pax, incommodis magis Dano, quam

Ab Anno 1624. & 1629.

(o) *Freyb. HI. 10. Arnd. ad Rohan. d. Diſcurſ. Caraff. p. 230.* (p) *Caraff. p. 186. ſeqq. 204. 231. ſeqq.* (q) *Caraff. p. 204.* (r) *Arnd. d. l. Brachel. Lib. III.*

quam inhoneſtis conditionibus, finem impoſuit.

XIV. Traxit Dani caſus Mekelburgiorum ruinam, in quos Danici, ut Cæſarei criminabantur, belli præcipuos adjutores ſociosque, victo jam pacatoqve Rege, ferè ſolos tota armorum moles incubuit, impares nimium tanto oneri, cui avertendo declinandoque ne integræ quidem fœderatorum opes ſuffecerant. Et tulere defenſionis, quocunque tandem animo, improſperè certè ſuſceptæ fructum, terrarum jacturam, & acerbum, Principibus præſertim, talium inſvetis, exilium; prolixo ipſorum qveſtu, cultæ (r) conſtanter in Cæſarem fidei, jam à Bohemicorum motuum exordio, negato Anglico militi, & conceſſo contra Cæſareis tranſitu, exturbato ex inferioris Saxoniæ regione Mansfeldio atque Brunſvicenſi, & ſpretis à quibuscunque exterorum oblatis fœderibus, abunde teſtatæ, tam indignam mercedem rependi. In adornanda dictæ Regionis defenſione, [bey der Nieder-Sächſiſchen Kreyß-Verfaſſung] non aliam, quàm tuendarum terrarum ſuarum rationem babuiſſe, nullo Cæſaris, aut cujuscunque Imp. Civis

Mekelburgiorum ejectio.

Ducum defenſio, & prolſe Argumenta.

(2)

(r) Käyſerl. *Manifeſt* und *Deduction*, warum beede Hertzogen von Mekelburg ihrer Landen *privirt* worden. *apud Lundorp. Tom. IV. Lib. I. c. 5. add.* H. Hans Albrecht von Mekelburg Schreiben an Käyſerl. Majeſtät. *cap. 6.*

(3) Civis offendendi conſilio; eo potius intentos, ut propitiato æquis ac dignis ſupremo Principe conditionibus Imperatore, ſopitis diſſidiis, & poſitis, quæ moveri cœperant, armis, certioris pacis fiducia rediret, ex Cæſaris ſententia Brunſvici, conciliatoribus Saxone & Brandenburgio, tum perficiundæ, niſi ipſorum ſuffragiis aliorum con-
(4) ſilia prævaluiſſent. Renunciaſſe tamen illico fœderi, quamvis non niſi in ſalutem regionis inito, quam primum id Cæſari diſplicere comperiſſent; etiam de Mansfeldii tranſitu apud Danum queſtos, atque ob infenſum ideò Regem,
(5) aliquot cohortium hoſpitio oneratos: Non ſe quidem inficiari, Dani copias à ſe commeatu aliiſque rebus adjutas eſſe; at neceſſitati id, non officio, aut ſtudio in partes tribui oportere. Dediſſe nimirum, quæ negare non licuerit, propriis viribus, & Cæſareani, qui tum longius aberat, exercitûs auxilio deſtitutis. Agnoviſſe id miniſtrum Imperatoris, Henricum Huſanum,
(6) de eoque Tillium, ſupremum Cæſarearum copiarum præfectum, ipſumque Cæſarem certiores ſe redditurum, recepiſſe; quorum etiam hic excuſationem tam aperta ratione ſuffultam li-
23. Novemb. 1626. teris ſuis probarit. Quantæcunque tamen neceſſitati non adeò ſeſe ceſſiſſe, ut Urbium arciumve aliquam hoſtium facultati permiſerint,
(7) Cæſari ſervandas, & opportunam tantum teſtificandæ erga Imperatorem fidei obſequiique occa-

occaſionem opperiuntes. Denique poſtremo Cæſaris monito, ſerius quidem accepto, extemplo obſecutos, Legatos jam ante ad Tillium deſtinatos, ad hunc atque Fridlandium miſiſſe, cuncta ſua Cæſari offerentes, cujus mox præſidia Roſtochii, Viſmariæ, Dœmitii & Poëlæ, aliisque locis acceperint, Arnhemio quoque Cæſareano Duci in Buzoviæ obſidione tum hærenti, quantum potuerant, commodantes, & revocatis ad Cæſarei Edicti formam clientibus ſubditisque, adverſæ tum adhuc parti militantibus. Ejusque rei ipſum Tillium ſuâ ad Imperatorem epiſtolâ fidem feciſſe. Et tamen tot argumentis defenſos, alieni magis odii, quam proprii delicti ſupplicia pendere. At Cæſar, colorem potius quam robur hiſce ineſſe, Orbi (*t*) perſvaſurus, alia multo ex literis ipſa Ducum manu ſubſcriptis, [original-Schreiben] & Conciliorum provincialium Actis [Landtags-Acten] deprehendi affirmabat, quàm quæ de factis ſuis conſiliisque iſti obtendant, præcipui, ut ex monumentis iſtis appareat, belli Saxonici incentores, quod toties à ſe moniti non prius omiſerint, quàm omni virium auxiliorumque fiduciâ dejectis ipſa neceſſitas arma excuſſerat, tantis iſtorum ſtudiis mota ſuſtentataq;, ut ſi fata votis ipſorum annuiſſent, non de victoriis modo à ſuo milite partis, ſed

(8) Kayſ. Monitorial, 3. Jul. 1627.

Dat. 7. Nov. 1627.

Refutata à Cæſare.

C 5 &

(t) *D. Manif.*

& ipſis terris Provinciisque ſuis actum fuiſſet.
(1) Vulgo notum eſſe, jam Anno ſeculi hujus vigeſimo qvarto fœdus iſtud in Palatini favorem in lucem prorupiſſe, atque inde coactas pecunias, conſcriptas per inferiorem Saxoniam copias, aliaqve eam in rem paſſim parata peractaque, publicæ quieti, & Imperii legibus adverſa. Seſe igitur compeſcendis maturè tumultibus publicis edictis vetuiſſe, ne quis Procerum in utraque Saxonia aut militem colligeret, aut colligi pateretur. Hos inter Mekelburgios Duces ſæpius à ſe monitos, ne delectibus iſtis provinciæ tranquillitatem turbari ſinerent, non niſi verborum obſequia præſtitiſſe, conceſſa adverſariis militis ſcribendi poteſtate, & prohibito Tillio., ne trajecto Viſurgi iſtis quid impedimenti afferret. Inde coacto Lauenburgii conventu obtenta Saxoniæ inferioris ſpecie, & velut in ejus defenſionem, cum Dano fœdus pepigiſſe, pleriſque iſtius Regionis Procerum negotii adeò inſciis, ut non niſi concilio Brunſvicenſi, parato jam exercitu, de eo reſcirent, tantâ Mekelburgiorum tegendi ſolertia, ut ab Electore Saxoniæ, quid iſtis delectibus, à Regionis ordinibus, Dano præſertim pararetur, rogati, ignota ſibi iſtius conſilia eſſe, pervicaci diſſimulatione, reſponderint.
(2) Nihil equidem prætextui de tuenda Regionis ſalute excuſationis ineſſe, ipſis Ducum litteris tam ad ipſum Cæſarem, quàm Lüneburgium

Kayſ. Pœnal-Mandat 21. Novemb. 1624. 22. Jan. 18. Febr. & 5. Mart. Anno 1625.

Dat. 26. April. 1626.

um Ducem ſcriptis oſtendi, haud obſcurè indicantibus, non aliò qvám adverſus Tillium, adeoque ipſum Imperatorem omnem iſtius negotii rationem ſpectaſſe. Non certè tum extitiſſe, à quo metuendi cauſas haberent, armorum conſilium præbituras, ni meritorum conſcii Cæſaris inviſi offenſique iras timuiſſent. Neque cum Lüneburgio etiam ceteros Saxoniæ inferioris Proceres improbaturos fuiſſe, rem incolumitati, ut iſti videri volebant, totius Regionis proviſam, niſi in Imperatorem eam deſtinari iſti advertiſſent. Ex Luneburgii etiam Apologia manifeſte apparere, irrita futura fuiſſe in Brunſvicenſi Conventu armorum expediendorum conſilia, pleriſque ordinum improbata, nî Mekelburgii perviciſſent. Non certe apud Cæſarem defenſionis nomine Duces juvari poſſe, qvâ ſe potiſſimum peti is ipſe nunquam diſſimularit. Et veró ſuam ſcilicet pro pace ſervanda ſollicitudinem reſcriptis ſuis mandatisque illos ſignificaſſe, quibus Conſiliarium ſuum Albertum Heinium Brunſvicum miſſum juſſerint, induciis, quas tum Saxo atque Brandenburgius in medium attulerant, ſpretis, arma bellumque ſvadere, non prius ponenda, quàm ſolenni Imperii Concilio à Cæſare & Catholicis Proceribus de Pace tàm ſacra quam civili [Religion-und Prophan-Frieden] ſecuri magis redderentur. Melius quippe fore, rem ſub clypeo (3)

peo

peo agi, atque armata Comitia celebrari, partibus mutuo metu attinendis (*u*) compeſcendisque. Atque hinc vana fuiſſe, qvæcunque in iſto Brunſvicenſi Conventu paci reſtituendæ commoda alii attulerint, Mekelburgiorum, & qui paria cum iſtis ſentiebant, vehementiâ rejecta, ſpretis qvibuscunque conditionibus novam Religionis pacem, quam nunquam Cæſar daturus foret, animis agitantium. Præterea ex publi-
(4) cis illorum mandatis, (Patenten/) litteris, & Conciliorum provincialium Actis patere, loco renunciati Dano fœderis, & ſimulatæ adverſus Mansfeldium qverimoniæ, Cæſaris militem coërcendis ſedandisque turbis eò miſſum, adeoque ipſum Cæſarem non alio qvam declarati hoſtis loco cenſuiſſe. Et quoscunque Auguſtanæ Confeſſioni addictos, ne militiam Imperatoris ſequi pergerent, injecto proſcribendorum bonorum, infamiæ, extremi denique ſupplicii metu, dehortatos; decretis quoque adverſus iſtos publicis ſupplicationibus, vocatis ad arma provincialibus, coacto non ſine grandi ordinum onere, & inſolita cum auſteritate, milite, conceſſo denique Mansfeldio, Sileſiam atque conjunctionem cum Turcis aliisque Cæſaris hoſtibus, animo volventi, tranſitu ſatis teſtatos, quo numero Cæſarem, copiasqve ejus haberent.

Sup-

(u) Damit ein Schwerdt das ander müſt in der Scheide halten.

Suppeditaſſe quoque poſtea Lüneburgi conſilia, qua ratione & bellum continuari, & Imperatoris mandata injuſtitiæ condemnari poſſent. Interim, qvo reverentiam erga Cæſarem, fideiqve velut nunquam interruptæ conſtantiam oſtentarent, militem, Provincialibus id oneris ultra ferre detrectantibus, dimiſiſſe, at ipſo Tractationis Brunſvici abruptæ, & cœptati belli tempore Dano oblatum permiſſumve, eundem illius apud Regem uſum fore, coram ordinibus (den Land-Ständen/) profeſſos, quem etiam in adverſo exercitu ad Lutheram contra Cæſareos pugnaſſe, capta tum ex hoſtibus ſigna indicarint. Qvin & iisdem Conciliorum provincialium Actis toties jam memoratis comprobari, poſt iſtud ad Lutheram prælium, Duces victum fugatumque hoſtem urbibus arcibusque ſuis paſſim recepiſſe, cujus inde perſequendi copiâ Cæſareis ademptâ tam egregiæ ceteroquin victoriæ uſum non parum corruperint. Neq; ordinum qvidqvã conſilia preceſve valuiſſe, Cæſaris iram oſtendentium, ſi hoſtem retinerent, facilè expellendũ, modò vires experiri liberet. Quin potius ad deteriora obſtinatos Duces Tributa pro hoſtili milite exſolvenda, Provincialibus imperaſſe, extorſiſſeq;, adducto etiam, quo majori terrore iurgerentur, in publicos ordinum Conventus Schlamersdorffio, Danico Tribuno, minas jaciente, ſi qvis promto minus obſequio publicæ rei incommodaret. Imo aperte

Anno. 1626.

Anno. 1627.

(5)

aperte ſæpiusqve Duces teſtatos eſſe, nunquam à fœdere iſto ſeſe diſceſſuros; ingenti ordinum dolore atqve indignatione, qvi imminentem jam cervicibus ſuis Dei Cæſarisqve ultionem, ſolennibus Conciliis non vani omnino vates prædixerint.
(6) Huſanum verborum blanditiis deceptum, ideoq; de fraude Ducum, tàm literis qvam coràm in Provincialium Conventibus conqveſtum, alia multo præ ſe tuliſſe iſtos, palám exprobraſſe, quam animo agitaſſe, ipſis rerum documentis deprehenſum ſit, monitos ideò, meliori obſequio præteritorum veniam mereri. At non magis Huſani obteſtationes, ac Ordinum preces apud Duces profeciſſe; adeò obfirmatis ad pejora eorum animis, ut, volentibus ipſis, Schlamersdorffius, publico Conventu, meliora aliunde ominatus pollicitusq;, ordines ſpes ab Huſano injectas omittere juſſerit, Sileſiam ſpectans, quam non
(7) alio tempore magis hoſtes infeſtarint. Eadem fide erga Luneburgium & Tillium Duces egiſſe. Imperatoris qvippe juſſu monituq;, ut rectioribus conſiliis locum facerent, atque reliquas ſibi Urbes Cæſareano militi permitterent, rogatos, ſe id facturos recepiſſe, modo non Dani copiæ intercederent, tempus ſolùm precatos, quo cum Rege conveniundi facultas eſſet. At tantum abfuiſſe, ut verbis fidem præſtarent, ut potius Gerhardum Obenbergium Arcis Dœmitiæ Præfectum juſſerint, Schlamersdorffium cum qvadrin-

dringentis militibus arce admittere, quam Danorum receptui ſe ſervaturos ſpoponderint, ſi ab hoſte (Imperatorem deſignantes,) urgeri contingeret. Eoque effectum, ut adverſarii recolligendarum virium ſpatium nacti, inſtaurandi belli animum fiduciamque reſumpſerint. At ſcilicet occaſiones defuiſſe; qvibus obſequii promptitudinem Mekelburgii teſtarentur. Imo vero Fridlandium Ducem, pulſis tum Sileſiâ hoſtibus, præmiſſoque Arnhemio, Saxoniæ inferiori jam propinqvum; atque Tillium ad oram Albis Mekelburgiis proximum, Ducum pœnitentiam opperiuntem, utroſque falſa ſpe deluſos fuiſſe. Duces quippe habito Sternbergæ Ordinum Concilio, oſtentato Regionis, ſuarumque præſertim terrarum periculo, & ab Arnhemio proximè imminenti metu, Tributa ab ordinibus flagitaſſe; ne ultra toleratas jam calamitates alias acerbioreſque ſibi ſubditiſque à juſta Numinis Cæſariſque ira Principes accerſerent, incaſſum deprecantibus. Denique iteratis toties Edictis non prius obtemperaſſe, quam fractis ſuis ſociorumque viribus non aliam qvam in Cæſaris gratia ſpem reliquam viderint. Ne igitur impune Imperatorem Duces ſprevisſent, ſuo exemplo aliis eadem audendi animos addituri, terris ſuis mulctati ſunt, in Fridlandium, pignoris primò nomine, mox proprietatis Jure tranſlatis; Mekelburgiis, aliiſque Exterorum Germano-

13 Jan. 1627.

(8)

manorumque Proceribus, ne afflictam Principum domum omnino extirpatam vellet Cæſar, fruſtra obteſtantibus; armis poſtea Svecorum reſtitutam, validiori qvam inani precum remedio.

Ferdinandi II. Imp. nimia & periculoſa conſilia.

XV. Sic ſummam votorum non attigiſſe modò, ſed & tranſcendiſſe Ferdinandus videri poterat, (x) invictus hactenus, & nullis caſibus ſuperabilis, Palatino, Mansfeldio, Chriſtiano Brunſvicenſi, Dano, Mekelburgiis, fuga, morte, victoria, ſublatis perculſisve, Gallo inteſtinis tumultibus implicito, Britanno imagine matrimonii cum Hiſpani ſorore à Walliæ Principe contrahendi atque injecta ſpe reſtituendi Palatini decepto, cunctis denique ad adorandum illius faſtigium amore terroreve converſis: florentiſſimo tantis ſucceſſibus Cæſare, ſi benigna adeo ſorte frui quam uti, & modum proſperitati ipſe ſtatuere, quam eam nimis urgendo fatigare maluiſſet. Fortunam ab initio adverſam tantum, eamque conſtantiſſime tulerat; ſecundæ res acrioribus ſtimulis animum exploravere. Ita ſcilicet miſeriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Labores, pericula, dubias aſperasque res facile ſuſtinuerat; victoriæ lætique ſucceſſus oneri atque noxæ fuerunt, gradum jam ad majora reputanti, quod ambiguis adhuc rebus, & nondum reddita ſecuritate pro culmine habuiſſet. Victoriarum igitur præmia fructusque perire autumans,

(x) *Rohan, II, 6, Freyb. III.* 10. (*p.* 101.)

mans, ſi modeſte uteretur, atque ad vim dominationis converſus, Proteſtantibus extrema, ſibi ſuæque Genti ſumma ſtruere plerisque credebatur. Impellebant ſponte ruentem Pontificii Præſules, veniſſe tempus premendorum Proteſtantium dicentes recuperandique Jura, iſtorum vi atque iniqvitate extorta. Edidere quoque (*y*) Epiſcopatuum ac Abbatiarum nomina, quas ab iſtis repetebant; pluribus Catholicorum leniora ſvadentibus, ne intempeſtiva recipiendi amiſſa cupiditate etiam retenta amitterentur, ſollicitis. At pervicit inſtantis fati neceſſitas, ut atrociora Cæſari placerent, ſortem ſuam utut pulcherrimam faſtidienti, ubi adhuc reſtarent, quæ concupiſcere poſſet. Quin ignavum videbatur, Principem exercitu centum & qvinqvaginta millium (*z*) hominum (tanti Ferdinandi copiæ cenſebanrur,) prævalidum pedem ſiſtere, ubi tantâ pingvioris fortunæ fiducia progredi poſſet.

XVI. Variis jam Decretis, ſententiisque ſingulorum patientiam attentaverat, promtiori fere Aulæ Imperialis Senatu, Pontificiis litem addicere, qvam iſtis intentare. Et ſufficiebat (*a*) ad Actorum juſtitiam, Evangelicus Reus, ipſo Reli-

Evangelicis maximè infeſſi.

(y) *Theatr. Europ. Part. II. in princ. & p. 4. Freyb. d. l.* (z) *Memoir. de Monſr. D' touchant la negotiation du Traitte de Paix à Munſter. p. 14.* (a) *Exempla ſuppeditat Caraff. p. 318. 348. 377. & præſertim Append. 41-53. 13-30.*

Religionis nomine pro convicto damnandus. Qvamvis enim ad Paſſavienſis atqve Auguſtanæ ſanctionis formulam pronunciaturum ſe Cæſar ferebat, juſtius tamen quod validius, & legum ſenſus is accipiendus erat, qui victori armatoqve placeret. Strigilis ſcil. vicem (*b*) [ut aliquot poſt annis Conradum Luzavium Conſiliarium Cæſaris Aulicum Salvio dixiſſe referunt,] apud Ferdinandum juſtitia obibat, extergendis purgandisque Proceribus apta. Verum is neque hæc impigre ſatis pro ardore ſuo moveri putans, & potentiæ ſuæ jam adultæ conſcientia animoſior, breviori compendio univerſos ſimul quam ſingulos perculſurus, promulgato (*c*) Edicto, cunctis Bonis Eccleſiaſticis *mediatis*, poſt Transactionem Paſſavienſem ſacro ordini ereptis, omnibusqve *immediatis* decedere Evangelicos juſſit, confirmata etiam Catholicis Proceribus poteſtate, ſubditos ſibi terris ſuis exturbandi, ſi priſca ad ſacra reverti detrectarent. Adeo aderant animi Ferdinando ad ſuſtinendam invidiam, ut diſceptationem, tot tumultuum præteritorum materiem, & majorum inpoſterum cauſam, poſt tot Cæſares definire ipſe auderet. Neque dici poteſt, qvantos animorum affectus tam nobilis ſanctio conciverit,

Edictū Ferdinandinū de A. 1629.

30. (b) Die *Juſtiz* were der Striegel / damit man Fürſten und Stände ſauber machen könte. (c) *Exhibet id Freyb. d. c. Theatr. Europ. p. 8. Caraff. Append. Germ. Sacr. p. 3.*

verit, Catholicis, fervidioribus præſertim, beatiſſima rurſum & paria vetuſtæ felicitati ſecula ſibi pollicentibus; Proteſtantibus non minori conſternatione attonitis, ac ſi uno ictu, velut ex Caligulæ voto, omnes procidisſent. Et qvamvis integro quondam dignitatis ſuæ ſplendore Bonis iſtis caruerant, nihilominus tanquam nihil gravius pati potuiſſent, mœrebant, non aliena priſtinis Dominis reſtitui, ſed ſua ſibi auferri exiſtimantes, haud exiguo qvidem plerorumque patrimonii detrimento, Majorum ſolertia ita adaucti, ut avitorum bonorum opes adjecta ab iſtis ſacra prædia æqvarint ſæpe aut ſuperaverint. Soli equidem Wirtembergio ex Lauriſſæ ſive Lorſchæ, Brengenhauſii, aliiſque Monaſteriis plusqvam cxxcIↃ thaler. annua (*d*) non connumeratis ſumtibus in Magiſtratus erogandis obveniſſe, vix ipſe negabat. Ita transferri in æmulos, ſibi adimenda ægrius ferentes, pari dolore commoda aliorum ac ſua damna metiebantur. Saxo qvoque haud neſcius, ſe potiſſimum Evangelicorum odio flagrare, quod adjutis contra Bohemos Auſtriacis tot malorum religionis ſuæ ſociis cauſa extitiſſet, liberi doloris documentum dedit, (*e*) exaratis ad Cæſarem literis, rationes, monita, precesq; miſcens,

 ut

(d) *Vid. Caraff. p 160. 164. ſeq.* (e) *Freyb. d. Diſc. 12. Theatr. Europ. d. Tom. p. 10. 13. Lundorp. Tom. IV. c. 3.*

ut Ferdinandum ad molliora inflecteret. Incaſſum. Neque enim tantus Cæſareanæ Aulæ in Septemvirum amor erat aut veneratio, ut in gratiam illius tanti incrementi occaſionem omitteret. Et argumenta illius aliis argumentis eliſa eluſave. Iſtud fidei ejus *(f)* atque inſignibus in Domum Auſtriacam officiis dedere, ut ex pactionis formula Mulhuſi Anno M. DC. XX. initæ, ab Edicti iſtius executione intactus ſervaretur; gratiæ vicem exoluturi, ſeu alendæ inter eum ceterosque Proteſtantium diſcordiæ, illiusque apud hos cumulandæ invidiæ, ſive, Polyphemi beneficio, poſt alios demum & ultima menſa devoraturi. Ne vero ſententiæ vim effugerent Evangelici, ſua ſponte haud facile parituri, delecti, (*g*) qui redditum in invitos judicium etiam contra repugnantes exeqverentur. Eaque cura in Rhenana Provincia Electori Moguntino, in Svevia Epiſcopo Conſtantienſi, Comiti Sulzio, Abbati Campidunenſi, & Udalrico Dynaſtæ Stazingio; In Franconia Bambergenſi, Præſuli Eberracenſi, atque Pappenheimio, demandata. In Weſtphalia Antiſtes Oſnabrugenſis, ordinis Teutonici Magiſter, atque Megenius Imperialis Aulæ Conſiliarius, in Saxonia inferiori Metternichius, Collegii ſacri Moguntini, ut vocant, Cantor, juxta eum Tribuno Altrin-

(f) *Lundorp. d. Tom. c. 3.* (g) *Theatr. Europ. p. 18. Lundorp. d. Tom. c. 1.*

Altringero, atque Wenzelio Imperialis itidem Aulæ Conſiliario, in id munus adſumti. Atque hinc (*h*) Fridericus Ulricus Luneburgius, Hildesheimii, Cæſaris Imperiique auctoritate ultra fere ſeculi ſpatium poſſeſſi, Jo. Adolphus Holſatus Bremæ, ipſiusque Saxonis filius Auguſtus (*i*) Magdeburgi Epiſcopatu, Wirtembergius, Brandeburgii, (Culmbacenus, & Onolsbachius) Comites Hohenloici, Waldeccii, Argentinenſes, aliique Monaſteriis eorumque fundis migrare aut abſtinere juſſi coactive; Sacra Proteſtantium (*k*) Auguſta Vindelicorum, (latiori inde ob Urbis claritatem, & inditi Confeſſioni nominis omen in minores metu,) Kauffbyrâ, alibique pulſa, turbatave, & Romana ex adverſo inſtaurata; Evangelici Bohemiâ, Auſtriâ, Sileſiâ cedere adacti, niſi certam ante diem profanos ritus exuiſſent; atque paſſim proſcriptio, fuga, exilium, damna; Proteſtantibus Judiciorum ordinem, legumque auxilia fruſtra invocantibus, quæ ipſos inutilia jam dudum reddidiſſe Pontificii regerebant. Vanâ quoq; (*l*) Sveviæ Procerum liberalitate, Wallenſteinio Norimbergam proficiſcenti aliqvot centena thalerorum millia, ipſique Cæſari, ut mitiorem experirentur, ingentem

 pecu-

(h) *Idem p. 34. ſeqq.* (i) *Vid. Caraff. p. 394. ſeq. 402 junct. Append. p. 30. 31.* (k) *Acta,* das *Reformations-*Weſen zu Augſpurg betref. *Theatr. Europ. d. Tom. p. 20.--29. Lundorp. d. Tom. c. II. ſeqq. & c. 20.* (l) *Caraff. 311. 312.*

pecuniæ ſummam, tanquam contra Turcas exſolventium, ad ipſos opprimendos à Ferdinando inſumtam, tributa jam Dominationis Jure imperare auſo, in comitiis hactenus non ſine majeſtatis, ut putabat, injuria, demiſſis fere precibus, & majorum plerumque conceſſionum redhoſtimentis emendicata. Neque intra ſancitam ab ipſis Bonorum ante Conventionem Paſſavienſem vel ſecuto poſt tempore occupatorum diſtinctionem hæc acerbitas ſtetit, non difficili illis labore, cavillationibus eam aut oſtentata vi elabi ſeu perrumpere. Jamque non Romæ (*m*) tantum habitæ de *Propaganda Fide* deliberationes, ſed & inter Catholicos Germaniæ Proceres (*n*) conſilia circumferebantur, tanquam ſupremam Evangelicis perniciem Paciſque religioſæ abrogationem latura, ſeu quia erant, ſeu quia irati & ſuſpicaces metuebant. Et facilius de odio creditur. Confirmabat periculi fidem ipſe Ferdinandus, proprio ingenio peregrinis ſacris infenſus, atque continuis Caroli Caraffæ Epiſcopi Anverſani & Apoſtolici ad ſe Nuncii (*o*) hortatibus monitiſque: *Eſſe bonum politicum Imperii, exſtirpationem hæreſum, non habito humano quocunque reſpectu*, facile perſvaſus.

XVII.

(m) *Theatr. Europ. eod. Tom. p. 1.* (n) *Idem p. 16. ſeqq.*
(o) *p. 341.*

XVII. Adoleſcebat quoque interea (*p*) lex Majeſtatis, plurimis ex Equeſtri Sveviæ, Franconiæ Rhenanæque Provinciæ ordine delatis, tanquam Mansfeldii, Halberſtadienſis, Durlaceni partes foviſſent; pleriſque delicti non omnino integris. Multis opes ſuæ exitio fuere; cum quamvis innocentia ſua tutos Cæſaris miniſtri crimine iſto circumvenirent, ne ſcilicet pœnæ fructu ipſi carerent, ſi iſti inſontes haberentur. Secreti quippe conſilii Proceribus (denen Käyſerl. Geheimden Räthen) Franconicæ Nobilitatis bona in ſalarii præmiive vicem adſignata dicebantur. Eorumque manus ſubitis avidæ, & quo ſaltem præſentibus fruerentur, feſtinantes. Et hiantes illorum cupiditates ipſa Ferdinandi facilitas intendebat, cum apud credulum, ſibique faventem minori metu & majori præmio peccaretur. Auxit rei ſua ſponte exoſæ atrocitatem Rudolphus ab Oſſa, qui formam vitæ iniit, quam tum celebrem miſeriæ temporum & audaciæ hominum fecerunt, pecunia, potentia, ingenio, inter claros magis, quam inter bonos. Is Hanoviæ Comitum ſervitio nuper abiens, interque inſtrumenta regni à Cæſare habitus, dignus viſus, cui tam invidioſum munus mandaretur; atque ille, quo magis ſolertiam ac fidem in Dominum oſtentaret, majori cum acerbitate defunctus

Proceſſus contra immediatam Imp. Nobilitatem.

D 4 eſt,

(p) *Theatr. Europ. p. 180. ſeq. Forſtner. de Comit. Ratisb. A. 1631. p. 28. Epit. Rer. Germ. Anon. p. 83.*

pecuniæ ſummam, tanquam contra Turcas exſolventium, ad ipſos opprimendos à Ferdinando inſumtam, tributa jam Dominationis Jure imperare auſo, in comitiis hactenus non ſine majeſtatis, ut putabat, injuria, demiſſis fere precibus, & majorum plerumque conceſſionum redhoſtimentis emendicata. Neque intra ſancitam ab ipſis Bonorum ante Conventionem Paſſavienſem vel ſecuto poſt tempore occupatorum diſtinctionem hæc acerbitas ſtetit, non difficili illis labore, cavillationibus eam aut oſtentata vi elabi ſeu perrumpere. Jamque non Romæ (*m*) tantum habitæ de *Propaganda Fide* deliberationes, ſed & inter Catholicos Germaniæ Proceres (*n*) conſilia circumferebantur, tanquam ſupremam Evangelicis perniciem Pacisque religioſæ abrogationem latura, ſeu quia erant, ſeu quia irati & ſuſpicaces metuebant. Et facilius de odio creditur. Confirmabat periculi fidem ipſe Ferdinandus, proprio ingenio peregrinis ſacris infenſus, atque continuis Caroli Caraffæ Epiſcopi Anverſani & Apoſtolici ad ſe Nuncii (*o*) hortatibus monitisque: *Eſſe bonum politicum Imperii, exſtirpationem hæreſum, non habito humano quocunque reſpectu*, facile perſvaſus.

XVII.

(m) *Theatr. Europ. eod. Tom. p. 1.* (n) *Idem p. 16. ſeqq.* (o) *p. 341.*

XVII. Adoleſcebat quoque interea (p) lex Majeſtatis, plurimis ex Equeſtri Sveviæ, Franconiæ Rhenanæque Provinciæ ordine delatis, tanquam Mansfeldii, Halberſtadienſis, Durlaceni partes foviſſent; pleriſque delicti non omnino integris. Multis opes ſuæ exitio fuere; cum quamvis innocentia ſua tutos Cæſaris miniſtri crimine iſto circumvenirent, ne ſcilicet pœnæ fructu ipſi carerent, ſi iſti inſontes haberentur. Secreti quippe conſilii Proceribus (denen Käyſerl. Geheimbden Räthen) Franconicæ Nobilitatis bona in ſalarii præmiive vicem adſignata dicebantur. Eorumque manus ſubitis avidæ, & quo ſaltem præſentibus fruerentur, feſtinantes. Et hiantes illorum cupiditates ipſa Ferdinandi facilitas intendebat, cum apud credulum, ſibique faventem minori metu & majori præmio peccaretur. Auxit rei ſua ſponte exoſæ atrocitatem Rudolphus ab Oſſa, qui formam vitæ iniit, quam tum celebrem miſeriæ temporum & audaciæ hominum fecerunt, pecunia, potentia, ingenio, inter claros magis, quam inter bonos. Is Hanoviæ Comitum ſervitio nuper abiens, interque inſtrumenta regni à Cæſare habitus, dignus viſus, cui tam invidioſum munus mandaretur; atque ille, quo magis ſolertiam ac fidem in Dominum oſtentaret, majori cum acerbitate defunctus

Proceſſus contra immediatam Imp. Nobilitatem.

(p) *Theatr. Europ. p. 180. ſeq. Forſtner. de Comit. Ratisb. A. 1631. p. 28. Epit. Rer. Germ. Anon. p. 83.*

eſt prolixis Principum queſtibus, ablata Nobilibus, Cæſarique aut miniſtris ejus addicta Bona *Feudorum Fiſcive* Jure ſibi vindicantium; nulla in afflictos miſeratione, ſed ut aliorum rapinas in ſua commoda verterent, cum lætitia acceptu-ri, ſi nullo ſuo juſſu, penes Cæſarem ſævitia facti & invidia eſſet, ipſi ejus emolumentis gauderent.

Moleſtiæ à Fridlandio.

XIIX. Nec minus interim, ne aliquod belli malum ſævæ paci deeſſet, conferendis pecuniis pervaſtata Germania, provinciæ everſæ, amici inimicique Proceres, & quæ Civitatum liberæ vocantur, omnium diris, conviciisque in Wallenſteinium converſis, qui *(q)* natione Bohemus, ex Nobili Princeps, è milite Dux, Cæſareanique Exercitus & tantum non ipſius Cæſaris Imperator, dum nullo dignitatis amicitiæve diſcrimine, ſummis infimisque periculum moleſtiamque faceſſit, potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus, dedit exemplum, quod ſecuti ex pauperibus divites, ex contemtis metuendi perniciem aliis, ac poſtremum ſibi invenere. Huic nimirum permiſſam poteſtatem ipſa Cæſaris poteſtate majorem; hujus arbitrio antiquis legionibus toti jam Germaniæ nimiis alias additas, nulli uſui, niſi augendæ provincialium calami-

(q) *Epiſt. Rer. Germ. Anon. pag. 71. Forſtner. d. Epiſt. pag. 19. 20. Theatr. Europ. pag. 148. -- 156. Caraff. pag. 411.*

lamitati; hujus libidine indicta Proceribus extortaque Tributa, rogari ante etiam à Cæſaribus ſolita, publicis & ad ipſius Ferdinandi invidiam pertingentibus querimoniis ſpargebatur. Et vel ſolus Brandenburgius Elector, exiguo hoc annorum, quibus iſte Ducem egerat, ſpatio (r) XX. Pomeraniæ Stettinenſis Princeps X. Cattus VII. florenorum myriadas, Wirtembergiæ Dux cxx cIↃ. atque Norimbergenſes xx cIↃ. thaler. menſtrua ſeſe dependiſſe, affirmavere. Inde paſſim Procerum, privatorum, Evangelicorum, Catholicorum, lamenta, luctus, & in Fridlandium tantarum ærumnarum auctorem probra atque execrationes audiebantur; adeo nullo apud truculentum hominem, inimicorum, amicorumve reſpectu, ut ne Leopoldum quidem Archiducem juverit, Cæſaris fratrem eſſe; acerbis ideo literis (s) Ducis avaritiam, ſævitiam Tribunorum, militisque petulantiam, ſocios magis quam hoſtes prædantis, apud Imperatorem accuſantem. Et quamvis hic crebris Procerum precibus, atque Electorum præſertim in Comitiis Ratisbonenſibus maxime verò Bavari, tantæ potentiæ vim altius formidantis hortamentis (t) fatigatus imperium inviſo homini abrogaret, mala tamen fere eadem etiam amoto eo manſere, magis-

Et inde Statuum adverſus eum querelæ

Anno 1631.

(r) *Theatr. Europ. p. 148. 149. - 156.* (s) *Theatr. Europ. p. 88.* (t) *Anonym. Epit. rer. Germ. Memoir. de Monſ. D. pag. 15.*

giſque alii homines, quam alii mores. Quin vel ſolus Edicti de ſacris Bonis terror omnem quietis fiduciam abſtulerat, quanquam id, prout potens vel inops reus inciderat, infirmum aut validum retinebatur. Sufficiebat tamen retinendæ animorum acerbitati, ingruituræ jacturæ metus, præſentibus adhuc opibus utcunque vitatæ. Evangelici igitur tentari patientiam ſuam, tentatamque contemni, neque aliud ſibi reliquum cernentes, quam tenere libertatem, aut mori ante ſervitium, tuto denique moveri rati, quidquid extremo in loco eſt, ne ſemper mala aut expectare aut pati cogerentur, Lipſiæ convenere, ubi fœdere (*u*) inter ſe pacto, cum Cæſarem, ut Edictum Eccleſiaſticum aliaque libertati ac incolumitati ſuæ noxia aboleret, fruſtra oraſſent, ab luctu in iram verſi, communibus ſubſidiis ſalutem tuendam, modeſtis quidem verbis & in pacem magis inclinantibus, decrevere. Et arma parantibus opportune Svecus advenit, cujus Societatem primum Gvilielmus Haſſiæ Landgravius, poſt Saxo & Brandeburgius, quamvis cunctantius hi, ut invitos acceſſiſſe cognoſceres, & poſt hos ceteri Proteſtantium agminatim turmatimque induere, Dominos ſcilicet non ſervitutem mutaturi, cum eadem aut aſperiora poſtea à Svecis, quam ante à Cæſa-

Leipzi-ger Schluß A. 1631.

(u) *Caraff. p. 435. ſeq. Epit. Rer. Germ. p. 123. ſeqq. Freyb. III. 13. p. 187. Diſc. 14. p. 168. Theatr. Europ. p. 264. cum plur. ſeqq. Lundorp. Tom. IV. c. 44.*

Cæſare perpeterentur; æque gravia, at magis ex-cuſata, & ſpe recuperandæ horum, quanquam duro remedio, ſalutis levius tolerata, nihil interim abnuentes, modo non Auſtriis parere cogerentur, Svecosque pecunia, armis, infimis denique obſequiis demerituri, omnia ſerviliter, pro libertate.

XIX. Ita Svecus, mox Gallus quoque acciti, ſponte venturi, ſi non rogarentur. Svecus obſcuri hactenus regni princeps & Dominationem Danorum vix ante ſeculum elapſi, partis contra Polonos, Danos, Moſcosque victoriis, tanquam majoris fortunæ præludiis animatus, [ut ſcil. fata, quos ad magna deſtinavere, impellunt,] Auſtriacæque Domui hoſtilia jam diu meditatus, interceptas reſignatasque contra fas Gentium ſuas ad Tranſylvanum literas, & pejori verborum interpretatione in ſui ignominiam vulgatas, (x) miſſas Polono tum inimico ſuppetias, & agitatam cum eo pacem variis modis à Cæſare turbatam interverſamque, Stralſundiam indignis habitam modis, cognatos Principes dignitate terrisq; exutos, Svecos Germaniæ commercio prohibitos, Maris Balthici Dominium à Wallenſteinio tentatum, Legatos deniq; ſuos Tractatione Lubecenſi ingenti ſui ignominia excluſos rejectosque; Gallus, Caroli Gonzagæ Niverſii patrocinium, agnati Vin-

Bellum Germano-Sveco-Gallicum.

Cauſæ Sveci Juſtificæ.

Galli.

(x) *Freyb. Diſc. 13. pag. 152. Caraff. part. 2. Germ. ſacr. prin. Lundorp. Tom. IV. Lib. I. cap. 7. 8. 19. 20. 25.*

(*y*) Vincentii Mantuæ & Montisferrati Principis ſucceſſione ideo tantum ſubmoti, quod in Gallia natus Gallicis ſpiritibus infectus timebatur; immeritam Palatini calamitatem: (*z*) Trevirenſis à ſe protecti captivitatem, Gallicique in intercepta urbe militis cædem; uterque Germaniæ Procerum tutelam in belli titulum præſcribebant.

Utrorumq;

Et prætexta quidem illa armorum fuere.

Cauſa ſvaſoria.

Vera cauſa, ne ab ipſis quidem Gallis Svecisque diſſimulata nimia Auſtriacæ Domus potentia, cujus in medio creſcentem molem ſibi ac poſteris ſuis metuebant; prætorquendum injuriæ collum exiſtimantes, antequam ad ipſos pertingeret; præparato jam ab Henrico IV. Galliæ Rege eam in rem, & coërcendi intra terminos Auſtriorum Imperii, at fato ejus intercepto (*a*) conſilio, qui tanquam Europæ dividundæ arbiter delectus Chriſtianum Orbem in quindecim Dominia, Pontificatum nempe Romanum, Imperium Germaniæ, [nunquam eosdem ex una familia ſucceſſores habiturum,] tum Galliæ, Hiſpaniæ, Britanniæ, Hungariæ, Poloniæ, Daniæ, Sveciæ, atque Sabaudiæ Regna, Venetorum præterea & ceterorum Italiæ principum Urbiumque, Belgarum denique ac Helveticorum Reſpublicas partitus, ita

(y) *Rohan. II. 7. Freyb. IV. 5. Epit. Rer Germ. p. 85. 97. Grammond. Lib. XIIX.* (z) *Grammond. Lib. IV. in fin.* (a) *Hardon. Pereſix. Hiſtoir du Roy Henry legrand. Part. 3. pag. 467. Memoir. du Sully paſſim.*

ita [ſalvo quidem errore calculi] rationes inierat, ut Neapoleos regnum Pontifici, Sicilia Venetis, Sabaudo regium decus accepturo Mediolanum, Helvetiis Burgundiæ Comitatus, *(Franche-Comte,)* Alſatia, atque Tirolis, cuncta Auſtriacis adimenda adſignarentur, ceterorum etiam jactura mulctandis, ſi iſta amittere recuſarent. Et quanquam exſtincto pridem Henrico duravere in filium imminuendæ pervertendæve inviſæ Domûs conſilia. Ita atrociſſimum non jam Germaniæ, ſed totius penè Europæ bellum. Neque alias majoribus iris concurſum, cum à Germaniæ Proceribus pro antiquo decore & adſerenda libertate, contra augendæ dominationi; & ab exteris, atterendæ æmulorum firmandæque ſuæ potentiæ certaretur. Et quæ utrinque ſecuta ſunt, defleri magis, quam defendi poſſunt. Et quidem haud uni quis tantorum motuum aſſignaverit culpam, qvæ omnium fuit.

XX. Hæc latius, ac animus erat exſeqvutus, in deſcribendo Europæ, bellique præſertim Germanici ſub initia horum Tractatuum ſtatu, brevior ero. Deſcriptio ſtatus Europæi tempore cœptorum Tractatuum Pacis.

XXI. Italia in multos adeo Principes atque Reſpublicas diſtributa, & inter Gallos Hiſpanosqne ambigua, neque unquam libertatis ſuæ ſecurior, quam ubi pari iſti ſorte, aut ſaltem non nimium inæquali utuntur, quietem ferme agere poterat iſtorum certaminibus [ſi Sabaudiam Man- Italiæ.

tuam-

tuamqve eximas) inconcuſſa, niſi Urbani Pontificis ambitio turbaſſet, Farneſios (b) Caſtrenſi agro pellere annitentis, haud alia ex cauſa, quam ut agnatis Barbarinis donaret, vetuſto jam & velut conceſſo Pontificibus more, non magis Eccleſiæ ſuæ, qvamvis deſponſæ ſibi, quam Gentilium curam gerere, haud melius Divi Petri opes impendi autumantibus, qvam ubi ad explendam eorum aviditatem illas erogarint, ne numis quidem amplius contentorum, (qvorum immenſam paremq; pene Regibus vim Barbarini corraſere,) ni terris quoque aucti Principum fortunam, perennaturo ſcil. ad poſteritatem ſplendore, æmulentur. Ita Urbanus Domus ſuæ magnitudini intentus, Cæſaris Pontificiorumq; in Germania preces incurioſius audiebat. Veneti, Reip. inſtituto paci proniores, bellum procul habere, qvam gerere maluere, non ægre toleraturi, ſi Hiſpanorum vires acciderentur, minori à Gallis quam iſtis metu, inſeſſis tot Italiæ provinciis & Inſubrium inprimis ditione propius ſibi incubantibus. Sabaudus & Mantuanus, iſte Gallis, hic Cæſari amicus, inverſa jam rerum facie, cum aſſerta qvondam Sabaudo ab Imperatore, & negata Gonzagis Mantuani Principatus hereditas à Gallo tum defenſis, prima belli inter iſtos cauſam, aut occaſionem ſaltem feciſſet. Ferdinandus Hetruſcus rerum civilium

(b) *Priol. de Reb. Gall. II, 18.*

vilium prudentiam gentile Mediceæ Domus bonum (c) velut hereditario Jure adeptus, quamvis profeſſo in Auſtriacos amori ita temperabat, ut Gallorum odium non incurreret, mediam viam conſilii, periculoſam alioquin, adeo ſapienter moderans, ut & ſervaret amicos, neque inimicos pareret. Odoardo Farneſio Parmæ Placentiæque Duci ſinceriori qvidem affectu in Gallos vergenti, inſtantior tamen cura erat, propriam ſalutem contra Urbani ac Barbarinorum avaritiam tueri, quam fortiſſime & applaudente tota Italia propugnavit, ideqque peregrinorum tumultibus minus immixtus. Neque ceteris Italiæ Principibus aut Civitatibus animi aut opes erant, bella noſtra ſuis impendiis alere.

XXII. Hiſpaniæ Rex, invaſo à Joanne Bragantino Luſitaniæ regno, & Catalaunis ad deſtituendum ſe, Gallorum impulſu ac Miniſtrorū Hiſpanicorum injuriis traductis, tum Gallorum Batavorumq; in Belgio ſucceſſibus, acceptisq; ad Rupem regiam, Colibram, Perpignianum, Mirabellum, alibiq; cladibus attritus, damnis fere tantum fortunæ ſuæ amplitudinem oſtendebat; cum maximam eam eſſe, ipsâ tot copiarum regnorumq; jacturâ appareret, qvæ efficere nondum potuerat, ut non maximis adhuc Regibus comparari poſſet. Hiſpaniæ.

(c) *Vid. La vera Politica che uſano in queſti tempi i Principi è Republ. Italiane per conſervar i loro ſtati part. II. Dial. 6. p. 547. ſeqq.*

ſet. At nullum ex eo agnato Imperatori ſubſidium, ita fatis Gentis Auſtriacæ ſortem tum partitis, ut non minora in Germania Ferdinandina familia, quam extra eam Caroli progenies detrimenta perſentiſceret.

Britanniæ. XXIII. Anglia monſtrorum ſemper non minus ac Africa fœcunda, Epiſcoporum ac Presbyterorum diſſenſionibus, (& fermé acerrima ſunt Eccleſiaſticorum odia) inter ſeſe ſibiq; connexa Scotiæ atq; Hiberniæ regna divulſa, & Stafforti Hiberniæ Proregis ſupplicio funeſta, atrociori facinori ſeſe parabat, in ipſum Principem ſecurim ſtrictura, quam in cariſſimum ei hominem, nulla regiarum precum veneratione, expedierat, vanis inde Palatinorum votis, transmarinis iſtis auxiliis patrio Principatui reddi ſperantium.

Galliæ. XXIV. Gallia pluribus adverſus Hiſpanos atque Auſtrios (*d*) victoriis inclyta, etiam Domi non improſpere degebat. Nam quamvis exemto rebus humanis Ludovico, non unquam tamen ſedatius egerat; Principes concordes & muliebre imperium non detrectantes; nullo novandarum rerum auſu, ſive capaces, ſed aſpernantes, aut avidi, at minores. Senatus Pariſienſis (*Parlamentum*) non reginæ tantum, ſed & Mazarini obſequio paratus, lubentius extero, quam populari obtemperaturi. Neq; ceteri Magnates Nobilesq; illum rerum ſtatum abnuebant, cum

(d) *Priol. l. 15. ſeqq.*

cum quanto quis ſervitio promtior, opibus & honoribus extollerentur, ac novis ex rebus aucti, tuta & præſentia, quam vetera & periculoſa mallent. Sacer ordo ſuis deliciis ignaviæque immerſus, eâdem regni ac Eccleſiæ incuriâ tenebatur. Vulgus, cui nulla alia ex Rep. quam annonæ cura, pacem tantum expetere, levandis tributis idoneam, nec hæc tamen recuſaturum, ſi ſolvere juberetur. Quanquam ut Gallis neque turbidis neq; qvietis ulla conſtantia eſt, inſecuta tempora iſtam tranquillitatem non parum laceſſerent.

XXV. Polonia Daniaqve novam Svecorum vim expertæ, aut formidantes, pacem magis quam qvietem habebant, belli reſumendi conſiliis & coercendis, ſi poſſent, nimiis vicinorum progreſſibus, imminentes. Poloniæ, Daniæ.

XXVI. Omnium fata Germania ſuperabat, adeo ancipiti dubioque rerum habitu confuſa, ut ipſa cladibus ſuis lætari, victoriisqve dolore, aut potius victoriis pariter cladibusque ſuis ingemiſcere cogeretur, cum Germani eſſent, qvæcunqve pars aut vinceret aut vinceretur, ipſa infelicitatis ſuæ materies, campus, cauſa, præmiumqve, & civilis ſimul externique belli mala uno compendio complexa. Et acerbiorem calamitatem efficiebat, qvod Civium ſuorum pars prævalebat, qvi peregrinos ſectabantur, Germanorum diſcordia in clariſſimæ nationis opprobrium ſuamque gloriam & emolumentum abutentes. Germaniæ.

Vix lætius unquam Fœderatorum arma floruere, Marchiæ Brandenburgicæ, Weſtphaliæ, Ubiorum & Juliacenſium terris, Sileſiæ, Auſtriæ, Bavariæ & tantum non univerſæ Germaniæ, aut imperio aut terrore incumbentia. Cæſareani à Svecis ad Kempam, Lipſiam, Sveinizium, Magdeburgum; Bavari à Gallis ad Nordlingam cæſi aut fugati. Reddita tamen his pene cum fœnore clades, ad Dutlingam, Mergentalium, & Friburgam memoranda ſtrage afflictis. Svecos quoque ſua damna modeſtiæ admonere, magna documenta inſtabilis fortunæ, ſummaque & ima miſcentis. At Cæſar tot annorum bellis caſibusque fractus. Bojoarus Imperatoris partes neceſſitate magis quam amore fovebat, arcano quidem at ſinceriori affectu in Gallum propendens. In ceteris Catholicis ingens adverſus inimicos ira, at viribus deſtituta. Eccleſiaſtici præſertim [congrua quidem ſacerdotibus modeſtiâ, niſi imbecillitas expreſſiſſet, fortiora auſuris, quando opes ſuppeterent,] votis potius, at ut eventu cognitum, irritis, quam armis Cæſaris communemque Catholicorum ſalutem propugnantes. Evangelicorum quidam aperte Regum amicitiam profitebantur, plerique utut in Cæſarem obſequium retinerent, lætam tamen ſibi iſtorum fortunam male diſſimulabant; eo meliorem pacem ſperantes, quo gravius Imperatorem Gallorum Svecorumque arma premerent. Hic fuit Europæ & præſer-

ſertim Germaniæ ſtatus, cum Cæſaris Regumq; Legati tractationem inchoarent, quietem tandem, at poſt aliquot demum annorum litigia, daturam. Nunc ipſam aggrediemur.

LIB. II.

SUMMARIA.

1. *Legatorum Svecicorum adventus Oſnabrugæ; eorumque literæ Invitatoriæ ad Pacis Tractatus, ad Imperii Proceres; ut & Gallicorum.*
2. *Cæſaris ad eosdem Proceres, contra Gallicas.*
3. *Gallorum Invitatoriæ ad Senatum Auguſtanum.*
4. *Ad Urbes Hanſeaticas, & inflicta harum Legatis à Gallis contumelia.*
5. *Cæſareanorum ingreſſus Monaſterii atque Oſnabrugæ.*
6. *Difficultas ob Dani admiſſionem.*
7. *Controverſia, de Proceribus Imp. ad Pacificationem admittendis.*
8. *Treviri reſtitutio à Gallo, & ſalvi conductus pro Mediatis à Suecis petiti.*
9. *Cæſaris ob has cauſas literæ ad Franconicum Circulum, & Imp. Deputatos.*
10. *Cauſæ, ob quas Cæſar ordines admittere recuſarit, tandem tamen adſentiens.*
11. *Controverſia, de Modo Tractandi, variæque de illo ſententiæ.*
12. *Prima Propoſitio* [Friedens-*Propoſition*] *Svecorum.*

13. *Gallorum, Cæſareanorum de iis ſententia.*

14. *Svecorum jacti pro æquitate Poſtulatorum ſuorum, & contra Cæſarem, atque Electores, ſermones.*

15. *A Proteſtantibus pronis auribus accepti, horumque adverſus Domum Auſtriacam querelæ.*

16. *Inclinatio Electoris Saxonici, plerisque Proteſtantibus improbata.*

17. *Svecorum atque Proteſtantium opinio & queſtus de Gallis.*

18. *Quæſtio de Loco Modoque Tractandi reſumta.*

19. *Cauſæ â Monaſterienſibus, cur Monaſterium tractationi deſtinanda, allatæ; ab Oſnabrugenſibus impugnatæ; irrito itidem Memmii Galli apud Svecos.*

20. *Moguntini apud Brandenburgicos, & Cæſareanorum apud Oſnabrugenſes eam in rem conatu.*

21. *Oſnabrugenſium conatus contrarii; Monaſterienſium aſſenſus;*

22. *Et tandem Gallorum.*

23. *Lis de admiſſione Magdeburgii, Durlaceni, Caſſellani, &c. ad conſultationes publicas. Monaſterienſium contra hos ſententia;*

24. *Contraria Oſnabrugenſium, & pro ea rationes.*

25. *Orta inde difficultas occaſione reſponſi Cæſareanorum ad Propoſitiones Regiorum, Proceribus Imp. communicandi, & qua ratione ea tandem ſublata.*

26. *Ca-*

26. *Cæſareanorum propoſitio ad Proceres.*
27.28. *Ipſumque reſponſum ad Propoſitionem Svecicam.*
29. *Gallicam.*
30. *Continuatio litis de admiſſione memoratorum Ordinum.*
31. *Oſnabrugenſium ob eam rem literæ ad Monaſterienſes.*
32. *Horum reſponſum.*
33. *Oſnabrugenſium de iis deliberatio.*
34. *Et legatio atque reſponſum ad Monaſterienſes.*
35. *Et ipſa irrita. Novæ Monaſterienſium conditiones ratione Magdeburgii;*
38. *Repudiata ab Oſnabrugenſibus.*
39.40. *Alia Tractatio Oſnabrugæ inſtituta.*
41. *Et ipſa nullo ſucceſſu.*
42. *Lis hæc tandem ſopita. Origo ſcamni transverſi in Concilio Principum* [der Querbanck im Fürſten-Rath.]
43. *Excellentia Electoralium.*
44. *Bavaro imputata. Procerum de ea ſententia.*
45. *Rationes Electoralium.*
46. *Judicia de hoc Electoralium.*
47. *Svecorum & Auſtriacorum.*
48.49. *Reſponſum Cæſareanorum Regiis exhibitum. Lis de Salvo Conductu Mediatis* [Reichs-Mittelbahren] *à Cæſareis præſtando.*
50. *Adventu Trautmansdorfii, ſupremo Cæſareæ Legationis principe, ſublata.*

13. *Gallorum, Caſarcanorum de iis ſententia.*
14. *Svecorum jacti pro æquitate Poſtulatorum ſuorum, & contra Caſarem, atque Electores, ſermones.*
15. *A Proteſtantibus pronis auribus accepti, horumque adverſus Domum Auſtriacam querelæ.*
16. *Inclinatio Electoris Saxonici, plerisque Proteſtantibus improbata.*
17. *Svecorum atque Proteſtantium opinio & queſtus de Gallis.*
18. *Quæſtio de Loco Modoque Tractandi reſumta.*
19. *Cauſæ â Monaſterienſibus, cur Monaſterium tractationi deſtinanda, allatæ; ab Oſnabrugenſibus impugnatæ; irrito itidem Memmii Galli apud Svecos.*
20. *Moguntini apud Brandenburgicos, & Cæſareanorum apud Oſnabrugenſes eam in rem conatu.*
21. *Oſnabrugenſium conatus contrarii; Monaſterienſium aſſenſus;*
22. *Et tandem Gallorum.*
23. *Lis de admiſſione Magdeburgii, Durlaceni, Caſſellani, &c. ad conſultationes publicas. Monaſterienſium contra hos ſententia;*
24. *Contraria Oſnabrugenſium, & pro ea rationes.*
25. *Orta inde difficultas occaſione reſponſi Cæſareanorum ad Propoſitiones Regiorum, Proceribus Imp. communicandi, & qua ratione ea tandem ſublata.*

26. Ca-

26. *Cæſareanorum propoſitio ad Proceres.*
27. 28. *Ipſumque reſponſum ad Propoſitionem Svecicam.*
29. *Gallicam,*
30. *Continuatio litis de admiſſione memoratorum Ordinum.*
31. *Oſnabrugenſium ob eam rem literæ ad Monaſterienſes.*
32. *Horum reſponſum.*
33. *Oſnabrugenſium de iis deliberatio.*
34. *Et legatio atque reſponſum ad Monaſterienſes.*
35. *Et ipſa irrita. Novæ Monaſterienſium conditiones ratione Magdeburgii;*
38. *Repudiata ab Oſnabrugenſibus.*
39. 40. *Alia Tractatio Oſnabrugæ inſtituta.*
41. *Et ipſa nullo ſucceſſu.*
42. *Lis hæc tandem ſopita. Origo ſcamni transverſi in Concilio Principum* [der Querbanck im Fürſten-Rath.]
43. *Excellentia Electoralium.*
44. *Bavaro imputata. Procerum de ea ſententia.*
45. *Rationes Electoralium.*
46. *Judicia de hoc Electoralium.*
47. *Svecorum & Auſtriacorum.*
48. 49. *Reſponſum Cæſareanorum Regiis exhibitum. Lis de Salvo Conductu Mediatis* [Reichs-Mittelbahren] *à Cæſareis præſtando.*
50. *Adventu Trautmansdorfii, ſupremo Cæſareæ Legationis principe, ſublata.*

51. *Gallorum de Trautmansdorſii adventu criminatio.*
52. *Modus Replicandi ad Reſponſum Cæſar. inter Regios transactus.*
53. *In Præliminaribus ſalvus conductus pro Lotharingo à Cæſareanis.*
54. 55. *Pro Luſitano à Svecis deſideratus, fruſtra uterque.*
56. *Modus replicandi inter Cæſareanos & Svecos.*
57. *Replica Svecorum ad Proœmium Reſponſi Cæſarei, de cauſis belli, & an illud à Svecis Imperio illatum, adeoque pro hoſtibus ejus, ut & Hiſpani cenſendi ſint?*
58. *Ulterius, ad Claſſem I. de Negotiis Imperii, nempe (1) Amneſtia. (2) Privilegiis & Juribus Ordinum; præſertim fœderum cum exteris. (3) Gravaminibus, & (4) Commerciis.*
59. *Ad Claſſ. II. (1) de ſatisfactione Svecica, (2) Caſſellana & (3) militiæ.*
60. *Ad Claſſ. III. de Pacis Reductione atque ſecuritate, & denique*
61. 62. *De Executione Pacis; ubi de liberatione Eduardi Bragantini, ab Hiſpanis detenti.*
63. *Replica Gallorum, præſertim ratione auxilii Hiſpano contra Gallum à Cæſare non ferendi; electionis Regis Romani; ſatisfactionis Gallicæ; Cauſæ Lotharingicæ, & mutui fœderis pro conſervanda Pace.*
64. *Judicia de Replicis Regiorum.*

65. Pro.

65. Pro.

66. Contra.

67. Inprimis Cæſareanorum ;

68. Brandenburgiorum, Mekelburgenſium, aliorumque.

69. Quid occaſione colligendorum Gravaminum Evangelicorum, inter Electorales Brandenburgicos, & Principales (Fürſtl. Evangeliſchen) *contigerit.*

*70. Exhibitio dictorum Gravaminum, concernentium (1) Reſervatum Eccleſiaſticum. (2) Jus reformandi Cœnobiorum mediatorum. [Mediat-*Stiffter] *(3) Autonomiam ſubditorum* [Frey-ſtellung der Religion.] *(4) Reditus ſacros ex alieno Territorio pendendos; Jurisdictionem Eccleſiaſticam, & ſcripta Paci internæ adverſa. &c.*

71. Gravamina Politico-Eccleſiaſtica circa (7) Majora vota. (8) Imparem Deputatorum Imperii numerum, (9) Donaverdæ reſtitutionem, & juſtitiam publicam, ubi de tollendis Dicaſterio Rotvilenſi, Provinciali Svecico, &c. & inſtituendis aliis, Cameræ Spirenſi & Cæſareo aulico æqualibus.

72. Quo animo accepta à Cæſareis, Moguntinis, Regiis.

I.

INtraverat Oſnabrugam, IV. Cal. Apr. Anno CIↃ IↃC XLIV. Joannes Baro Oxenſtiernius, Regni Sveciæ Senator & Conſiliarius Cancellariæ, quo eum jam Joan. Adler Salvius Collega præ- Svecorum adventus Oſnabrugæ. 27 Mart. 1644.

1644. præceſſerat. Hi datis jam antea ad Imperii optimates literis, ut ſuos quisque Legatos maturè mitterent, in rem communem deliberaturos, impensè hortati fuerant, nunquam id à ſe impetraturos Auſtriacos teſtati, ut cum illis ſolis (id enim Cæſaris conſilium erat, non niſi admisſis Electoribus Imperiique Delectis, DEPUTATOS appellare conſvevimus, ceteros omnes à Tractatione procul habere,) ſtabiliendæ pacis „negotium ſuſciperent; *Semper* enim Svecos „*ſeparatos tractatus infidos & periculoſos judicaſ-* „*ſe, atque in id incubuiſſe, non ut ſeparatim, aut* „*fruſtulatim, ſed ſimul & univerſim, parique paſ-* „*ſu interna pax cum externa juſta, decora, tuta,* „*obtineretur.* Immodeſtius & ad Gallicæ proterviæ modum idem officium verſus Imperii proceres Galli, Claudius Memmius & Abel Servientius Comites peregerunt, vix parcius iſtos ſocordiæ, quàm Domum Auſtriacam fraudis Tyrannidisque accuſantes, ſimul Gallici candoris integritatem extollendo. *Ubi enim illas* „*voces Amneſtiam flagitantium & quæ ultrò ſe of-* „*ferat, inſtaurandi Imperii occaſionem? Hanc* „*vel præcipuam inter belli cauſas ſibi ſtatuiſſe Gal-* „*los, Svecosque, ac publicè conteſtatos eſſe: eo con-* „*ſilio arma ſumſiſſe, non niſi reddita Germaniæ* „*libertate ponenda. Sed ſecus interpretatos* „*Auſtriacos ita accipi voluiſſe, quaſi Regnis res* „*ſuæ tantùm curæ eſſent, commoda Germanorum* *præ-*

Literæ invitatoriæ Anno 1644. ad Pacis tractatus ad imperii Proceres 4. & 14 Nov. 1643. Gallorum.

6. Apr. 1644.

prætenderentur. Utrius partis ſincerior fuerit " 1644.
Oratio, magna alterutrius mercede jam patefa- "
ctum iri. Nunc demum detrahendam eſſe per- "
ſonam, profitendumque in hoc ad Pacem conven- "
tu, quid ſibi quiſque bello parari voluerit. Ac- "
cederent igitur Germaniæ Proceres, conſiliorum "
factorumque ipſorum teſtes futuri. Sanè ſi "
publicam Europæ cauſam auſpicari & abſolvere "
fas ſit, non niſi cum Imperatore & Statibus ſimul "
tranſigi oportere. Neque enim jus belli & pa- "
cis ei uni competere, neque Galliam, quæ Germa- "
nicam prætulit, & conſtanter tutata ſit, liber- "
tatem, in eaque non parum ſibi præſidii eſſe ſen- "
tiat, legitima imperii & propriæ ſecuritatis fun- "
damenta convelli unquam paſſuram. Noſſe "
omnes, ſeriem iſtam bellorum ab iſto fermè ca- "
pite fluxiſſe, quod neque Principibus neque Or- "
dinibus Imperii ſuus honor habitus ſit, ſua ju- "
ra ſervata; nonnullis etiam dominia, imo & "
ipſa corporis libertas, [Trevirenſem deſigna- "
bant] *erepta fuerint. Quæ verò ad omnes ab* "
ipſis Imperii primordiis ac primùm latis legibus "
pertineant, ea ad unum ferè contraxiſſe pauco- "
rum potentiam. Jam diu circumferri, Domum "
Auſtriacam Europæ monarchiam moliri: Ba- "
ſin conſtituere in ſummo dominatu Imperii ceu "
centro Europæ. Hanc ut ſtabiliat, omnia "
Majeſtatis jura, vim Legum, & munia magi- "

ſet. At nullum ex eo agnato Imperatori ſubſidium, ita fatis Gentis Auſtriacæ ſortem tum partitis, ut non minora in Germania Ferdinandina familia, quam extra eam Caroli progenies detrimenta perſentiſceret.

Britanniæ. XXIII. Anglia monſtrorum ſemper non minus ac Africa fœcunda, Epiſcoporum ac Presbyterorum diſſenſionibus, (& fermé acerrima ſunt Eccleſiaſticorum odia) inter ſeſe ſibiq; connexa Scotiæ atq; Hiberniæ regna divulſa, & Stafforti Hiberniæ Proregis ſupplicio funeſta, atrociori facinori ſeſe parabat, in ipſum Principem ſecurim ſtrictura, quam in cariſſimum ei hominem, nulla regiarum precum veneratione, expedierat, vanis inde Palatinorum votis, transmarinis iſtis auxiliis patrio Principatui reddi ſperantium.

Galliæ. XXIV. Gallia pluribus adverſus Hiſpanos atque Auſtrios (*d*) victoriis inclyta, etiam Domi non improſpere degebat. Nam quamvis exemto rebus humanis Ludovico, non unquam tamen ſedatius egerat; Principes concordes & muliebre imperium non detrectantes; nullo novandarum rerum auſu, ſive capaces, ſed aſpernantes, aut avidi, at minores. Senatus Pariſienſis (*Parlamentum*) non reginæ tantum, ſed & Mazarini obſequio paratus, lubentius extero, quam populari obtemperaturi. Neq; ceteri Magnates Nobileſq; illum rerum ſtatum abnuebant, cum

(d) *Priol. l. 15. ſeqq.*

cum quanto quis ſervitio promtior, opibus & honoribus extollerentur, ac novis ex rebus aucti, tuta & præſentia, quam vetera & periculoſa mallent. Sacer ordo ſuis deliciis ignaviæque immerſus, eâdem regni ac Eccleſiæ incuriâ tenebatur. Vulgus, cui nulla alia ex Rep. quam annonæ cura, pacem tantum expetere, levandis tributis idoneam, nec hæc tamen recuſaturum, ſi ſolvere juberetur. Quanquam ut Gallis neque turbidis neq; qvietis ulla conſtantia eſt, inſecuta tempora iſtam tranquillitatem non parum laceſſerent.

XXV. Polonia Daniaqve novam Svecorum vim expertæ, aut formidantes, pacem magis quam qvietem habebant, belli reſumendi conſiliis & coercendis, ſi poſſent, nimiis vicinorum progreſſibus, imminentes. Poloniæ, Daniæ.

XXVI. Omnium fata Germania ſuperabat, adeo ancipiti dubioque rerum habitu confuſa, ut ipſa cladibus ſuis lætari, victoriisqve dolore, aut potius victoriis pariter cladibusque ſuis ingemiſcere cogeretur, cum Germani eſſent, qvæcunqve pars aut vinceret aut vinceretur, ipſa infelicitatis ſuæ materies, campus, cauſa, præmiumqve, & civilis ſimul externique belli mala uno compendio complexa. Et acerbiorem calamitatem efficiebat, qvod Civium ſuorum pars prævalebat, qvi peregrinos ſectabantur, Germanorum diſcordia in clariſſimæ nationis opprobrinm ſuamque gloriam & emolumentum abutentes. Germaniæ.

Vix lætius unquam Fœderatorum arma floruere, Marchiæ Brandenburgicæ, Weſtphaliæ, Ubiorum & Juliacenſium terris, Sileſiæ, Auſtriæ, Bavariæ & tantum non univerſæ Germaniæ, aut imperio aut terrore incumbentia. Cæſareani à Svecis ad Kempam, Lipſiam, Sveinizium, Magdeburgum; Bavari à Gallis ad Nordlingam cæſi aut fugati. Reddita tamen his pene cum fœnore clades, ad Dutlingam, Mergentalium, & Friburgam memoranda ſtrage afflictis. Svecos quoque ſua damna modeſtiæ admonere, magna documenta inſtabilis fortunæ, ſummaque & ima miſcentis. At Cæſar tot annorum bellis caſibusque fractus. Bojoarus Imperatoris partes neceſſitate magis quam amore fovebat, arcano quidem at ſinceriori affectu in Gallum propendens. In ceteris Catholicis ingens adverſus inimicos ira, at viribus deſtituta. Eccleſiaſtici præſertim [congrua quidem ſacerdotibus modeſtiâ, niſi imbecillitas expreſſiſſet, fortiora auſuris, quando opes ſuppeterent,] votis potius, at ut eventu cognitum, irritis, quam armis Cæſaris communemque Catholicorum ſalutem propugnantes. Evangelicorum quidam aperte Regum amicitiam profitebantur, plerique utut in Cæſarem obſequium retinerent, lætam tamen ſibi iſtorum fortunam male diſſimulabant; eo meliorem pacem ſperantes, quo gravius Imperatorem Gallorum Svecorumque arma premerent. Hic fuit Europæ & præſer-

ſertim Germaniæ ſtatus, cum Cæſaris Regumq; Legati tractationem inchoarent, quietem tandem, at poſt aliquot demum annorum litigia, daturam. Nunc ipſam aggrediemur.

LIB. II.

SUMMARIA.

1. Legatorum Svecicorum adventus Oſnabrugæ; eorumque literæ Invitatoriæ ad Pacis Tractatus, ad Imperii Proceres; ut & Gallicorum.

2. Cæſaris ad eosdem Proceres, contra Gallicas.

3. Gallorum Invitatoriæ ad Senatum Auguſtanum.

4. Ad Urbes Hanſeaticas, & inflicta harum Legatis à Gallis contumelia.

5. Cæſareanorum ingreſſus Monaſterii atque Oſnabrugæ.

6. Difficultas ob Dani admiſſionem.

7. Controverſia, de Proceribus Imp. ad Pacificationem admittendis.

8. Treviri reſtitutio à Gallo, & ſalvi conductus pro Mediatis à Suecis petiti.

9. Cæſaris ob has cauſas literæ ad Franconicum Circulum, & Imp. Deputatos.

10. Cauſæ, ob quas Cæſar ordines admittere recuſarit, tandem tamen adſentiens.

11. Controverſia, de Modo Tractandi, variæque de illo ſententiæ.

12. Prima Propoſitio [Friedens-*Propoſition*] *Svecorum.*

13. *Gallorum, Cæſareanorum de iis ſententia.*
14. *Svecorum jacti pro æquitate Poſtulatorum ſuorum, & contra Cæſarem, atque Electores, ſermones.*
15. *A Proteſtantibus pronis auribus accepti, horumque adverſus Domum Auſtriacam querelæ.*
16. *Inclinatio Electoris Saxonici, plerisque Proteſtantibus improbata.*
17. *Svecorum atque Proteſtantium opinio & queſtus de Gallis.*
18. *Quæſtio de Loco Modoque Tractandi reſumta.*
19. *Cauſæ à Monaſterienſibus, cur Monaſterium tractationi deſtinanda, allatæ; ab Oſnabrugenſibus impugnatæ; irrito itidem Memmii Galli apud Svecos.*
20. *Moguntini apud Brandenburgicos, & Cæſareanorum apud Oſnabrugenſes eam in rem conatu.*
21. *Oſnabrugenſium conatus contrarii; Monaſterienſium aſſenſus;*
22. *Et tandem Gallorum.*
23. *Lis de admiſſione Magdeburgii, Durlaceni, Caſſellani, &c. ad conſultationes publicas. Monaſterienſium contra hos ſententia;*
24. *Contraria Oſnabrugenſium, & pro ea rationes.*
25. *Orta inde difficultas occaſione reſponſi Cæſareanorum ad Propoſitiones Regiorum, Proceribus Imp. communicandi, & qua ratione ea tandem ſublata.*

26. Ca-

26. *Cæſareanorum propoſitio ad Proceres.*
27. 28. *Ipſumque reſponſum ad Propoſitionem Svecicam.*
29. *Gallicam.*
30. *Continuatio litis de admiſſione memoratorum Ordinum.*
31. *Oſnabrugenſium ob eam rem litera ad Monaſterienſes.*
32. *Horum reſponſum.*
33. *Oſnabrugenſium de iis deliberatio.*
34. *Et legatio atque reſponſum ad Monaſterienſes.*
35. *Et ipſa irrita. Novæ Monaſterienſium conditiones ratione Magdeburgii;*
38. *Repudiata ab Oſnabrugenſibus.*
39. 40. *Alia Tractatio Oſnabrugæ inſtituta.*
41. *Et ipſa nullo ſucceſſu.*
42. *Lis hæc tandem ſopita. Origo ſcamni transverſi in Concilio Principum* [der Querbanck im Fürſten-Rath.]
43. *Excellentia Electoralium.*
44. *Bavaro imputata. Procerum de ea ſententia.*
45. *Rationes Electoralium.*
46. *Judicia de hoc Electoralium.*
47. *Svecorum & Auſtriacorum.*
48. 49. *Reſponſum Cæſareanorum Regiis exhibitum. Lis de Salvo Conductu Mediatis* [Reichs-Mittelbahren] *à Cæſareis præſtando.*
50. *Adventu Trautmansdorfii, ſupremo Cæſareæ Legationis principe, ſublata.*

51. Gallorum de Trautmansdorfii adventu criminatio.

52. Modus Replicandi ad Reſponſum Cæſar. inter Regios transactus.

53. In Præliminaribus ſalvus conductus pro Lotharingo à Cæſareanis.

54. 55. Pro Luſitano à Svecis deſideratus, fruſtra uterque.

56. Modus replicandi inter Cæſareanos & Svecos.

57. Replica Svecorum ad Proœmium Reſponſi Cæſarei, de cauſis belli, & an illud à Svecis Imperio illatum, adeoque pro hoſtibus ejus, ut & Hiſpani cenſendi ſint?

58. Ulterius, ad Claſſem I. de Negotiis Imperii, nempe (1) Amneſtia. (2) Privilegiis & Juribus Ordinum; præſertim fœderum cum exteris. (3) Gravaminibus, & (4) Commerciis.

59. Ad Claſſ. II. (1) de ſatisfactione Svecica, (2) Caſſellana & (3) militiæ.

60. Ad Claſſ. III. de Pacis Reductione atque ſecuritate, & denique

61. 62. De Executione Pacis; ubi de liberatione Eduardi Bragantini, ab Hiſpanis detenti.

63. Replica Gallorum, præſertim ratione auxilii Hiſpano contra Gallum à Cæſare non ferendi; electionis Regis Romani; ſatisfactionis Gallicæ; Cauſæ Lotharingicæ, & mutui fœderis pro conſervanda Pace.

64. Judicia de Replicis Regiorum.

65. Pro.

65. Pro.

66. Contra.

67. Inprimis Cæſareanorum;

68. Brandenburgiorum, Mekelburgenſium, aliorumque.

69. Quid occaſione colligendorum Gravaminum Evangelicorum, inter Electorales Brandenburgicos, & Principales (Fürſtl. Evangeliſchen) *contigerit.*

70. Exhibitio dictorum Gravaminum, concernentium (1) Reſervatum Eccleſiaſticum. (2) Jus reformandi Cænobiorum mediatorum. [*Mediat-*Stiffter] *(3) Autonomiam ſubditorum* [Frey-ſtellung der Religion.] *(4) Reditus ſacros ex alieno Territorio pendendos; Jurisdictionem Eccleſiaſticam, & ſcripta Paci internæ adverſa. &c.*

71. Gravamina Politico-Eccleſiaſtica circa (7) Majora vota. (8) Imparem Deputatorum Imperii numerum, (9) Donaverdæ reſtitutionem, & juſtitiam publicam, ubi de tollendis Dicaſterio Rotvilenſi, Provinciali Svecico, &c. & inſtituendis aliis, Cameræ Spirenſi & Cæſareo aulico æqualibus.

72. Quo animo accepta à Cæſareis, Moguntinis, Regiis.

I.

INtraverat Oſnabrugam, IV. Cal. Apr. Anno CIↃ IↃC XLIV. Joannes Baro Oxenſtiernius, Regni Sveciæ Senator & Conſiliarius Cancellariæ, quo cum jam Joan. Adler Salvius Collega præ- Svecorum adventus Oſnabrugæ. 27 Mart. 1644.

51. *Gallorum de Trautmansdorfii adventu criminatio.*

52. *Modus Replicandi ad Reſponſum Cæſar. inter Regios transactus.*

53. *In Præliminaribus ſalvus conductus pro Lotharingo à Cæſareanis.*

54. 55. *Pro Luſitano à Svecis deſideratus, fruſtra uterque.*

56. *Modus replicandi inter Cæſareanos & Svecos.*

57. *Replica Svecorum ad Proœmium Reſponſi Cæſarei, de cauſis belli, & an illud à Svecis Imperio illatum, adeoque pro hoſtibus ejus, ut & Hiſpani cenſendi ſint?*

58. *Ulterius, ad Claſſem I. de Negotiis Imperii, nempe (1) Amneſtia. (2) Privilegiis & Juribus Ordinum; præſertim fœderum cum exteris. (3) Gravaminibus, & (4) Commerciis.*

59. *Ad Claſſ. II. (1) de ſatisfactione Svecica, (2) Caſſellana & (3) militiæ.*

60. *Ad Claſſ. III. de Pacis Reductione atque ſecuritate, & denique*

61. 62. *De Executione Pacis; ubi de liberatione Eduardi Bragantini, ab Hiſpanis detenti.*

63. *Replica Gallorum, præſertim ratione auxilii Hiſpano contra Gallum à Cæſare non ferendi; electionis Regis Romani; ſatisfactionis Gallicæ; Cauſæ Lotharingicæ, & mutui fœderis pro conſervanda Pace.*

64. *Judicia de Replicis Regiorum.*

65. Pro.

65. *Pro.*
66. *Contra.*
67. *Inprimis Cæſareanorum;*
68. *Brandenburgiorum, Mekelburgenſium, aliorumque.*
69. *Quid occaſione colligendorum Gravaminum Evangelicorum, inter Electorales Brandenburgicos, & Principales* (Fürſtl. Evangeliſchen) *contigerit.*
70. *Exhibitio dictorum Gravaminum, concernentium (1) Reſervatum Eccleſiaſticum. (2) Jus reformandi Cænobiorum mediatorum. [Mediat-*Stiffter*] (3) Autonomiam ſubditorum* [Frey-ſtellung der Religion.] *(4) Reditus ſacros ex alieno Territorio pendendos; Jurisdictionem Eccleſiaſticam, & ſcripta Paci internæ adverſa. &c.*
71. *Gravamina Politico-Eccleſiaſtica circa (7) Majora vota. (8) Imparem Deputatorum Imperii numerum, (9) Donaverdæ reſtitutionem, & juſtitiam publicam, ubi de tollendis Dicaſterio Rotvilenſi, Provinciali Svecico, &c. & inſtituendis aliis, Cameræ Spirenſi & Cæſareo aulico æqualibus.*
72. *Quo animo accepta à Cæſareis, Moguntinis, Regiis.*

I.

INtraverat Oſnabrugam, IV. Cal. Apr. Anno CIↃ IↃC XLIV. Joannes Baro Oxenſtiernius, Regni Sveciæ Senator & Conſiliarius Cancellariæ, quo eum jam Joan. Adler Salvius Collega præ- *Svecorum adventus Oſnabrugæ. 27 Mart. 1644.*

1644. præceſſerat. Hi datis jam antea ad Imperii optimates literis, ut ſuos quisque Legatos maturè mitterent, in rem communem deliberaturos, impensè hortati fuerant, nunquam id à ſe impetraturos Auſtriacos teſtati, ut cum illis ſolis (id enim Cæſaris conſilium erat, non niſi admiſſis Electoribus Imperiique Delectis, DEPUTATOS appellare conſvevimus, ceteros omnes à Tractatione procul habere,) ſtabiliendæ pacis „negotium ſuſciperent; *Semper enim Svecos „ſeparatos tractatus infidos & periculoſos judicaſſe, atque in id incubuiſſe, non ut ſeparatim, aut „fruſtulatim, ſed ſimul & univerſim, pariquè paſſu interna pax cum externa juſta, decora, tuta, „obtineretur.* Immodeſtius & ad Gallicæ proterviæ modum idem officium verſus Imperii proceres Galli, Claudius Memmius & Abel Servientius Comites peregerunt, vix parcius iſtos ſocordiæ, quàm Domum Auſtriacam fraudis Tyrannidisque accuſantes, ſimul Gallici cando„ris integritatem extollendo. *Ubi enim illas*

Literæ invitatoriæ Anno 1644. ad Pacis tractatus ad imperii Proceres 4. & 14Nov. 1643. Gallorum.

6. Apr. 1644. *„voces Amneſtiam flagitantium & quæ ultrò ſe of„ferat, inſtaurandi Imperii occaſionem? Hanc „vel præcipuam inter belli cauſas ſibi ſtatuiſſe Gal„los, Svecosque, ac publicè conteſtatos eſſe: eo con„ſilio arma ſumſiſſe, non niſi reddita Germaniæ „libertate ponenda. Sed ſecus interpretatos „Auſtriacos ita accipi voluiſſe, quaſi Regnis res „ſuæ tantùm curæ eſſent, commoda Germanorum*

præ-

prætenderentur. Utrius partis ſincerior fuerit " 1644.
Oratio, magna alterutrius mercede jam patefa- "
ctum iri. Nunc demum detrahendam eſſe per- "
ſonam, profitendumque in hoc ad Pacem conven- "
tu, quid ſibi quisque bello parari voluerit. Ac- "
cederent igitur Germaniæ Proceres, conſiliorum "
factorumque ipſorum teſtes futuri. Sanè ſi "
publicam Europæ cauſam auſpicari & abſolvere "
fas ſit, non niſi cum Imperatore & Statibus ſimul "
tranſigi oportere. Neque enim jus belli & pa- "
cis ei uni competere, neque Galliam, quæ Germa- "
nicam prætulit, & conſtanter tutata ſit, liber- "
tatem, in eaque non parum ſibi præſidii eſſe ſen- "
tiat, legitima imperii & propriæ ſecuritatis fun- "
damenta convelli unquam paſſuram. Noſſe "
omnes, ſeriem iſtam bellorum ab iſto fermè ca- "
pite fluxiſſe, quod neque Principibus neque Or- "
dinibus Imperii ſuus honor habitus ſit, ſua ju- "
ra ſervata; nonnullis etiam dominia, imo & "
ipſa corporis libertas, [Trevirenſem deſigna- "
bant] *erepta fuerint. Quæ verò ad omnes ab* "
ipſis Imperii primordiis ac primùm latis legibus "
pertineant, ea ad unum ferè contraxiſſe pauco- "
rum potentiam. Jam diu circumferri, Domum "
Auſtriacam Europæ monarchiam moliri: Ba- "
ſin conſtituere in ſummo dominatu Imperii ceu "
centro Europæ. Hanc ut ſtabiliat, omnia "
Majeſtatis jura, vim Legum, & munia magi- "

1644. „*ſtratuum Ordinibus Imperii paulatim ire ad-* „*emtum. Solam certè Electores & Principes a-* „*liquot in exilium egiſſe, ſolam hactenus armo-* „*rum jus ſibi aſſeruiſſe. Magnis itineribus hinc* „*diſſitis inania rerum ad ipſos perlatum iri, ar-* „*canorum ignaros, nequè ſincerum quicquam au-* „*dituros, quod aliter quam eſt, referri ipſis alter-* „*utrius interſit. Nimirum in tantis & impedi-* „*tiſſimis negotiis os ori admovendum eſſe, omnia* „*coram adminiſtranda. Internunciis, epiſtolis,* „*relationibus, quodcunque libitum eſt, interpo-* „*lari facilè atque adulterari. Animadverterent* „*denique in peculiaria illa* [Deputatorum] *pau-* „*corumque comitia gratiam facilè irrepere (ſor-* „*dibus enim ibi eſſe locum, vix quenquam ſuſpi-* „*cari audere.) Utut ſit, omnia Imperatoris arbi-* „*trio gerantur, neceſſum fore. Quod non per-* „*inde uſu veniat in Comitiis majoribus, ubi nume-* „*rus & autoritas æquitati ſuffragentur, & verita-* „*tem in aperta luce collocent.*

Cæſaris in eam rem literæ ad Imperii ordines. 14. 24. Jun. 1644.

II. Ægrè hæc tulit Ferdinandus, qui ſcripta itidem ad Germaniæ optimates epiſtola, ea ſibi à Gallis exprobrata querebatur, quorum neque Chriſtianiſſimi Regis, neque Regni Galliæ notio ſit. At non obſcuram eſſe malè ſolertem adverſariorum induſtriam, jactatæ pacis loco fœdera cruenta eum in finem procurantium, ut Germaniam ſuis ipſius viribus confectam, diſcordiisque civi-

civilibus feſſam, ipſi ſub imperium majori facilitate accipiant. Nec enim ignorari, quæ ſub initia horum tractatuum Monaſterii atqve Oſnabrugæ cœptorum, Galli Svecique agitaverint, id moliti, ut Turcis Tartarisque in partes ſuas Imperiique & Auſtriacæ Domus exitium pellectis, Sultano perſvaderent, qvo Transſylvano fœderis violationem meditanti aſſenſum, & ſi caſus contra eveniret, auxilium commodaret. Neque flagitio fortunam omnino defuiſſe, & Ragotzium iſtorum blanditiis perſvaſum, neglecta pactorum fide, irruptisque Auſtriacis provinciis, ſi non integram conſiliorum menſuram, aliquam tamen partem impleſſe. Scire Proceres, vulgoque notas eſſe hoſtium artes, dulci protectionis vocabulo in Germanorum perniciem abutentium; & multo rerum noviter priſcisve ſeculis geſtarum eventu compertum, accitos à partibus adverſus omnes invaluiſſe. Libertatem & ſpecioſa nomina prætexi, nec qvenquam alienum ſervitium & dominationem ſibi concupiiſſe, ut non iſta vocabula uſurpaverit. Ita probris conviciisque certabatur, ne verbis, qvam armis mitius bellum tum gereretur, cum Pacis primordia ſperabantur. 1644.

III. Modeſtiori tamen aliquantum ſermone, Auguſtanæ Urbis ſenatum, (ſimilique modo forſan & alios,) Galli (*d*) invitavere, declarando, ut

Gallor. literæ invitatoriæ ad Senatum Auguſtanum.

(d) *Lundorp. Tom. V. Lib. 2. c. 79.*

1644. ut dicebant, ſuo in Imperii Civitates, Auguſtanam præſertim, affectui, qvam non poſtremo in Imperii Comitiis loco cenſeri, haud ignorarent; & teſtificandæ ſimul ſuæ Regisq; inprimis pro revocanda ſtabiliendaque Imperii tranqvillitate ſollicitudini, ipſis rerum documentis comprobaturi, qvo animo ad reparandam pacem, & reſtituendam Germaniæ libertatem feratur, laudatiſſimi Patris veſtigia, tenera quamvis adhuc ætate, ſecuturus. Gallorum certè, veram quippe pacis curam gerentium, cujus umbram tantum alii ſpeciemque oſtentent, maximè muneris eſſe, providere, qvo & expulſa illa reduci, reductaque ſervari qveat. Inprimis Imperii Urbibus Regem egregie favere, hoc præſertim tam opportuno tempore ope ipſius non parum juvandis. Venirent modo, & qvantum curæ Gallis ipſorum res ſint, præſentes adverterent.

Ad Urbes Hanſeaticas. Harum Legatis inflicta à Gallis contumelia. IV. Pari comitate etiam Lubecæ, Bremæ, atque Hamburgi Civitates, ſuo, totiusque Hanſeatici Fœderis nomine vocatæ. At non in Legatos ipſarum, ſuperbæ genti, & in aliorum contumeliam proclivi, humanitas conſtitit. Miſerant, qvas modo retulimus, Urbes Monaſterium, qui ſuæ communisque fœderatæ rei in iſto Orbis Conventu curam haberent. Iique in locum delati, Gallis, de adventu ſuo certioribus redditis, ſimul exquiſivere, quod Memmio conveniundi

29. Jan. 1645. ſui tempus placeret. Dicta ab eo dies IV. Cal. Febr.

Febr. hora poſt meridiem ſecunda, adjecto, eandem poſtero die Collegæ quoq; adeundi copiam fore. Apparente die, Hanſeatici, quo minus errori locus eſſet, à Memmio, num præſtitutâ horâ adhuc inviſi velit, rurſum qværentes, tertiâ adeſſe jubentur, moniti, Congreſſui etiam Servientium adfuturum. Iisque conſtituto tempore ædes Memmii ingreſſis, atqve in ipſis earum foribus à miniſtris, in gradibus verò ab ipſo Memmio benigniſſimè exceptis, ac in Conclave, quo eos Servientius opperiebatur, introductis, ſellisque è regione utriusque Legati unà conſidentium, ſedere juſſis; denique poſt commutatos utrinque ſermones, ab utroque, deducente etiam per gradus Memmio, honorificè ſatis habitis, dimiſſisq; nihil hactenus obtigerat, quod de Gallis conqveri poſſent. At mox in deterius mutatum Servientium deprehendere. Jam enim Gallicæ Legationi à ſe ſatisfactum rati, quanquam & Servientio propriis in ædibus eundem honorem habere decreviſſent, ne tamen, ut poſtea cauſſabantur, immodeſtiæ deputaretur, ſi illico redirent, nimio cultu Legatum fatigaturi, & quod cum Baronibus Portio & San-Romano abitum paranti- 30. Jan. bus negotium ipſi fore crederent, dilato aliqvantum officio, Hiſpanos inviſere, proximâ inde die 31. Jan. Servientium ſalutaturi. Atque is de tempore ſibi opportuno rogatus, ſecundâ veſpertinam nominavit. Adſunt Hanſeatici, atq; à Comitis familia ad ædium januâ conſiſtente per atrium in concla-

ve

1644. ve perducuntur, At verſâ mox ſcenâ, loco Servientii Nobilis prodit, qvi Legatum, qvanquam ſtatutæ horæ non immemorem, aliis negotiis impeditum audiendis ipſis vacare non poſſe primum cauſſatus, mox Hiſpanicis Legatis honorem hunc ante Servientium habitum, exprobrat. Quod cum ad Chriſtianiſſimi Regis injuriam, atq; Legati pari cum Memmio dignitate ac poteſtate præditi contemtum pertineat, haud integrum ipſi eſſe, citra novum Regis conſenſum mandatumve eos admittere. Peccaſſe ipſos in Chriſtianiſſimum Regem, & Dominos ipſorum, qvibus hoc factum excuſare non poſſint. Et quanqvam Hanſeatici inopinâ repulsâ conſternati, utrumq; Legatorum *indiviſim* jam officio hoc ante Hiſpanos nuper cultos, tum Legationum Germanicarum morem, atque ad ejus formam, Cæſaris etiam atq; Svecorum Legatos, æquè binos, bona illorum pace gratiaque ſimul, eodemque honoris compendio à ſe ſalutatos, aliaque eundem in ſenſum memorarent, irriti tamen, & ne viſo quidem Servientio, abiere, de contumelia ſibi illata palam conqueſti, documento, qvantum oſtentatæ cum ambitu à Gallis civilitati, inſitæ morum comitati arte lenocinantibus, eorum faſtus prævaleat, affectatam humanitatem majori verâque ſuperbia plerunque penſantium. Verum hæc poſtea evenere. Nunc ad ipſius negotii ordinem redeo.

V. Jamdudum Oſnabrugam nomine Cæſaris Jo. Maximilianus, Comes Lambergius & Jo. Cranius, Monaſterium, Jo. Ludovicus Naſſaviæ Comes cum Iſaaco Volmaro inierant, nullo tamen ad initia pacis profectu, ut tardiſſimum finem Tractatuum meritò expectares, quorum tam lenta principia procedebant. 1644. Cæſareorum ingreſſus Monaſterii atq; Oſnabrugæ.

VI. Et verò prima fermè moræ cauſa, quod Cæſareani ſine Dano negotium aggredi detrectabant, cui & ipſi, utriusqve partis conſenſu conciliandæ Paci primùm delecto non multo poſt Sveci arma intulerant. Horum igitur Legati, ſeu vera pacis cupiditate, proſperis tùm maximè regiorum ſucceſſibus ſua ad vota facilius componendæ, ſive transferendæ in iſtos protracti belli invidiæ, miſsâ ad Cæſaris Legatos [e] Epiſtolâ, armorum, quibus per tot annos Germania afflicta ſit, mala omnium oculis animisque expoſita ideoque non hujus minus ac Regum ſociorumque ad reducendam pacem vota ſtudiaque memorantes, ſolos Cæſareanos ab eo averſos, qverebantur. Ei præparandæ primò non niſi Tempus, Locum Locique ſecuritatem neceſſaria viſa fuiſſe. Huic aliqvot eqvidem horarum (ſi ſerio res ageretur) negotio tot annos inſumtos eſſe; facili, ſi ex initio cujusque rei de fine illius augurari liceat, conjectura, qvàm lentos progreſſus Tractatio iſta habitura ſit. Jam annum effluxiſſe, ex quo ad Imperii

Cæſarei tractationem ſine Dano aggredi recuſant. Svecicorum eâm in rem ad iſtos literæ 29. Jul. 1644.

(e) *Ap. Lundorp. d. Lib. 2. c. 83.*

1644. perii Proceres de die Tractatibus inchoandis dicta ipſi perſcripſerint, acceſſiſſe poſt tres inde menſes alias epiſtolas, quibus, ut ſtatuto tempore locoque adeſſent, monuerint; at neminem adhuc comparuiſſe, cauſſis quidem non adeo obſcuris, ut deprehendi non qveant. Cæſarem ſuis ad Proceres literis, (Ausſchreiben/) ingentem pacis amorem præ ſe ferre; ejusqueLegatos, ut ipſi videri velint, mandata tractandæ paci idonea non minus ac Regios accepiſſe. At rogatos, operi manum admovere, Danum prætendere, ſine quo pacem confieri nefas ſit, ſuis videlicet in RemGermanam officiis, & oblatâ præſertim concordiæ procurandæ operâ meliora merito, qvàm ut pacis tractatione excluſus Svecorum armis ſolus objiceretur. At vero publicis jam literis Orbi innotuiſſe, bellum à Svecis Dano non ob ſuſceptum conficiundæ Pacis munus, haud ſibi minus ac Cæſari gratum, neqve ut Imperii Principi, neutras partes utrorumq; cum veniâ ſecuto, ſed utDaniæ Regi illatum, aut potius ab hoc per tot injurias cœptum à ſeſe propulſatum eſſe. Qua de re an Cæſaris notio ſit, ipſorum belligerantium, tum & Imperii ordinum, ad qvos, moleſtiarum qvippe belli participes, id pertineat, judicium eſſe. Sæpius, at fruſtra ſemper, tentatos ab Imperatoribus Proceres, ut in Regis Hiſpani gratiam, Imperii equidem, ratione Burgundiæ, Civis, Belgicis bellis ſe immiſceri pate-

paterentur. Jam verò id agi, ut Germania inſcia 1644.
invitaq;, ſuisq; jam bellis bellorumque malis ſatis implicata, etiam ad exterorum controverſias, ſuo ſangvine decidendas, trahatur. Eſſe Regnis ſua judicia, Pacta, & reducendæ Pacis pararios, officii ſui jam ſatagentes. Et Monoſterii ac Oſnabrugæ, etiam his abſtinentibus, ſatis laborum, ſatis negotii fore. Neque Germanicæ Paci promovendæ futurum, ſi ſuas quoqve lites huc trahi Sveci Daniq; permitterent. Verùm, eo jam rem provectam eſſe, ut patriam ſuam commune Theatrum ſtatui velint Germani, in quo de omnibus omnium populorum bellis agi oporteat. At ſperare forte Cæſarem, Danum, carum ſibi adeò amicumque, in procuranda pace votis ſuis commodiorem futurum. Verùm id ipſum Svecis ſuſpicioſum, Regem in alteram partem ſuo affectu magis inclinare, cujus potius officio congruat, æqvo favore utrumqve complecti. Non incognita qvidem eſſe Regis conſilia, domeſticæ pacis ab externa ſeparandæ; facilius enim, qvi divideret, imperaturum. Verùm, id forte Cæſaris, certè non Imperii emolumento ceſſurū; vulgatis jam aliorum exemplis, qvi & ipſi, peculiari tractatione Imperio ſibiqve conſulturi, id ad aſperandum potius cum exteris bellū, quàm ſopienda Civium diſſidia valuiſſe, ſuo damno experti ſint. Id forte etiam à Cæſare beneficio imputari, qvòd Danus plurimis in Svecos Injuriis horū arma ex Impera-

1644. toris Provinciis ſuas in terras exonerans, conſilia pacis turbarit, exigua quidem Germaniæ utilitate, cui non alia, quam in ejus tractatione evadendi, quod immineat, ſupremi exitii, ſpes reliqua manſerit. Quidquid ſit, ſive Cæſaris commoda Danus, ſive ſua ſpectarit, Svecos extra culpam eſſe, quibus primum Dani bellum moverint, omiſsâ ſua ſponte curâ, quam conciliandæ inter Imperatorem Svecosque concordiæ ante ſuſceperant. Quanquam ad illius tractationem talibus Proxenetis non omnino opus eſſe. Seſe quidem negotium, nullius interventu ſubeundum, Cæſareanis, at fruſtra, obtuliſſe. Eisdem neque Venetos, neque Imperii Proceres ſatis placere, variis artibus abſterritos, ne bello intercederent, qui belli calamitates hactenus pertuliſſent. Neque hæc ideò à ſe dici, ac ſi meliora à Cæſareis impetraturos ſperent, ſed excuſandæ Deo Orbique moræ, quam in admittendis pacis conſiliis iſti committant.

Controverſia de Ordinibus Imperii ad Pacificationem admittendis. Literæ Svecorum

VII. Magnam præterea negotio inchoando difficultatem quæſtio de Principibus Ordinibusque Imperii ad tractationem ejus admittendis injecerat. Hos ea abſtinere Cæſareani ſatagebant, Svecis in adverſa nitentibus, qui exaratis ad Delectos procerum Francofurti coactos (*Deputatos ordinarios* appellant) literis indignam Germaniæ ſortem facunde miſerantes; Si aliquod, „inquiebant, fatum ſit Imperiorum, multos certè

tè putare vel fato regi, vel fatis deſtinari Germa-" 1644.
niam. Omnes Status bellum execrari; omnes "
pacem inclamare: pauciſſimos aut media pacis " ad De-
promovere, aut removere obſtacula. Atq; uti-" putatos
nam non plures bella ex bellis ſererent, inteſti-" Franco-
na externis aggravantes. Alterum annum agi, " furten-
ex quo univerſi & ſinguli, quorum intereſt, Os-" ſes 14.
nabrugis & Monaſterii, pro ſtatuenda pace" & 24.
comparere debuerint. Exteros ferè omnes, è " Octobr.
locis etiam diſſitis, mature comparuiſſe: Germa-" 1644.
norum ipſorum, licet & proximi ſint, & eorum "
præcipue interſit, adhuc dum neminem. Binos "
Electores hîc, (Oſnabrugam innuebant,) binos "
Monaſterii adfuturos, jam dudum promiſſum "
eſſe: Adhuc tamen neminem venire. Pro ceteris "
ordinibus, tam Auguſtanæ Confeſſionis, qvàm "
Romanæ Religionis, fœderata Regna, per annos "
ſeptem, tractatu armisque laboraſſe, ut ad hunc "
diem convenienti ſalvo conductu munirentur. "
Munitos eſſe, ut tuto convenire & intereſſe, ac "
negotia ſua qualiacunque hîc ſecure peragere "
poſſent: neminem tamen adhuc comparere. In-"
terim Germaniam ruere ad excidium! Si patriæ "
Patres non majori ejus cura aut commiſeratio-"
ne tangantur; ſi Columnæ Imperii tantopere "
cunctentur ruinoſæ compagis minas ſuffulci-"
re: Si Status & ordines ipſi ſusque deque ha-"
beant, ordo an confuſio regnet, ſtet vel cadat "

1644. „Reſpublica, quid tandem ab exteris ſperari de-
„bere: cernentibus, non ſolum omnes amicitiæ
„& reſtaurationis oblatæ vias rationesque ſper-
„ni, ſed & ſibi pro gratia, moram culpamque
„protracti tractatus falſo à quibusdam imputari?
„Quod ſi contra Imperatorem aut Imperium à
„fœderatis evocarentur in campum aliquem
„Martium, neminem renuentium conſtantiam
„tantopere miraturum. Nunc cùm ad legitima
„Majeſtatis decora, autoritatem Comitiorum,
„propriam libertatem, amicitiam finitimorum,
„&, in ſumma, ad priſtinam pacandæ patriæ fe-
„licitatem ſtabiliendam, tàm frequenter & ami-
„ce invitentur; Cum videant manifeſte, non ar-
„mis, ſed amico tractatu, miſeriarum finem aut
„modum ſperari poſſe vel debere; mirari ſubire,
„quid eos tamdiu moretur! Neque enim credere
„ſe poſſe, eos ſibi perſvadere, abſentiam ſuam
„præſentiâ Cæſareæ Deputationis penſari. Nam
„ut id experirentur, & ſimul ſincerum ſeriumque
„in Germaniæ pacis redintegrationem obfir-
„matum Reginæ animum ipſo facto oſtenderent,
„cum ſuo Oſnabrugam adventu obtuliſſe Cæſa-
„reis Commiſſariis non modo mutuam legiti-
„mationem, verum etiam aliquoties tractatûs i-
„pſius auſpicia. Tantum vero abeſſe, ut actionem
„acceptare voluerint, ut ne quidem ad ſola *Pro-*
„*curatoria* ſaltem oſtendendum induci potuerint!
„nunc Mediatoris defectum, nunc lites Sveco-

Da-

Danicas, nunc Gallicas moras, nunc alia vana " 1644.
cauſati. Inde ad refellendos Cæſareanos digreſ- "
ſi, qui ſine Dano pacem abnuerent, & ſpretam ab
iisdem ſive *immediatam*, ſive Venetorum, ſeu
Procerum denique opera, ſive etiam ſcriptis expediundam tractationem, arguentes, ex iis omnibus haud obſcure patere oſtendebant, quantum
ſibi Germania de ſolis Cæſareanis promittere
poſſit. Qui tamen ab aliis paulo jam major ſuc- "
ceſſuræ negotiationis ſpes præbeatur, ne oſores "
pacis ſub hac conſiliorum rerumque viciſſitudi- "
ne novis eam, pro more, tricis involverent, ne- "
ceſſitatem aut ſalutem ipſam poſtulare omnino "
dicebant, ut ipſi ordines Imperii, præſentiâ, au- "
toritate, impulſuq; ſuo, huic tandem operi ma- "
num cuneumque admoveant. *Multâ quippe* "
experientiâ ratum firmumq́, apud ſe eſſe, absque "
efficaci ordinum cooperatione non modo ullam pa- "
cem, ſed vix ullos tractatus Pacis ſperandos eſſe; "
ſcire ipſos, nec ſolos Cæſareos poſſe, nec velle fœ- "
deratos Reges & Principes absque iis tractare. "
Denique, quo in Cæſarem invidiam cumularent,
& ſimul ſuum in pacem extollerent ſtudium, Cæſari jus hoſtium, & ſacra legationis, ac fas Gentium rupta, quinquies interceptas retentasque literas, captum in itinere Legationis Secretarium,
& ex comitibus ejus cæſos quosdam, alios ſpoliatos, exprobrabant. At ne ita quidem Proceres
comparebant, & ne reſponſo quidem literas iſtas

1644. „Reſpublica, quid tandem ab exteris ſperari de-
„bere: cernentibus, non ſolum omnes amicitiæ
„& reſtaurationis oblatæ vias rationesque ſper-
„ni, ſed & ſibi pro gratia, moram culpamque
„protracti tractatus falſo à quibusdam imputari?
„Quod ſi contra Imperatorem aut Imperium à
„fœderatis evocarentur in campum aliquem
„Martium, neminem renuentium conſtantiam
„tantopere miraturum. Nunc cùm ad legitima
„Majeſtatis decora, autoritatem Comitiorum,
„propriam libertatem, amicitiam finitimorum,
„&, in ſumma, ad priſtinam pacandæ patriæ fe-
„licitatem ſtabiliendam, tàm frequenter & ami-
„ce invitentur; Cum videant manifeſte, non ar-
„mis, ſed amico tractatu, miſeriarum finem aut
„modum ſperari poſſe vel debere; mirari ſubire,
„quid eos tamdiu moretur! Neque enim credere
„ſe poſſe, eos ſibi perſvadere, abſentiam ſuam
„præſentiâ Cæſareæ Deputationis penſari. Nam
„ut id experirentur, & ſimul ſincerum ſeriumque
„in Germaniæ pacis redintegrationem obſir-
„matum Reginæ animum ipſo facto oſtenderent,
„cum ſuo Oſnabrugam adventu obtuliſſe Cæſa-
„reis Commiſſariis non modo mutuam legiti-
„mationem, verum etiam aliquoties tractatûs i-
„pſius auſpicia. Tantum vero abeſſe, ut actionem
„acceptare voluerint, ut ne quidem ad ſola *Pro-*
„*curatoria* ſaltem oſtendendum induci potuerint!
„nunc Mediatoris defectum, nunc lites Sveco-
Da-

Danicas, nunc Gallicas moras, nunc alia vana " 1644.
cauſati. Inde ad refellendos Cæſareanos digreſ- "
ſi, qui ſine Dano pacem abnuerent, & ſpretam ab
iisdem ſive *immediatam*, ſive Venetorum, ſeu
Procerum denique opera, ſive etiam ſcriptis expediundam
tractationem, arguentes, ex iis omnibus
haud obſcure patere oſtendebant, quantum
ſibi Germania de ſolis Cæſareanis promittere
poſſit. Qui tamen ab aliis paulo jam major ſuc- "
ceſſuræ negotiationis ſpes præbeatur, ne oſores "
pacis ſub hac conſiliorum rerumque viciſſitudi- "
ne novis eam, pro more, tricis involverent, ne- "
ceſſitatem aut ſalutem ipſam poſtulare omnino "
dicebant, ut ipſi ordines Imperii, præſentiâ, au- "
toritate, impulſuq; ſuo, huic tandem operi ma- "
num cuneumque admoveant. *Multâ quippe* "
experientiâ ratum firmumq; apud ſe eſſe, absque "
efficaci ordinum cooperatione non modo ullam pa- "
cem, ſed vix ullos tractatus Pacis ſperandos eſſe; "
ſcire ipſos, nec ſolos Cæſareos poſſe, nec velle fœ- "
deratos Reges & Principes absque iis tractare. "
Denique, quo in Cæſarem invidiam cumularent,
& ſimul ſuum in pacem extollerent ſtudium, Cæſari
jus hoſtium, & ſacra legationis, ac fas Gentium
rupta, quinquies interceptas retentasque literas,
captum in itinere Legationis Secretarium,
& ex comitibus ejus cæſos quosdam, alios ſpoliatos,
exprobrabant. At ne ita quidem Proceres
comparebant, & ne reſponſo quidem literas iſtas

1644. dignabantur, quos modo diximus, Delecti, illæſâ cerâ remiſſas; quam injuriam iſti mitiori interpretatione diſſimulantes, alia mox epiſtola Ordinum adventum urſere, repudium, atque ſuam cuique rem habere ſe juſſuros minantes, nî commiſſam hactenus moram alacri feſtinatione purgarent.

Gallorum Poſtulatū de reſtituendo Treviro.

IIX. Ne tamen dilatæ tractationis invidia ſolos Cæſareos oneraret, partem ejus etiam Galli ſubiere, Trevirum Electorem reſtitui poſtulantes, non ipſius magis totiusque Principum ordinis, ut credi volebant, ac Regis ſui injuriâ Viennæ detentum. Ea de re pauca huc afferre lubet. Maximam Germaniæ partem victoriis, totam victoriarum famâ nominisque ſui terrore Guſtavus Adolphus compleverat, Pontificiis præſertim nimius, gravibus damnis, aliquibus etiam terrarum jactura afflictis, cum Galli mediarum partium conſilia ſuggererent, ſeu conſervandis utcunque religionis ſuæ ſociis, ſive, ut plerisque vero propius videbatur, ſiſtendo Svecicæ felicitatis curſui, & quo Auſtriaci reliquorum Catholicorum ſubſidio deſtituti, minori operâ, atque majori operæ pretio, debellarentur, quibus victis, liberior de ceteris ſtatuendi poteſtas eſſet. Et quo pulchrior ſpecies prætextui ineſſet, fœdere ſuo cum Svecis inito, (a) in Catholicorum Imp. Procerum commodum hoc etiam cautum eſſe aje-

(a) *V. Lundorp. Tom. IV. Lib. 2. c. 11.*

ajebant, ut iſti Paci Religionis, aliisque Imp. Legibus ſervandis, & relinquendæ Romanæ religionis ubicunque locorum hucusque exercitæ, obſtricti, Bavaro ceterisque Ligæ ſociis neutrarum partium gratiam facerent, adjecta conſilii ratione, ne ſcil. fractis Auſtriacis, ſimul tota Catholicorum ſalus concideret. Et conſcribebantur jam (*b*) conditiones, in quas Bavarus ceterique adacti, non Svecis minus Gallisque, atque Cæſare amicis uterentur. Verùm his à reliquis Pontificiorum rejectis, ſolus Philippus Chriſtophorus, familiæ Soeterianæ, Trevirorum atque Nemetum Præſul, Svecorum armis oppreſſus, imploratam à Gallis opem ea lege (*c*) obtinuit, ut Ehrenbreitſteinium, atque Philipsburgum, hoc Spirenſis, iſtud Trevirenſis ditionis munimentum Svecico præſidio liberatum Gallorum poteſtati permitteret, non minus Svecorum ac Gallorum amicitiâ fruiturus, Canonicis, Provinciæque ordinibus, oſtentata ab Hiſpano, Belgii Principe, honeſtioris auxilii ſpe, multum, at fruſtra, refragantibus. Jamque Elector per trium ferme annorum ſpatium, pacato ſatis rerum ſuarum ſtatu aliquantum recreatus, non malè ſibi proſpexiſſe videri poterat, nî quieſcentem Comes Emdanus turbaſſet: (*d*) Is Lucemburgiæ Præſes, Electoris in hoſtes ſtudia

1644. Anno 1632. Anno 1635.

(b) *Apud Eund. d. Lib. c.12.* (c) *V. Capitulatio Trevir. cum Gallo. d. L. c. 7.8. cum Sveco c. 9.10.* (d) *Grammond. Lib. IV. ſub fin.*

1644. dignabantur, quos modo diximus, Delecti, illæſâ cerâ remiſſas; quam injuriam iſti mitiori interpretatione diſſimulantes, alia mox epiſtola Ordinum adventum urſere, repudium, atque ſuam cuique rem habere ſe juſſuros minantes, nî commiſſam hactenus moram alacri feſtinatione purgarent.

Gallorum Poſtulatū de reſtituendo Treviro.

IIX. Ne tamen dilatæ tractationis invidia ſolos Cæſareos oneraret, partem ejus etiam Galli ſubiere, Trevirum Electorem reſtitui poſtulantes, non ipſius magis totiusque Principum ordinis, ut credi volebant, ac Regis ſui injuriâ Viennæ detentum. Ea de re pauca huc afferre lubet. Maximam Germaniæ partem victoriis, totam victoriarum famâ nominisque ſui terrore Guſtavus Adolphus compleverat, Pontificiis præſertim nimius, gravibus damnis, aliquibus etiam terrarum jactura afflictis, cum Galli mediarum partium conſilia ſuggererent, ſeu conſervandis utcunque religionis ſuæ ſociis, ſive, ut plerisque vero propius videbatur, ſiſtendo Svecicæ felicitatis curſui, & quo Auſtriaci reliquorum Catholicorum ſubſidio deſtituti, minori operâ, atque majori operæ pretio, debellarentur, quibus victis, liberior de ceteris ſtatuendi poteſtas eſſet. Et quo pulchrior ſpecies prætextui ineſſet, fœdere ſuo cum Svecis inito, (a) in Catholicorum Imp. Procerum commodum hoc etiam cautum eſſe aje-

(a) *V. Lundorp. Tom. IV. Lib. 2. c. 11.*

ajebant, ut iſti Paci Religionis, aliisque Imp. Legibus ſervandis, & relinquendæ Romanæ religionis ubicunque locorum hucusque exercitæ, obſtricti, Bavaro ceterisque Ligæ ſociis neutrarum partium gratiam facerent, adjecta conſilii ratione, ne ſcil. fractis Auſtriacis, ſimul tota Catholicorum ſalus concideret. Et conſcribebantur jam (b) conditiones, in quas Bavarus ceterique adacti, non Svecis minus Gallisque, atque Cæſare amicis uterentur. Verùm his à reliquis Pontificiorum rejectis, ſolus Philippus Chriſtophorus, familiæ Soeterianæ, Trevirorum atque Nemetum Præſul, Svecorum armis oppreſſus, imploratam à Gallis opem ea lege (c) obtinuit, ut Ehrenbreitſteinium, atque Philipsburgum, hoc Spirenſis, iſtud Trevirenſis ditionis munimentum Svecico præſidio liberatum Gallorum poteſtati permitteret, non minus Svecorum ac Gallorum amicitiâ fruiturus, Canonicis, Provinciæque ordinibus, oſtentata ab Hiſpano, Belgii Principe, honeſtioris auxilii ſpe, multum, at fruſtra, refragantibus. Jamque Elector per trium ferme annorum ſpatium, pacato ſatis rerum ſuarum ſtatu aliquantum recreatus, non malè ſibi proſpexiſſe videri poterat, nî quieſcentem Comes Emdanus turbaſſet: (d) Is Lucemburgiæ Præſes, Electoris in hoſtes ſtudia

1544. Anno 1632. Anno 1635.

(b) *Apud Eund. d. Lib. c. 12.* (c) *V. Capitulatio Trevir. cum Gallo, d. L. c. 7. 8. cum Sveco c. 9, 10.* (d) *Grammond. Lib. IV. ſub fin.*

1644. ſtudia ulturus, unà cum Barone Metternichio, collecta ex vicinis præſidiis idonea militum manu, ſecundo Moſellæ flumine ſolerti ſilentio devectus, captâ Auguſtâ Trevirorum, atque cæſis, qui defenſionem auſi fuerant, Gallis, Septemvirum, Electoralis decoris, & præſertim ſacri ordinis Jura fruſtra inclamantem captivum abripit, Bruxellas primum, inde Gandavum, denique Viennam deductum, ubi liberaliter ſatis habitum, demum in ſedis Romanæ reverentiam, Apoſtolici Nuncii, tum Viennæ agentis, fidei (e) Cæſar credidit, cuſtodia iſtius tam diu attinendum, donec de crimine aut innocentia Electoris conſtaret. Galli igitur indecorum, & præterea exemplo noxium rati, Principem captivitate hanc ſolùm ob cauſam detineri, quod ad ipſorum fidem opemque confugiſſet, palam (f) conteſtabantur, non ante pacis negotium ſe perſeqvuturos, quam libertatem ſuoque jure agendi copiam iſte recepiſſet. Et quo pluribus tricis res involveretur, *mediatis* etiam Imp. Urbibus, atque privatæ etiam ſortis hominibus, quorumcunque id intereſſet, commeandi ad deſtinata Tractatibus loca facultatem à Cæſareis tribui flagitabant.

Declar. Gallor. ob reſt. Trevir. 4. Dec. 1644.

IX. Cæſar igitur, ne auditor tantum ſuarum contumeliarum nihil reponeret, ſcripta ad Franconicæ Regionis proceres Delectorumque concilium epiſtola, Gallorum levitatem, Svecorumque incon-

Cæſaris literæ ad Franconicũ Circulum &

(e) *V. Lundorp. Tom. V. Lib. 3. c. 105.* (f) *d. Tom. V. c. 92.*

inconſtantiam traducebat, qui cum perfectis jam, quæ viam Tractatibus parare oportuerat, hos ipſos aggredi deberent, novas difficultates moveant, non optimatum tantum præſentiam, ſed & Stralſundiæ, Stettino, Viſmariæ, Erfurto, aliisque *mediatis*, uti appellant, Imperii urbibus, imò privatis etiam hominibus, deſideria ſua tractatuum loco expoſituris, commeatus literas præberi, atque Trevirenſem libertati ſuæ reſtitui flagitantes, ni bellum mallent, qui tam incongrua atque à Pactis Hamburgenſibus aliena petentibus quidquam negare ſuſtinerent. At verò, quod optimatum Imperii Legatos ad Tractationem hanc mittendos attineat, ipſos Delectos quondam teſtificatos, animum ſibi non eſſe, Legatione iſta aut Cæſaris autoritati aut Electorum juribus, quibus ceteros præminerent, derogare, litibusve ſeſe immiſcere, quæ inter partes verterentur, rem totam Imperatoris auſpiciis agendam atque perficiendam Legatis illius permiſſuris, deliberandi tantùm de rebus ad Reip. ſalutem ſpectantibus munere contentis. 1644. Imp. Deputatos. 16. & 6. Januar. 5. Febr. 26. Jan. 20. May 1643.

X. Et certè nihil magis anxium Cæſarem habebat, quam ne cunctis Germaniæ Proceribus ad Tractatus iſtos aditus pateret, vim Principatus reſolvendam cernens, ſi cuncta ad Ordinum Senatū vocarentur; Ideoq; ex Electoribus, quos ut paucos Regiæ libidini propiores putabat, Moguntinum, Colonienſem, Brandenburgiumq; delege- Cauſæ Cæſaris, excludendo-rum ordinum.

1645. rat, qvi miniſtros ſuos Coloniam atq; Lubecam, & mutato poſt conſilio, Monaſterium atqve Oſnabrugam ablegarent, non Senatorum vicem, ſed Conſiliariorum obituros. At recuſabant Proceres tractatione ſubmoveri, qva de Bello Paceq; ſententiam ſuo priſcoq; jure dicturi eſſent, irrito Cæſare, qui oblatum à ſe ſuffragii jus, per Delectos, aut extra loca Pacificationi dicta ab omnibus exercendum, non à Catholicis minus qvam Proteſtantibus ſpretum videns, hac ſaltem in re non diſſentientibus, remiſit, qvod impetrare non poterat, &, ut qvibus placeret Ordinibus, ſuos Monaſterium Oſnabrugamve mitterent, Senatus munia impleturos, conſenſit; adeo mox mutato Cæſareanorum vultu, ut Naſſavius atqve Volmarus hanc ſuffragii facultatem unqvam à ſe dubiam redditam diſſimulantes, ambabus ſe eam manibus Proceribus offerre, præſentibus Koberlino Conſtantienſi, Jac. Lampadio Brunſvicenſi, & Noribergenſi Tobia Olhafio, teſtarentur: *ſub contumaciæ pœna accerſendos* dicentes, qvi nondum comparuiſſent, additis tamen, qvibus Delectorum collegio præcipuam qvandam facultatem aſſerebant, rogata ſimul ſententia, qvam utiliſſimam commodiſſimamqve deliberationum publicarum viam ineundam cenſerent.

Tandē tamen concedentis. 19. & 9. Jun.

XI. Ea de re conſulti Proceres variè ſtatuebant, in eo ferè concordes, quod ſolis Delectis, (id enim adhuc, qvamqvæm tectius agebatur, &

Controverſia de Modo Tra-

& jam Francofurti decretum erat,) rem tanti momenti committendam non putarent; cetera diverſi, cum in commune quidem ab omnibus Ordinum Legatis *collegialiter vel circulariter* conſultandum qvidam exiſtimarent, qvorum poſtea ſententiam qvidam ex Delectis Cæſaris RegumqveOratoribus exponerent. Moguntium atque Brandeburgium ex Electorum Ordine, ex Principum collegio Conſtantienſem & Luneburgium, atq; civitatum nomine Norinbergenſem muneri iſti deſignantes; Alii ſuffragia *collegialiter* quidem aut *circulariter* ferenda ſtatuerent, at reliqua ad *Deputationis* formam tranſigenda, ut ſcil. Delecti Regionis cujusq; aut Collegii Conſulta ad reliquarum regionum Collegiorumve Senatores referrent; Alii denique Comitiorum more agendum dicebant, illuc tamen curam vertendam, ut tam Cæſaris atq; Ordinum qvam exterorum Legati Monaſterio & Osnabruga Coloniam vel qvamcunqve aliam, opportunam tamen, unamq; in urbem coirent, vitandis difficultatibus, ex locorum diverſitate orituris, aut ſi id obtineri non poſſit, ut qvæ conſultationem expoſcerent, Delecti cujusqve regionis, non ſuo tamen, ſed conceſſo à Collegis jure, deliberanda proponerent, & qvæ è re communi viſa fuerint, ii, qvibus id muneris obventurum ſit, ad ceterarum Regionum Proceres communi nomine & præſentibus reliqvis deferrent, atqve ita

1945.

ctandi, Sententia Lampadii Brunſvicenſ.

Conſtantienſis.

Wirtenbergenſis.

1645. ita rogatis latisque omnium ſuffragiis, *Relatio*, quam vocant, atque *Correlatio* toto ordinum concilio coram inſtitueretur. Sed nulla ex his ſententia omnibus placebat, plures aliorum conſiliis tantum contradicebant, plerisque eo tandem deſcendentibus, ut Comitiorum in modum per tres Imperii curias (die drey Reichs-Räthe) cuncta expediunda cenſerent, ex qvibus duæ uno, tertia eaq; reliqvis validior altero loco, aut ex omnibus curiis qvidam Oſnabrugæ, Monaſterii alii munia ſua obirent. Diſplicuere hæc Electoralibus, ex qvibus Moguntiacus, Colonienſis, Bojoarus, atq; Brandeburgius habito in pago, cui Lengerich nomen, æquali ab Oſnabruga Monaſterioqve ſpatio diſſito, conſilio, Comitiorum morem obſervandum decernebant, ideoqve omnes, qvibus in Germaniæ Rep. ſuffragii jus ſit, Cæſaris edicto advocandos; Interea tamen, donec iſti convenirent, ne Resp. qvid detrimenti caperet, per Delectos deliberationes Monaſterii inſtituendas, qvibus duo è Principum Collegio & totidem ex Civitatum claſſe adjungendi forent; & ne Sveci Oſnabrugæ neglecti honorem Gallis habitum in diminutionem ſui acciperent, Moguntiacus atq; Brandeburgius Oſnabrugæ manerent, qvibus è Principum Civitatumq; curiis qvatuor, pari ex utraq; numero delecti adderentur. Neqve Lambergio Cranioq; iſta magis probabantur, qvi, privatis qvidem ſermonibus, Pa-

Aliorū ex Principum curia.

Electorum.

10. 11. Jul.

Cæſareorum.

cis

cis tractandæ arbitrium ſolum ad Cæſarem ab 1645.
Imperio delatum referebant, cum primum mentio ejus inter infeſtas partes injecta eſſet; adjunctos dein qvosdam ex Septemviris, qvi Cæſarem conſilio operaq; juvarent. Poſt Ratisbonæ reliqvos etiam Imp. Proceres in partem illius curæ, at certo cum modo, adſcitos. Hoſtes obſtare conſiliis, qui belli avidiores, & rapiendæ vaſtandæqve Germaniæ jam adſveti, prætexta Ordinum libertate, qvò magis Pacis negotium implicent, non niſi cum Cæſare Proceribusqve eam ſe tractaturos affirment. Neque ratione per Delectos agendi, neq; aliis modis, rei promovendæ ſtudio ab Imperatore oblatis, quidqvam apud homines profectum eſſe, qvi nihil ſibi placere, qvo Paci conſulatur, oſtendentes, publica Imperii Comitia, inidonei nimis autores, conſcribere auſi ſint.

XII. Inter hæc conditiones, in qvas Pacem Germaniæ conceſſuri eſſent Sveci, Cæſareanis propoſuere, de ſe ſuæqve cauſæ æqvitate magnifica præfati, non ſine adverſæ partis obtrectatione, qvæ commeatus literas *mediatis* Imperii civibus, aliisque fœderi aut ſocietati Svecicæ innexis denegando, negotium ſua pervicacia tardaverit. Pacis igitur & concordiæ ſtudium ſpecioſis nominibus jactitantes, omnem diſſidiorum belliqve memoriam ſempiterna oblivione delendam, pacemqve mutua fide colendam, ex communi talium pactorum formula ſtatuebant; tum dignita-

Propoſitio Svecica.

1645. nitatibus bonisqve reſtituendos, quicunqui iſtis ob Cæſarem infenſum excidebant, Bohemos, Palatinam, Wirtembergicam, atque Badenſem Domos, Auguſtamque Vindelicorum nominatim compellantes, nulla ratione rurſum ejiciendos, niſi quam æqua omnibus juſtitia, gratiæ odioque impervia, ex Legum Imperii Pacisq; religioſæ forma decreverit, etiam in Reformatorum, ut appellantur, ſecuritatem, valituræ. Regem Romanorum, niſi vacante imperio, non eligendum, legũ ferendarum, belli pacisve ſanciendæ, tributi imperandi, & proſcribnedi quemcunq; Imperii Procerum poteſtatem non niſi ex communi Comitiorum decreto expediundam, nec fœdera minus cum externis, in ſuæ cujusque ſecuritatis munimentum pangendi facultatem, qvam cetera dominationis in obnoxios cuique ſubditos exercendæ jura ſervanda, lites inter Evgelicos Pontificiosq; Religionis, Bonorumq; ſacrorum, aliisve de cauſis exortas, amicè his ipſis Tractatibus, componendas, omnes & ſingulos utriusque partis captivos citra ſagi togæve diſcrimen, interque eos Luſitani Regis fratrem, Eduardum Bragantinum dimittendos, pretio libertatis ab iſtis tantum exſolvendo, qui ante Tractatus hos promiſſione ejus captivitatem evaſiſſent. Poſtea ad ſuas qvoque utilitates digreſſi, Regibus Regnisq; præſtari pro præteritis *indemnia*, & in futurum ſecura, militibus ſuis ſtipendia, & ſociorum

rum

rum quoque, Haſſiæ imprimis atque Tranſſylvaniæ Principum rationem haberi poſtulabant: qvibus omnibus confectis ſua cuiq; loca reddenda, alieno adhuc usq; milite inſeſſa, exautorandi toto imperio exercitus, & commercia priſtinæ libertati cultuiq; reſtituenda eſſent: additis quæ Paci firmandæ idonea, aut ſibi ſaltem commoda exiſtimabant. 1645.

Gallicæ oblatæ 1. Jun. Cæſareorum de iis ſententia.

XIII. Pares à Gallis Leges dicebantur, id eximium flagitantibus, ne Cæſari Hiſpanum inimicum ſibi juvare liceret. Utræq; ipſis Calendis Juniis, die Trinitati ſacro; Cæſareanis oblatæ ſunt, qvas non quidem ſupra expectationem, at infra votum accepere. Auditaque illorum vox eſt, *non magis (f) peregrinas eas Svecicasq; ſibi viſas*, dicentium, *qvam Hiſpanicum habituri ſint, qvod ipſis meditentur, reſponſum; iniqvum ſcilicet peti, ut aqvum obtineatur.*

Svecorum Sermones in Cæſarẽ atq; Electores

XIV. At Sveci ex adverſo non ignari, ubi manu agitur, modeſtiam ac probitatem nomina ſuperioris eſſe, Conditionum, quas tulerant, juſtitiam propriis eoqve prolixioribus laudibus efferentes, id unicum iis ſpectari affirmabant, ut ſublatis cauſis, quæ tam atroci bello dediſſent, originem Germaniæ vicinæq; gentes certiori pace qvieſcerent. Manſuram alioqvin diſcordiã, ni ſemina

na

(f) Wie ſie ſolche der Schweden *Propoſition* fremd und Schwediſch aufgenommen/ alſo wolten ſie eine ſolche *Reſo.* von ſich geben/die den Schweden auch Spaniſch vorkommen ſolte.

1645. na belli reſtinxiſſent; Iniqviſſimos eſſe Cæſareos, qui cum per duorum menſium ſpatium nihil ad ea, qvæ ipſi petierant, reſponderint, Pacis moram Regibus imputent. Sperare ſe, Proceres Evangelicos reverentiâ fœderis Svecici, Gallico antiqvioris, & memoriâ ſangvinis pro libertate Germaniæ atqve Religione ab optimo Rege effuſi, Oſnabrugæ transacturos, qvibus cauſa communis juvari qveat, nec Monaſterium aliove conceſſuros, ubi Lupus ovium cuſtodem præſidemqve acturus ſit; periculo alioqvin damnoqve iſtos manſuro, qvi meliora ſvadentibus parêre abnuerint. Socios Reges nimis Hiſpanas prope ſe convaleſcere opes ratos, priusqvam tantum roboris eſſet, qvantum futurum apparebat, occupaſſe bellum facere, tuendæ ſuæ ſaluti & libertati Germaniæ, cui jam compedes Hiſpanica ambitio injecerit. Electores, Bojoarum præſertim atq; Saxonem, plusqvam civilia agitare, hosq; ſolos eſſe, qvi deliberationes per Delectos inſtituendas tanta cum vehementia urgeant; Id agentes, ut ignavo pariter noxioque ſilentio ordines transmittant, qvæ mutandæ Reipubl. parari non obſcurum ſit. Id ſcilicet Auſtriacorum votum eſſe, ut conſentientibus ſuaqve ſponte in ſervitium, qvod aliis meditentur, ruentibus Septemviris, atque verſo civitatis ſtatu, nihil usqvam priſci & integri moris remaneat, atqve omnes exuta æqvalitate Cæſaris juſſa aſpectent: Summæ igitur neceſſitatis, ut

ut abolitis,qvæ per temporum injurias invaluerint, ſua Reipublicæ facies, ſuaq; ordinibus jura reddantur. Ex Batavorum ſolertia Germanos, qvod imitentur, capere poſſe, qvi variis Auriaci artibus pellectos inter inſtrumenta dominationis magis parandæ quam tuendæ libertatis haberi animadvertentes, qvos compeſcendæ inſurgenti Principis ambitioni, unum ſcilicet ex ſingulis Provinciis delegerant, conſiliorum moderatores atqve arbitros futuros, alios *fatali* iſti *ſeptenario numero* adjunxerint, ſive qvibus nihil decerni fas ſit, qvod ad Rempubl. pertineat. Cæſarem proximis bello huic temporibus jura Proceribus communia ſibi rapuiſſe,bella ſuo lubitu cœpiſſe, pepigiſſe fœdera, ablatas Electoribus Principibusqve ditiones in alios tranſtuliſſe, & *cumulativè* conceſſis *privativè* uſum, vixque Electoribus ſuffragii facultate permiſſa, ſibi ſoli ſummum rerum arbitrium arrogaſſe, Ordinibus unica obſeqvii gloria relicta. Tandem Danum bello illigatum fractumq; ad pacem non adeo honeſtam adegiſſe, atq; Electoribus in partes ſuas pertractis,Principibus qvoq;,ut Imperii urbibus pleni in Comitiis ſuffragii (*voti deciſivi*) jus dubium facerent, perſvaſiſſe, qvo nempe cunctis, qvæ tempus monebat, proviſis, Germaniâ primum, mox vicinis nationibus provinciisque ſecurius potiretur. Neq; falſam hanc ſuſpicionem, illud indicio 1645.

 eſſe,

1645. eſſe, quod patrato Danico bello, cum nemo jam eſſet, qui reſiſtere auderet, non tamen arma poſita fuerint, aut quies Germaniæ reſtituta. Edictum quippe, infauſtum inceſtumque tot annorum fœtum, tum primum Germaniæ lucem adſpexiſſe, non portentum tantum, ſed & cauſam præſentis, quam cuncti deplorent, calamitatis. Juſtitiam atque Religionem obtentui ſumtam, propriis Hiſpanorum artibus, at quæ nequitiam ſuam minus fideliter tegere poſſint, tantis jam argumentis indiciisque deprehenſam atque detectam. Ne verò conſilia intendendæ dominationi ſuſcepta ab iſtis turbarentur, quorum tam infeſtæ potentiæ incrementa coërceri intererat, etiam propinquorum tranquillitatem Auſtriacos perrupiſſe. Ita Gallos ad diſcordiam illectos, Venetos Mantuano, Svecos Polonico Bello implicitos, Batavos in ipſis Belgii viſceribus laceſſitos, &, dum foris cuncta bello tumultibusque flagrabant, domi iniquitatem toto Imperio ſpecie juris graſſatam. Neque tamen Guſtavum, quanquam à plurimis ſæpiusque rogatum, arma certantibus interpoſuiſſe, ſatis proſpectum incolumitati ſuæ credentem, modo Regna atque Provinciæ Germaniæ Auguſtanæ Confeſſioni addictæ libertatem ſuam contra Auſtriacorum moliminia utcunque tuerentur. Quin nec poſt has jugo ſubactas, imò ne tum quidem quicquam moviſſe, cum ipſa Regni munimenta armis mari vici-

vicinis, peti jam viderentur. At verò cum ipſum 1645.
maris Dominium acceſſionis quaſi loco Auſtriacæ Domui quæri cerneret, non aliam ſecuritatis firmandæ rationem, quam quæ armis expeditur, promtam habuiſſe. Deum quoque & Fortunam melioribus adfuiſſe, fruſtratis ſpei ſuæ Auſtriacis, qui Gallis Svecisque non ingenii minus & Religionis quam locorum intervallo divulſis, convenire non poſſe crediderint. Conſulerent modo Germani ſuæ utilitati, & ſi patriam, dignitatem, antiqua mallent, quam Dominos & Imperia nova, Svecos potius Galloſque, gloriæ ac libertatis, quam Electores flagitioſæ ſervitutis Duces, ſequerentur. Tentaſſe Cæſareanos, num objecta præmiorum ſpe corrupti ipſi à communis cauſæ defenſione depelli poſſent, at vano conatu apud homines, Germanicæ libertatis gratia indutos arma, nec, niſi reparatâ ea, poſituros.

Proteſtantiū motus animorum.

XV. Pronis hæc auribus à plerisque Proteſtantium accepta, qui ſatis grande patientiæ documentum ſe dediſſe rati, nihil magis in votis habebant, quam ut, imminuta Auſtriacæ Domus potentiâ, libertatem ſecurius firmarent, quidvis Regibus conceſſuri, modo nimias graveſque ſibi Cæſarum opes adverſo robore frangerent. Hi igitur Svecorum præſentia animati, atque adhortantium vocibus pleni, agitare inter ſe mala ſervitutis, conferre injurias, & interpretando accendere; Cuncta legum, judiciorum, Pro-

1645. cerumque munia in ſe traxiſſe Auſtriacos, infracta Ordinum jura, violatam libertatem, conculcatam Pacem, in Religionis tutamentum qvondam ſancitam, proſcriptos ejectosqve Principes, aliasqve ſævæ pacis aut crudelis belli calamitates qveri, promtius apertiusqve, quàm ut meminiſſe imperitantium crederes. Agendum jam audendumqve, dum Cæſaris autoritas fluxa & Catholicorum evanuiſſet. Opportunos magnis conatibus tranſitus rerum; utendum eventu, Regumqve inclinatione, & quæ fortuna obtulerat, in Sapientiam vertenda. Sæpiſſime ingratam moram res perdidiſſe, & indignatam eſſe felicitatem, non ſtatim admiſſam. Nihil profici patientia, niſi ut graviora tanqvam ex facili tolerantibus imperentur. Veniſſe tempus, quo Proceres ſua jura, proſcripti rapta patrimonia, cuncti modum miſeriarum expoſcant. Neceſſitate exprimenda, qvæ per modeſtiam non obtinerent; aliaq; in eundem ſenſum acerba magis quam falſa; præcipuo eorum incentore Haſſo Caſſellano, cui ne reverentiam, quam obſequium in Cæſarem conſtantius retinuiſſe videretur, malæ Auſtriacorum artes, & imminens Germaniæ libertati exitium, unica fere ſermonum materia habebatur. Faciſemque ipſi aſſenſum ſimilitudo audientium fecit.

Electoris Saxoniæ. XVI. Inter paucos aut potius nullos ſolus SaxoElector Cæſarum Domui fidus, Regum conſilia in deterius trahebat, qvibus non magis, qvam for-

fortunæ raro ſinceræ, fidendum monebat; Infe- 1645.
ſtus Regibus inviſusqve, neque Religionis ſuæ ſociis multum gratus, qvibus Evangelicæ rei incommodare videbantur, qvi moderatiora ſvadebant. Ipſius etiam Magdeburgii, filii Electoris, Auguſti Legati, Conr. Einſidelius atq; Jo. Crullius, ICTus, qvorum præ ceteris calida conſilia notabantur, pervicaciam illius crebris ſermonibus perſtringebant, qua non ſibi minus, qvam vicinis Principibus terrisq;, extremam perniciem acceſſiturus eſſet. Nec minus alii Saxonum malum, qvod animum ejus corruperit, pro inveterato, ipſumqve, ut *incorrigibilem*, traducebant, negligendos tamen conatus illius contra propria totiusq; Evangelici cœtus commoda verſos, differentes, qvod, ut ajebant, non Conſiliarii tantum Septemviri cordati atq; integri in diverſa tenderent, ſed & filius dignitatis Electoralis heres improbaret, quæ Patri tam impenſe placere omnes mirentur. Etiam Servientius Galli Orator privatis colloqviis inhumanitatem ejus inſectabatur, qui ſociis Religionis, quos juvare debuerat, pejora intulerit, quam qvæ ab hoſtibus timeantur; immemor nempe eorum, qvæ in Catholicos, quò Evangelicis commodarent, Galli patrabant.

invisi ceteris Proteſtantibus.

Gallis.

XVII. Quanquam neq; hos Proteſtantium cauſam ex æquo cum Svecis aut valide ſatis Propoſitione ſua egiſſe, pleriq; iſtorum cum Svecis criminabantur, haud multũ ſcil. fiduciæ in gente ponen-

Svecorum Proteſtantiumqve querelæ de Gallis.

1645. ponendum dicentes, non minore levitate infami, quam cui fœminarum ſexum natura damnaverit. Neque frigori huic metum, ne aperta Religionis Evangelicæ propugnandæ propagandæque profeſſione Pontifex Rom. offendatur, aut *Hugonottis*, ut barbaro nomine compellant, animus addatur, efficaci ratione obtendi. Meminiſſent Galli, infra præſentis faſtigii celſitudinem ſubſtituras res ipſorum fuiſſe, ſibi relictas, & viribus Svecorum nudatas, quibus non munimentum modo ſecuritatis, ſed & fortunæ incrementa debeant. Quippe Gallorum corpora intolerantiſſima laboris, neque æſtus neque frigoris patientia; atque experientiâ deprehenſum, ſicut primus eorum impetus major quam virorum, ita ſequentem minorem quam fœminarum eſſe. Exiguam certè eſſe gloriæ partem, quam non Germanorum Svecorumque, Bernhardi Saxonis ductu poſt impleta à Guſtavo Adolpho fata militantium, fortitudine paraverint. Illo in exercitu robur eſſe Gallorum, illorum manibus geſta, quæ proſperè ceciderint. Et quo diſcreta virtus manifeſtius ſpectaretur, ad Friburgum miſerabili cæde imminutos, ad Mergenthalium à pauciſſimis hoſtium fœdiſſima pulſos fuga, ſatis docere, quam obtuſus ſit Gallorum impetus, Germanorum pondere deſtitutus. Cum periculo communis cauſæ Bavarum à Gallis tantopere coli, quamvis ſæpius jam à vaferrimo Principe

cipe deluſis, cujus potentia civilem modum eve- 1645.
cta non minori fere curâ habenda ſit, quam qua ad nimias Auſtriacorum vires accidendas cuncti laborent, quibus libertas ſua atque ſecuritas cordi ſit. Imbecillem eſſe ſpem, quæ auxilio Gallorum nitatur, verbis magnificorum, re inanium. Exemplo eſſe Durlaci Marchionem, qui, primus in partes illorum transgreſſus, conſtanti eos coluerit fide, at terris ſuis ejectus nondum impetrare potuerit, ut reſtitutum eum, aut Eduardum injuſta poſſeſſione deturbatum vellent. Neque Naſſavios Saræpontanos benevolos magis aut juvandis ſociis promtiores eos expertos eſſe, extorres adhuc terris, quas per injuriam alii detineant. Nota eſſe facinora ipſorum iſtis locis exercita, quos ſive armis domitos ſive benevolentiæ ſpecie occupaverant, ut qui nec amicis ſociisque jus belli abſtinuerint. Memmium ſuperſtitioni (*g*) deditum, ejusque ſtudium propagandæ ſuæ Religionis non inferius eſſe cujuscunque vel devotiſſimi Hiſpani fervore. Ad ſacram igitur Svecorum anchoram confugiendum, quibus cùm non minus fere in Proteſtantibus, quàm his in illis præſidium ſit, commune periculum communi ſtudio atque induſtria propulſandum fore.

XIIX. Non minus acri interim de modo locoque tractandi contentione inter partes certabatur, ſuum, quem ſupra memoravimus, modum & nego-

Quæſtio de loco modoq; tractandi reſumta.

1645. negotium Monaſterii ſuſcipiendum Cæſareanis, Electoralibus, aliisque ex Procerum Legatis urgentibus, at in diverſa nitentibus Sveciæ Oratoribus, ac pleriſque Proteſtantium, qui Oſnabrugæ conſederant.

Monaſterienſium in eam rem ſententia.

XIX. Decreta ab his ad Monaſterienſes Legatio, qua Jo. Müllerus Culmbachius perfunctus, nihil niſi preces Monaſterienſium cauſasque retulit, quibus permoti Monaſterium concedere deberent, ſaltem de modo Conſultandi deliberaturi, qui Oſnabruga abire hactenus recuſarant. Prima ſcil. hæc eſſe Cæſareorum neque magnæ rei poſtulata, quæ abnuere incivile foret; Plurima tractationis incommoda non alia magis ratione vitari poſſe; Morari eo loci Moguntinum Præſidem [das Reichs-Directorium] atque Electorum Collegium, unde non alibi majorem commoditatem mutuo referendi futuram, quæ Curia quæque ſtatuerit; Suſpicionibus obviam iri, quas divulſis Procerum claſſibus ſeparationis ſpecies injectura ſit; Neque toti negotio peragendo locum hunc, ſed paucos tantum in dies expeti; Nec Svecos adverſari; Denique tractatu Delectorum hoc modo ſublato, quemq; Ordinum ſuffragii ſui jure efficacius potiturum.

Adjuta à Culmbachio.

Addebat Culmbachius, prævalidam Monaſterii Pontificiorum factionem, Evangelicis gravem, contrario robore temperandam; Iniquo nimium impa-

(g) Sey ein rechter Bigott.

imparisque conditionis ſuo atque Wirtenbergii 1645. cum Catholicis certamine, Auſtrio nimirum, Bojoaro, Burgundo, Bambergio, Monaſterienſi, Conſtantienſi atque Oſnabrugenſi, quorum iſte Herbipolenſis etiam & Prælatorum Sveviæ, hic Mindæ atque Verdæ Epiſcopatuum vices ſuſtinebant. Vix ſentire ſibi in Senatu, aut quæ velint dicere licere, eo jam provectâ Auſtrii, Bojoari, atq; Burgundi inſolentiâ, ut ſermonem ipſorum aut interrumpere aut aliena interpretatione contorquere non erubeſcant; ſurdis ad iſta omnia Oſnabrugenſib9, quib9 ea præcipua cura, ne à Svecis avellerentur, quorum autoritate armis decorata facilius exprimere aut obtinere ſperabant, qvantacunq; à Cæſare Catholicisq; poſtulaturi erant. Neque majori ſucceſſu Memmius Comes Svecos adiit, qui ad Pontificii Venetique, Pacis nempe Parariorum, preces Monaſterio Oſnabrugam digreſſus, inter alia, quæ iſtorum nomine apud eos peragenda receperat, id etiam flagitabat, ut Imperii Proceribus ſuo arbitrio, eoque, qui optimus eis videretur, modo conſultare permitterent; Svecis, quo minus id à ſe impetrari paterentur, ſuffragii jure Ordinibus Imperii certius aſſerendo, Regii præterea honoris reverentiâ, ipsâ denique Tractatuum indole, ſe prohiberi cauſantibus.

A reliquis Oſnabrugenſibus impugnata. Irrito Memmii apud Svecos conatu.

XX. Moguntini etiam Legatus Jo. Conrad. Krebſius Brandeburgicos eadem ex cauſa aggreſſus, cum neque apud hos ſe quicquam proficere vidiſſet, Cæſaris Legatos, qui Oſnabrugæ degebant,

Moguntini apud

1645. nitatibus bonisqve reſtituendos, quicunqui iſtis ob Cæſarem infenſum excidebant, Bohemos, Palatinam, Wirtembergicam, atque Badenſem Domos, Auguſtamque Vindelicorum nominatim compellantes, nulla ratione rurſum ejiciendos, niſi quam æqua omnibus juſtitia, gratiæ odioque impervia, ex Legum Imperii Pacisq; religioſæ forma decreverit, etiam in Reformatorum, ut appellantur, ſecuritatem, valituræ. Regem Romanorum, niſi vacante imperio, non elegendum, legũ ferendarum, belli pacisve ſanciendæ, tributi imperandi, & proſcribnedi quemcunq; Imperii Procerum poteſtatem non niſi ex communi Comitiorum decreto expediundam, nec fœdera minus cum externis, in ſuæ cujusque ſecuritatis munimentum pangendi facultatem, qvam cetera dominationis in obnoxios cuique ſubditos exercendæ jura ſervanda, lites inter Evgelicos Pontificiosq; Religionis, Bonorumq; ſacrorum, aliisve de cauſis exortas, amicè his ipſis Tractatibus, componendas, omnes & ſingulos utriusque partis captivos citra ſagi togæve diſcrimen, interque eos Luſitani Regis fratrem, Eduardum Bragantinum dimittendos, pretio libertatis ab iſtis tantum exſolvendo, qui ante Tractatus hos promiſſione ejus captivitatem evaſiſſent. Poſtea ad ſuas qvoque utilitates digreſſi, Regibus Regnisq; præſtari pro præteritis *indemnia*, & in futurum ſecura, militibus ſuis ſtipendia, & ſociorum

rum

rum quoque, Haſſiæ imprimis atque Tranſſylvaniæ Principum rationem haberi poſtulabant: qvibus omnibus confectis ſua cuiq; loca reddenda, alieno adhuc usq; milite inſeſſa, exautorandi toto imperio exercitus, & commercia priſtinæ libertati cultuiq; reſtituenda eſſent: additis quæ Paci firmandæ idonea, aut ſibi ſaltem commoda exiſtimabant. 1645.

Gallica oblatæ 1. Jun. Cæſareorum de iis ſententia.

XIII. Pares à Gallis Leges dicebantur, id eximium flagitantibus, ne Cæſari Hiſpanum inimicum ſibi juvare liceret. Utræq; ipſis Calendis Juniis, die Trinitati ſacro; Cæſareanis oblatæ ſunt, qvas non quidem ſupra expectationem, at infra votum accepere. Auditaque illorum vox eſt, *non magis (f) peregrinas eas Svecicasq; ſibi viſas*, dicentium, *qvam Hiſpanicum habituri ſint, qvod ipſis meditentur, reſponſum; iniqvum ſcilicet peti, ut æqvum obtineatur.*

Svecorum Sermones in Cæſarē atq; Electores

XIV. At Sveci ex adverſo non ignari, ubi manu agitur, modeſtiam ac probitatem nomina ſuperioris eſſe, Conditionum, quas tulerant, juſtitiam propriis eoqve prolixioribus laudibus efferentes, id unicum iis ſpectari affirmabant, ut ſublatis cauſis, quæ tam atroci bello dediſſent, originem Germaniæ vicinæq; gentes certiori pace qvieſcerent. Manſuram alioqvin diſcordiā, ni ſemina

na

(f) Wie ſie ſolche der Schweden *Propoſition* fremd und Schwediſch aufgenommen/ alſo wolten ſie eine ſolche *Reſo.* von ſich geben/ die den Schweden auch Spaniſch vorkommen ſolte.

1645. na belli reſtinxiſſent; Iniqviſſimos eſſe Cæſareos, qui cum per duorum menſium ſpatium nihil ad ea, qvæ ipſi petierant, reſponderint, Pacis moram Regibus imputent. Sperare ſe, Proceres Evangelicos reverentiâ fœderis Svecici, Gallico antiqvioris, & memoriâ ſangvinis pro libertate Germaniæ atqve Religione ab optimo Rege effuſi, Oſnabrugæ transacturos, qvibus cauſa communis juvari qveat, nec Monaſterium aliove conceſſuros, ubi Lupus ovium cuſtodem præſidemqve acturus ſit; periculo alioqvin damnoqve iſtos manſuro, qvi meliora ſvadentibus parêre abnuerint. Socios Reges nimis Hiſpanas prope ſe convaleſcere opes ratos, priusqvam tantum roboris eſſet, qvantum futurum apparebat, occupaſſe bellum facere, tuendæ ſuæ ſaluti & libertati Germaniæ, cui jam compedes Hiſpanica ambitio injecerit. Electores, Bojoarum præſertim atq; Saxonem, plusqvam civilia agitare, hosq; ſolos eſſe, qvi deliberationes per Delectos inſtituendas tanta cum vehementia urgeant; Id agentes, ut ignavo pariter noxioque ſilentio ordines transmittant, qvæ mutandæ Reipubl. parari non obſcurum ſit. Id ſcilicet Auſtriacorum votum eſſe, ut conſentientibus ſuaqve ſponte in ſervitium, qvod aliis meditentur, ruentibus Septemviris, atque verſo civitatis ſtatu, nihil usqvam priſci & integri moris remaneat, atqve omnes exuta æqvalitate Cæſaris juſſa aſpectent: Summæ igitur neceſſitatis, ut

ut abolitis,qvæ per temporum injurias invalue- 1645.
rint, ſua Reipublicæ facies, ſuaq; ordinibus jura reddantur. Ex Batavorum ſolertia Germanos, qvod imitentur, capere poſſe, qvi variis Auriaci artibus pellectos inter inſtrumenta dominationis magis parandæ quam tuendæ libertatis haberi animadvertentes, qvos compeſcendæ inſurgenti Principis ambitioni, unum ſcilicet ex ſingulis Provinciis delegerant, conſiliorum moderatores atqve arbitros futuros, alios *fatali* iſti *ſeptenario numero* adjunxerint, ſive qvibus nihil decerni fas ſit, qvod ad Rempubl. pertineat. Cæſarem proximis bello huic temporibus jura Proceribus communia ſibi rapuiſſe, bella ſuo lubitu cœpiſſe, pepigiſſe fœdera, ablatas Electoribus Principibusqve ditiones in alios tranſtuliſſe, & *cumulativè* conceſſis *privativè* uſum, vixque Electoribus ſuffragii facultate permiſſa, ſibi ſoli ſummum rerum arbitrium arrogaſſe, Ordinibus unica obſeqvii gloria relicta. TandemDanum bello illigatum fractumq; ad pacem non adeo honeſtam adegiſſe, atq; Electoribus in partes ſuas pertractis, Principibus qvoq;, ut Imperii urbibus pleni in Comitiis ſuffragii (*voti deciſivi*) jus dubium facerent, perſvaſiſſe, qvo nempe cunctis, qvæ tempus monebat, proviſis, Germaniâ primum, mox vicinis nationibus provinciisque ſecurius potiretur. Neq; falſam hanc ſuſpicionem, illud indicio

G eſſe,

1645. eſſe, quod patrato Danico bello, cum nemo jam eſſet, qui reſiſtere auderet, non tamen arma poſita fuerint, aut quies Germaniæ reſtituta. Edictum quippe, infauſtum inceſtumque tot annorum fœtum, tum primum Germaniæ lucem adſpexiſſe, non portentum tantum, ſed & cauſam præſentis, quam cuncti deplorent, calamitatis. Juſtitiam atque Religionem obtentui ſumtam, propriis Hiſpanorum artibus, at quæ nequitiam ſuam minus fideliter tegere poſſint, tantis jam argumentis indiciiſque deprehenſam atque detectam. Ne verò conſilia intendendæ dominationi ſuſcepta ab iſtis turbarentur, quorum tam infeſtæ potentiæ incrementa coërceri intererat, etiam propinquorum tranquillitatem Auſtriacos perrupiſſe. Ita Gallos ad diſcordiam illectos, Venetos Mantuano, Svecos Polonico Bello implicitos, Batavos in ipſis Belgii viſceribus laceſſitos, &, dum foris cuncta bello tumultibusque flagrabant, domi iniquitatem toto Imperio ſpecie juris graſſatam. Neque tamen Guſtavum, quanquam à plurimis ſæpiusque rogatum, arma certantibus interpoſuiſſe, ſatis proſpectum incolumitati ſuæ credentem, modo Regna atque Provinciæ Germaniæ Auguſtanæ Confeſſioni addictæ libertatem ſuam contra Auſtriacorum molimina utcunque tuerentur. Quin nec poſt has jugo ſubactas, imò ne tum quidem quicquam moviſſe, cum ipſa Regni munimenta armis mari vici-

vicinis, peti jam viderentur. At verò cum ipſum 1645.
maris Dominium acceſſionis quaſi loco Auſtriacæ Domui quæri cerneret, non aliam ſecuritatis firmandæ rationem, quam quæ armis expeditur, promtam habuiſſe. Deum quoque & Fortunam melioribus adfuiſſe, fruſtratis ſpei ſuæ Auſtriacis, qui Gallis Svecisque non ingenii minus & Religionis quam locorum intervallo divulſis, convenire non poſſe crediderint. Conſulerent modo Germani ſuæ utilitati, & ſi patriam, dignitatem, antiqua mallent, quam Dominos & Imperia nova, Svecos potius Gallosque, gloriæ ac libertatis, quam Electores flagitioſæ ſervitutis Duces, ſequerentur. Tentaſſe Cæſareanos, num objecta præmiorum ſpe corrupti ipſi à communis cauſæ defenſione depelli poſſent, at vano conatu apud homines, Germanicæ libertatis gratia indutos arma, nec, niſi reparatâ ea, poſituros.

XV. Pronis hæc auribus à plerisque Proteſtantium accepta, qui ſatis grande patientiæ documentum ſe dediſſe rati, nihil magis in votis habebant, quam ut, imminuta Auſtriacæ Domus potentiâ, libertatem ſecurius firmarent, quidvis Regibus conceſſuri, modo nimias gravesque ſibi Cæſarum opes adverſo robore frangerent. Hi igitur Svecorum præſentia animati, atque adhortantium vocibus pleni, agitare inter ſe mala ſervitutis, conferre injurias, & interpretando accendere; Cuncta legum, judiciorum, Pro- *Proteſtantiũ motus animorum.*

 cerum-

1645. çerumque munia in ſe traxiſſe Auſtriaços, infracta Ordinum jura, violatam libertatem, conculcatam Pacem, in Religionis tutamentum qvondam ſancitam, proſcriptos ejectosqve Principes, aliasqve ſævæ pacis aut crudelis belli calamitates qveri, promtius apertiusqve, quàm ut meminiſſe imperitantium crederes. Agendum jam audendumqve, dum Cæſaris autoritas fluxa & Catholicorum evanuiſſet. Opportunos magnis conatibus tranſitus rerum; utendum eventu, Regumqve inclinatione, & quæ fortuna obtulerat, in Sapientiam vertenda. Sæpiſſime ingratam moram res perdidiſſe, & indignatam eſſe felicitatem, non ſtatim admiſſam. Nihil profici patientia, niſi ut graviora tanqvam ex facili tolerantibus imperentur. Veniſſe tempus, quo Proceres ſua jura, proſcripti rapta patrimonia, cuncti modum miſeriarum expoſcant. Neceſſitate exprimenda, qvæ per modeſtiam non obtinerent; aliaq; in eundem ſenſum acerba magis quam falſa; præcipuo eorum incentore Haſſo Caſſellano, cui ne reverentiam, quam obſequium in Cæſarem conſtantius retinuiſſe videretur, malæ Auſtriacorum artes, & imminens Germaniæ libertati exitium, unica fere ſermonum materia habebatur. Faciſemque ipſi aſſenſum ſimilitudo audientium fecit.

Electoris Saxoniæ. XVI. Inter paucos aut potius nullos ſolus SaxoElector Cæſarum Domui fidus, Regum conſilia in deterius trahebat, qvibus non magis, qvam for-

fortunæ rarò ſinceræ, fidendum monebat; Infe- 1645.
ſtus Regibus inviſusqve, neque Religionis ſuæ ſociis multum gratus, qvibus Evangelicæ rei incommodare videbantur, qvi moderatiora ſvadebant. Ipſius etiam Magdeburgii, filii Electoris, Auguſti Legati, Conr. Einſidelius atq; Jo. Crullius, ICTus, qvorum præ ceteris calida conſilia notabantur, pervicaciam illius crebris ſermonibus perſtringebant, qua non ſibi minus, qvam vicinis Principibus terrisq;, extremam perniciem accerſiturus eſſet. Nec minus alii Saxonum malum, qvod animum ejus corruperit, pro inveterato, ipſumqve, ut *incorrigibilem*, traducebant, negligendos tamen conatus illius contra propria totiusq; Evangelici cœtus commoda verſos, differentes, qvod, ut ajebant, non Conſiliarii tantum Septemviri cordati atq; integri in diverſa tenderent, ſed & filius dignitatis Electoralis heres improbaret, quæ Patri tam impenſe placere omnes mirentur. Etiam Servientius Galli Orator privatis colloqviis inhumanitatem ejus inſectabatur, qui ſociis Religionis, quos juvare debuerat, pejora intulerit, quam qvæ ab hoſtibus timeantur; immemor nempe eorum, qvæ in Catholicos, quò Evangelicis commodarent, Galli patrabant.

invisi ceteris Protestantibus.

Gallis.

XVII. Quanquam neq; hos Proteſtantium cauſam ex æquo cum Svecis aut valide ſatis Propoſitione ſua egiſſe, pleriq; iſtorum cum Svecis criminabantur, haud multū ſcil. fiduciæ in gente ponen-

Svecorum Protestantiumqve querelæ de Gallis.

1645. ponendum dicentes, non minore levitate infami, quam cui fœminarum ſexum natura damnaverit. Neque frigori huic metum, ne aperta Religionis Evangelicæ propugnandæ propagandæque profeſſione Pontifex Rom. offendatur, aut *Hugonottis*, ut barbaro nomine compellant, animus addatur, efficaci ratione obtendi. Meminiſſent Galli, infra præſentis faſtigii celſitudinem ſubſtituras res ipſorum fuiſſe, ſibi relictas, & viribus Svecorum nudatas, quibus non munimentum modo ſecuritatis, ſed & fortunæ incrementa debeant. Quippe Gallorum corpora intolerantiſſima laboris, neque æſtus neque frigoris patientia; atque experientiâ deprehenſum, ſicut primus eorum impetus major quam virorum, ita ſequentem minorem quam fœminarum eſſe. Exiguam certè eſſe gloriæ partem, quam non Germanorum Svecorumque, Bernhardi Saxonis ductu poſt impleta à Guſtavo Adolpho fata militantium, fortitudine paraverint. Illo in exercitu robur eſſe Gallorum, illorum manibus geſta, quæ proſperè ceciderint. Et quo diſcreta virtus manifeſtius ſpectaretur, ad Friburgum miſerabili cæde imminutos, ad Mergenthalium à pauciſſimis hoſtium fœdiſſima pulſos fuga, ſatis docere, quam obtuſus ſit Gallorum impetus, Germanorum pondere deſtitutus. Cum periculo communis cauſæ Bavarum à Gallis tantopere coli, quamvis ſæpius jam à vaferrimo Prin-

cipe

cipe deluſis, cujus potentia civilem modum eve- 1645.
cta non minori fere curâ habenda ſit, quam qua ad nimias Auſtriacorum vires accidendas cuncti laborent, quibus libertas ſua atque ſecuritas cordi ſit. Imbecillem eſſe ſpem, quæ auxilio Gallorum nitatur, verbis magnificorum, re inanium. Exemplo eſſe Durlaci Marchionem, qui, primus in partes illorum transgreſſus, conſtanti eos coluerit fide, at terris ſuis ejectus nondum impetrare potuerit, ut reſtitutum eum, aut Eduardum injuſta poſſeſſione deturbatum vellent. Neque Naſſavios Saræpontanos benevolos magis aut juvandis ſociis promtiores eos expertos eſſe, extorres adhuc terris, quas per injuriam alii detineant. Nota eſſe facinora ipſorum iſtis locis exercita, quos ſive armis domitos ſive benevolentiæ ſpecie occupaverant, ut qui nec amicis ſociisque jus belli abſtinuerint. Memmium ſuperſtitioni (*g*) deditum, ejusque ſtudium propagandæ ſuæ Religionis non inferius eſſe cujuscunque vel devotiſſimi Hiſpani fervore. Ad ſacram igitur Svecorum anchoram confugiendum, quibus cùm non minus fere in Proteſtantibus, quàm his in illis præſidium ſit, commune periculum communi ſtudio atque induſtria propulſandum fore.

XIIX. Non minus acri interim de modo locoque tractandi contentione inter partes certabatur, ſuum, quem ſupra memoravimus, modum & nego-

Quæſtio de loco modoq; tractandi reſumta.

1645. negotium Monaſterii ſuſcipiendum Cæſareanis, Electoralibus, aliisque ex Procerum Legatis urgentibus, at in diverſa nitentibus Sveciæ Oratoribus, ac plerisque Proteſtantium, qui Oſnabrugæ conſederant.

Monaſterienſium in eam rem ſententia.

XIX. Decreta ab his ad Monaſterienſes Legatio, qua Jo. Müllerus Culmbachius perfunctus, nihil niſi preces Monaſterienſium cauſasque retulit, quibus permoti Monaſterium concedere deberent, ſaltem de modo Conſultandi deliberaturi, qui Oſnabruga abire hactenus recuſarant. Prima ſcil. hæc eſſe Cæſareorum neque magnæ rei poſtulata, quæ abnuere incivile foret; Plurima tractationis incommoda non alia magis ratione vitari poſſe; Morari eo loci Moguntinum Præſidem [das Reichs-Directorium] atque Electorum Collegium, unde non alibi majorem commoditatem mutuo referendi futuram, quæ Curia quæque ſtatuerit; Suſpicionibus obviam iri, quas divulſis Procerum claſſibus ſeparationis ſpecies injectura ſit; Neque toti negotio peragendo locum hunc, ſed paucos tantum in dies expeti; Nec Svecos adverſari; Denique tractatu Delectorum hoc modo ſublato, quemq; Ordinum ſuffragii ſui jure efficacius potiturum.

Adjuta à Culmbachio.

Addebat Culmbachius, prævalidam Monaſterii Pontificiorum factionem, Evangelicis gravem, contrario robore temperandam; Iniquo nimium impa-

(g) Sey ein rechter Bigott.

imparisque conditionis ſuo atque Wirtenbergii cum Catholicis certamine, Auſtrio nimirum, Bojoaro, Burgundo, Bambergio, Monaſterienſi, Conſtantienſi atque Oſnabrugenſi, quorum iſte Herbipolenſis etiam & Prælatorum Sveviæ, hic Mindæ atque Verdæ Epiſcopatuum vices ſuſtinebant. Vix ſentire ſibi in Senatu, aut quæ velint dicere licere, eo jam provectâ Auſtrii, Bojoari, atq; Burgundi inſolentiâ, ut ſermonem ipſorum aut interrumpere aut aliena interpretatione contorquere non erubeſcant; ſurdis ad iſta omnia Oſnabrugenſib9, quib9 ea præcipua cura, ne à Svecis avellerentur, quorum autoritate armis decorata facilius exprimere aut obtinere ſperabant, qvantacunq; à Cæſare Catholicisq; poſtulaturi erant. Neque majori ſucceſſu Memmius Comes Svecos adiit, qui ad Pontificii Venetique, Pacis nempe Pariorum, preces Monaſterio Oſnabrugam digreſſus, inter alia, quæ iſtorum nomine apud eos peragenda receperat, id etiam flagitabat, ut Imperii Proceribus ſuo arbitrio, eoque, qui optimus eis videretur, modo conſultare permitterent; Svecis, quo minus id à ſe impetrari paterentur, ſuffragii jure Ordinibus Imperii certius aſſerendo, Regii præterea honoris reverentiâ, ipsâ denique Tractatuum indole, ſe prohiberi cauſantibus.

1645. A reliquis Oſnabrugenſibus impugnata. Irrito Memmii apud Svecos conatu.

XX. Moguntini etiam Legatus Jo. Conrad. Krebſius Brandeburgicos eadem ex cauſa aggreſſus, cum neque apud hos ſe quicquam proficere vidiſſet, Cæſaris Legatos, qui Oſnabrugæ degebant,

Moguntini apud

1645. bant, rogatum adiit, ut autoritate ſua promoverent, qvi ratione perſvaderi non poſſent aut nollent. Hi igitur Altenburgiis, Vinarienſi, Culmbachio, Luneburgiis, Franconiæ Comitum, Urbiumque Noribergæ atqve Lubecæ Legatis accitis, à belli malis pacisq; neceſſitate exorſi, ut ſepoſito de conſultandi modo certamine, unanimia ſtatuerent, hortabantur, qvod facilime futurum oſtendebant, ſi cuncti utraque ex parte certo loco, ſive Monaſterium ei rei ſive qvicunque alius placeat, convenientes in commune conſulerent. Iis ad conſilium Evangelicorum relatis, ut priori ſententiæ inſiſteretur, ex plerorumque opinione decretum eſt; Ne tamen Galli poſtpoſiti contumelia incenderentur, placuit, ut Monaſterium abirent, qui Evangelicorum numerum ex Culmbacenſi, Wirtenbergio, atque Caſſellano compoſitum augerent. Et ut facilius, qvæ volebant, perficerent, Lampadius atque Schefferus, Luneburgenſis iſte, hic Caſſellanus, id muneris ſuſcepere, ut Monaſterium profecturi Catholicorum pervicaciam expugnarent, in maximum Reipubl. detrimentum, ut dicebant, evalituram, ni promtis remediis obviam iretur; Regibus, propoſiti certis, aut negotium hoc, aut in tractando eo Ordines deſerere, (quo qvidem Cæſareis Catholicisqve nihil gratius evenire poterat,) ſi aliam hi, quam quæ ſemel placuerat, viam inirent, eo maxime rumore anxiis Svecis, qvod

Brandeburgios. Cæſareorum apud Oſnabrugẽſes. 11. Aug.

qvod Ratiſbonam Comitia indicenda, eoqve vocandos Proceres, circumferebatur, ubi minor fiducia partium, & è propinqvo major Cæſaris reverentia. 1645.

XXI. Ipſe qvoqve Oxenſtiernius, eidem fini, præcipuè Gallis non in ſumma rerum minus quam hac in re ſibi firmandis, Monaſterium abiit, Longavilleum Ducem, ut præferebat, (eodemq; profectionis prætextu Lampadius atq; Schefferus utebantur,) Legationis Gallicæ principem inviſurus. Neque ſucceſſu conſilium caruit, extorto tandem Monaſterienſibus conſenſu, ut Ordinum Curias ambos in locos dividi admitterent, modo, quo Curiarum Conſulta ad invicem referenda eſſent, ad aliam transactionem remiſſo.

Monaſterienſes in Oſnabrugenſium ſententiam tranſeunt.

XXII. Gallos, quod mireris, difficiliores experti ſunt, quod Memmius religionis retinentior, avidiorque Cardinalitiæ purpuræ, qvam Regis ſui ſociorumque rebus conducebat, Longavilleo perſvaſerat, Evangelicis animum eſſe, univerſum negotium Oſnabrugam trahendi, religioni ſibi ducens, ſi fracto jam Bavaro, qvem ut unicum Pontificiæ Sectæ in imperio monumentum, Galliæ Regina, Clerusq; commendaverant, usq; in exitium inſiſteretur, & per ruinam illius Evangelicis Oſnabrugæ præſentia Svecorum prævalidis, robur adderetur. Ceſſere tamen tandem Galli, qvas Oxenſtiernio attulerat, rationibus,

23 Aug. Difficilius Galli.

Controverſia, de admiſſione Magdeburgii, Durlaceni,

1645. bus, & ut per ſingulas Curias utroque in loco conſultationes haberentur, permiſere.

Caſſellani,&c. adConſultationes publicas.

XXIII. Sopita hac de modo locoque Tractatuum lite, alia eaque non minoris momenti exorta eſt, de Senatus nempe ſuffragiique jure eis permittendo, quos, tanquam in Ceritum tabulas relatos, negotii hujus tractatione excludendos, cum Cæſareanis plerique Catholicorum cenſebant; Evangelicis, Svecorum potentia innixis, in contrarium tendentibus, non ſine omni in Luneburgios, Wirtenbergium atque Noribergenſem invidia, quos ob ſermones, in eam rem primum jactos, aut originem controverſiæ, aut Catholicis illius auctoribus aſſenſum, aut ſaltem animum addidiſſe, criminabantur. Præcipue Magdeburgio, Haſſo Caſſellano, Badeno Durlacenſi, Naſſavio Saræpontano, & Argentinati hæc ſtatus qvæſtio movebatur; Magdeburgio exceptionem, *quod præjudicium Bonis Eccleſiaſticis non fiat*; ceteris apertum defectionis crimen, omnibus partium ſtudium objectantibus, quos conſultationibus procul habere, aut juſtum, aut utile ſaltem videbatur.

19. & 29 Auguſt. 2. Sept. & 23. Auguſt. 4. Sept. Contraria.

XXIV. Eo pertinebat, qvod Curia Principum Monaſterii coacta Cæſareanis, *qui Deliberationi huic adhibendi eſſent?* qværentibus, eos, reſponderant, qvi in Comitiis Ordinũ munia HACTENUS impleviſſent. Intelligebantur hæ verborum artes Oſnabrugenſibus, ideoqve exaratis ad Mona-

Monaſterienſes literis; Ne remotos vellent, qui 1645.
ſine Reip. paciſq; damno præteriri non poſſent,
orabant, infauſtum reparandæ concordiæ exordium fore oſtendentes, qvod hinc contemtu, iſtinc contumeliæ dolore, utrinq; odio auſpicarentur. Nullam rationem eſſe, cur Magdeburgius negotio hoc arceri poſſit aut debeat, cujus plurimum interſit, Bellum an Pacem, quibusq; conditionibus habituri ſimus. Caſſellanum etiam ceterosq;, ſalvis iis, qvæ Hamburgi inter partes de tractanda Pace conventa ſint, ſalvaq; noviſſima Imperii lege (*Receſſu*) tractatione hac prohiberi non poſſe; neqve etiam facile fore, iſtos ejicere, qvi poſt datum à Cæſare commeatum, & acceptatas ipſorum literas mandataq;, qvibus Legationis fidem facere moris eſt, [creditiv und Vollmacht] Senatu recepti ſint, aliâ forſan & moleſtiori Reip. via eum repetituri, ſi jam expellerentur; irritandi ſcil. magis hac ignominia qvàm ſubmovendi. Neq; Tractatus hos ad ComitiorumLeges omnino exigi oportere, ſed ex Regulis JurisGentiũ æſtimari, qvo cunctis ſuffragii ſententiæq; dicendæ Jus iis in rebus tribuatur, qvæ ad ſingulorum utilitatem pertineant. Et huic Gentium Juri Magdeburgii maxime inſiſtebant, nunqvam fidam pacem conciliari poſſe dictitantes, qvæ aut inſciis aut invitis iſtis ſanciatur, qvibus ea aut ſaluti aut noxæ futura ſit. Neque Pacem Pragenſem poſtulatis ſuis adverſari, qvæ eo trahi non debeat, qvo ſe animus contrahentium non porrexerit,

Oſnabrugenſium. 4. & 14. Sept.

qui

1645. qui alios Pacis Tractatus ſecuturos non putaverint. Et quanqvam poſt Religionem priſcæ puritati reſtitutam, Præſules iſti addicti ſuffragii Jura in Comitiis Imperii adhuc non exercuerint, ideoqve occupanda negent Pontificii, de qvibus hoc demũ Tractatu tranſigendum ſit, invalidam tamen eſſe rationem, qua ex Comitiorum conſvetudine Tractationis hujus indoles cenſeatur, longe ab illis totoque fere cœlo diverſa. Morem accommodari, prout conducat, atque omnia, qvæ nunc vetuſtiſſima creduntur, nova fuiſſe. Eodem, ceterisqve, qvæ ſupra memoravimus, argumentis Caſſellani nitebantur, qvi partes ſociorum Regum, in ſuæ totiusqve Germaniæ libertatis ſecuritatem à ſe defenſas, non magis objici ſibi poſſe affirmabant, quam Auſtriaca fœdera Pontificiis, Senatu hac ex cauſa ſe moveri, ſummæ iniquitatis loco reputaturis. Quin omnem Pacis conatum irritum vanumque fore, ſi Monaſterienſes audiantur, fixa Regibus ſententiâ, nullam ſancire, qvæ non omnium ſuffragio atque conſenſu firmetur.

Svecorum ea in re contumacia.

XXV. Acerrimum hujus certaminis ſpecimen dies præbuit, quam reſponſo ad conditiones Svecicas Ordinibus edendo Cæſarei dixerant, nullis ex eis, qvos nominâvimus, præter Argentoratenſis Civitatis Legatum, vocatis, minus ceteris Cæſari inviſæ, ut qvæ, qvanquam partes ejus non ſecuta, adverſas tamen amplexa non fuerat. Obtinu-

tinuerant jam Proteſtantes à Magdeburgicis reli- 1645.
qvisqve litis ſociis, ut privatas rationes hîc ſaltem publicis utilitatibus remittentes, actu iſto abeſſe ſuſtinerent, læti, difficultati huic idoneum remedium reperiſſe, cum Proceribus jam jam viam, qvæ ad Curiam Urbis actui celebrando deſtinatam ducebat, ingreſſis, ex improviſo ſupervenere, qui Svecorum nomine ſatis pro imperio denunciabant, ut hîc etiam admitti curarent Proteſtantes, quos Auſtriaci Catholicique excludi velint, ni id facerent, continuo Pacis negotium & communem Evangelicorum cauſam eos deſerturos minitantes; Cæſareanis ex adverſo ſententiæ certis, ne vocem quidem emittere, ſi & iſti advenirent, qvos adeo averſabantur. Dum gliſceret certamen, atqve hinc Evangelici, hinc Cæſareani pertinacibus jurgiis tenderent, conſumtus per diſcordiam dimidius dies, civibus interim arma indutis vicos, per quos incedendum erat, ex utroqve latere honoris ſecuritatisque cauſa complentibus, donec Sveci, capto tandem à Proceribus conſilio, per Brandenburgium, Altenburgium, Wetteravium atque Argentinatem aditi, quanquam aſpera poſt verba jactasqve minas, ut ne rem ſua pertinacia perderent, indulſere, ea tamen conditione, ut invidiam incommodi inde orituri iſti ſubirent, qvi precibus ſuis veniam hanc extorſiſſent, ſeſeque obſtringerent, cuicunqve in poſterum delibetationi ſe interceſſuros, cui non

ii

1645. ii qvoque adhiberentur, qvos hac vice amoveri pacis intereſſe videri velint.

Cæſarei Ordinibus reſponſū ad propoſitiones Svecicas & Gallicas exhibent. Eorum propoſitio ad Ordines.

XXVI. Confecto ita apud Svecos negotio, urbis Curiam intravere, ubi poſt captas cuiqve ſedes Cranius, ſalute Cæſaris nomine Ordinibus data, nihil magis in votis Domino eſſe (*h*) teſtabatur, qvam ut, pacta inter partes mutuo bello infeſtas Pace, Germaniæ quoque concordia qvam celerrime reſtitui poſſet. Ideoque gratum habiturum fuiſſe, Optimatum fide prudentiaque, qvid de conditionibus à Regibus propoſitis agendum cenſerent, maturius adjuvari; At verò comperta mora, qvam exortæ inter Delectos ceterosque Imperii Proceres controverſiæ fecerint, officii interim ſui exiſtimaſſe, providere, qua ratione bellum componi, quibusque legibus pax cum hoſtibus iniri qveat. Hortari igitur Ordines, ut obſeqvio in Principem atque amore erga Patriam ea conſilia promant, qvæ revocandæ Paci ſalubria, & non decori minus qvam ſaluti Reipubl. idonea judicari poſſint. Hiſce favorabili oratione præmiſſis, ipſas conditiones à Regibus dictas aggreſſus, trium generum eſſe dicebat, quæ Galliæ Sveciæque Regum nomine Legati ipſorum propoſuerint; Primo ea contineri, quæ ad Cæſarem totumqve Imperium ſpectent, eorum tantum, qvorum referat, conſilio in Imperii Comitiis expediunda: Secundum iſta complecti, qvæ Cæ-

(*h*) *Lundorp, Tom. V, Lib. II, c. 99.*

Cæſarem atque Electores attineant; Poſtremo 1645.
deniqve ea comprehendi, qvæ Domum Auſtriacam, & qvas hereditario jure tenet Provincias, Regemqve Hiſpaniæ concernant; ex qvibus facile judicatu eſſe, qvæ tractationi huic materies ut inidonea ſeponi, aut ut congrua agitari, qvibusqve legibus tranſigi debeat. Et qvamqvam multa adverſarii attulerint, ab æqvitate & ratione prorſus aliena, neqve expoſuerint, qvibus reddendis præſtandisqve ipſi adſtricti eſſe velint, cum poſtulata ſua ex adverſo largo nimis ambitu protenderint, Imperatorem nihilominus celerandi negotii ſtudio ordini inſtiturū, qvem iſti præiverant, ita tamen, ut mutandi ejus poteſtas ſibi non minus, qvam contrariæ parti, integra atqve illibata permaneat. Tandem conſcriptas à ſe Pacis leges, qvibus Regum conditiones aut probabant aut aſpernabantur, Proceribus exhibentes, ſuffragium atqve ſententiam eorum rogabant, aſſumta, ut dicebant, ſpei fiducia, primam honoris divino Numini debiti, proximam Imperatoris atqve Imperii dignitatis utilitatisqve curam in re tanti momenti eos habituros, neqve Regiorum blanditiis illecebrisq; aut cujuscunq; commodi intuitu permiſſuros, quæ aut fini huic aut Imperii conſtitutionibus adverſa deprehendantur, qvas eo majori ſtudio Cæſar tuiturus ſit, qvod earum ſervandarum provinciã ſub ſacramenti fide receperit, cum arduum iſtud & ſubjectum fortunæ Remp. regendi onus ſubierat.

H XXVII.

1645. XXVII. Reſponſionem ad Svecorum Propoſitiones (*i*) ab æqvitate, hoſtium cauſæ prætenta, exorſi, inutilem diſceptationem eſſe judicabant, in cauſarum juſtitiam inqvirere, qvibus Sveci ſtimulati, excuſſa pace, bellum Germaniæ intulerint; Tractatibus hiſce, non Judicio, qvo partium merita agitentur, ſed transactioni, ſanandisqve amica conventione litibus, deſtinatis. Ceterùm inanem eſſe qverelam hoſtium atque iniqvam, commeatum contra pactorum fidem non omnibus, quibus debuerat, præſtitum criminantium; neqve enim, ſi formulam iſtorum ſpectes, inter alios, quam partes utrinq; ſummas, tranſigendum fuiſſe. Ipſa etiam hoſtium confeſſione crimen iſtud refelli, qvi omnia jam perfecta eſſe, qvibus Pacis tractandæ opus præparari debuerat, ipſi agnoverint. Non tamen adeo difficiles ſeſe futuros, ut non aliqvibus, qvando ita Proceribus videatur, eum indulturi eſſent, ſi certum eorum numerum, qvem ultra non egrederentur, Sveci ederent; modo non ulla exinde mora ſummæ rei injiciatur.

Reſp. Cæſ. ad Propoſ. Regiorum.

XXIIX. Ad ipſas conditiones, à Svecis dictas, ut bellum inter Imperatorem atqve *Imperium*, *Regem Catholicum*, Domumqve Auſtriacam, tum Seciæ Regem, atque ambarum partium ſocios, *ab Anno milleſimo ſexies centeſimo atq; trigeſimo* hactenus geſtum ignoſcendo tranſigatur, placere ſibi reſponderunt; In integrum qvoqve reſtituendos,

(i) *Lundorp. d. Tom. V. Lib. II. c. 100.*

doſ, quicunq; ob Svecicarum partium ſtudia bonis honoribusve mulctati ſint, iis ſolum exceptis, de qvibus publica Imperii lege, proximis Comitiis latâ, aliter conſtitutum ſit, ad cujus formam reſtitui debeant, qvi de accepto damno conqverantur; Conceſſo tamen, ut abſolutum eſſet purumq; Amneſtiæ beneficium, qvod ex certis conditionibus ſanctio iſta ſuſpenderat; in eo etiam adſenſi, ne alia qvàm legitimâ Juris Judiciorumqve ratione rurſus adimantur, qvæ olim ablatâ vi hujus pactionis qvisq; recepturus eſſet. Neq; iſtis, qvi ex Evangelicorum ordine *Reformatorum* nomen ſibi indiderint, incolumitatem ſuam Cæſarem invidere, aut adverſari, qvo minus & illi futuræ pacis beneficio, *ſi ipſi velint, & quiete vivant*, uti frui poſſint. Qvod ad Imperatoris atq; Imperii Ordinum Jura pertineat, earum qvidem rerum Imperatori cum Regibus exteris neq; communionem aliqvam intercedere, neq; bellum ſuſceptum geſtumve hactenus, & amica transactione ſopitas eſſe, ſi qvæ inter Cæſarem atqve Procerum qvosdam lites internam qvietem laceſſiverint, niſi qvod ſola Haſſiæ Landgravia armorum ſuorum pertinaciæ fœderis cum Regibus pacti fidem hucusq; prætenderit, qvibus Cæſari non reconciliatis in gratiam obſeqviumqve ejus redire nefas putet; præterea qvæ cuiqve in Republica partes conveniant, non obſcuris conſtitutionibus definita eſſe, quibus ſi per tranſactos bellorum motus non

1645.

Receſſ. Ratisb. A. 1641.

1645. ſua undiq; reverentia conſtiterit, temporum eam, in quibus nullus Legibus locus, non Cæſaris culpam eſſe, & cum pace deſituram; illisque explicandis, interpretandis, mutandisve, ſi id Reip. ſalus poſcere videatur, non alium conventum idoneum eſſe, quam qui per Comitia inſtituatur; Ne tamen grave Cæſari exiſtiment, iis adſentiri, quæ Leges expoſtulent, placere ſibi, ut munia Reip. ſociatis laboribus in Comitiis Imperator Proceresq; expediant, *ſalvis tamen iis, quæ ad Imperatorem atque Electores ſolos pertineant, ſalvisque his Juribus ac dignitatibus, quibus ceteros præmineant, utque omnia intelligantur juxta morem, ab antiquo in Imperio receptum. Quæ de Romanorum Rege, non niſi vacante Imperio, eligendo Sveci addiderint, Imperii Jura, Electorum libertatem atque ſanctiſſimas eligendi Leges violare.* Cetera, conſentire ſe, ut Ordines honore bonisve ſuis non niſi ad Conſtitutionum publicarum formam exuantur, & ſicut alia, ita etiam fœderum cum exteris ineundorum Jura, Proceribus ſerventur, *modo non contra Imperatorem* & Imperium, pacemqve ejus publicam, *ſalvoque per omnia Juramento*, contrahantur, *quo Cæſari* atque *Reipublicæ* quisque *obſtrictus* ſit. Non etiam repugnare, qvo minus controverſiæ inter Catholicos & Aug. Conf. addictos non de ſacris tantum Bonis, & interpretatione Pacis Auguſtanæ enatæ, ſed & aliis, quibuscunque ex cauſis, ſi ita Ordinibus viſum

ſum fuerit, Conventu hoc componantur. De captivis libertati ſuæ reddendis conditiones Svecorum ſe accipere; Ceterum non alium ſe Luſitaniæ, quam Hiſpaniæ Regem, agnoſcere, ad quem negotium de Eduardo Bragantino liberando remittant. Cæſarem adverſis Regibus ad nullam vel damni dati reſtitutionem, vel cautionem ſecuritatis teneri, quas ab ipſis æquiſſimo Jure flagitare poſſit, ac, ſi caſus detur, velit; & quanquam nulla cauſa ſit, qua obſervandis Tractatibus Schoenbeckianis obligentur, cum conditiones tum oblatas Sveci adſpernati Germaniam continuis ex iſto tempore damnis afflictaverint, ſi tamen Ordinibus, *quorum maxime interſit*, Tractatibus iſtis inſiſtere libeat, ſe non interceſſuros. Cum Langravia Haſſiæ in certas conditiones jam pridem conveniſſe; Tranſſylvanum Ordinum Imperii numero non cenſeri, qvi Svecorum per Germaniam partibus mixti ſint. In reliqvis non multum diſſentiebant. 1645.

XXIX. In eundem fere modum Galli (*k*) reſponſum retulere, adjectis iis, qvæ ſeparatam à Svecis diſceptationem habere videbantur; de Caroli nempe Lotharingiæ Ducis reſtitutione, Cæſareis flagitata, & Gallorum poſtulato, ne Imperatori contra Gallum, cum Hiſpano bellum habiturũ, auxilii latio eſſet, qvibus qvo minus Cæſar adſenſum dare poſſet, ſupremâ, qva inter ceteros Chriſtiani Orbis

Ad Gallorum.

(k) *Lundorp. d. Tom. V. Lib. II. c. 101.*

1645. Orbis Reges atqve Principes emineat, dignitate, impoſito ipſi univerſæ Eccleſiæ Patroni munere, obligatione clientis *(Vaſalli)* protegendi, & ſangvinis potiſſimum reverentiâ, tum etiam gratitudine, ob tot officia tamq; illuſtria, in Imperatorem atque Imperium, totumque Orbem Chriſtianum ab Hiſpaniæ Regibus collata, eum attineri regerebant; conditionem tamen iſtam, ut dicebant, admiſſuri, ſi, qvod Juris in Cæſare Hiſpani intuitu Galli ſtatuerint, eodem Jure ipſi qvoqve erga Svecos uterentur, qvos bello contra Imperatorem Imperiumve non minus Gallis, quam Cæſari Hiſpanum contra Gallos qvacunqve ope tueri nefas eſſet, Imperatori tamen id Juris integrum ſeponentes, qvod ei totiqve Imperio, ipſiq; Hiſpaniæ Regi, ut Belgii Principi, ex Imperii Legibus, & Transactione (*l*) Burgundica, Procerum Germaniæ conſenſu ſtabilita, tributum ſit.

Continuatio litis de admiſſione quorundam Ordinum.

XXX. Accepto ita à Cæſareis ad Gallorum Svecorumqve poſtulata reſponſo, ſatis ampla jam deliberandi materies Procerum Legatis erat, ſi de Magdeburgiis, qvi, ſcripto Moguntinis exhibito, Jura ſua, excluſione iſta à Promulgationis Cæſareanæ Actu, ut videbantur, temerata, integra ſibi aſſerebant, ceterisque convenire potuiſſent, qvos Monaſterienſes conſultationibus arceri, recipi contra Oſnabrugenſes perſiſtebant, præ-

(l) *Transact. Burgund. A. 1548. Apud Lundorp. d. Lib. II. c. 102.*

præter alias ſecretas magis qvam profeſſas ratio- 1645.
nes fidem maxime Svecis datam prætendentes.

XXXI. Suprà memoravimus, qvæ ſcriptis ad iſtos literis pro admittendis illis Legati Oſnabrugæ morantes attulerint, qvi nullo Monaſterienſium reſponſo, ſilentium iſtud pro conſenſu callide interpretati, aliâ epiſtola grates primum Monaſterienſibus habebant, qvod publicum bonum lite iſta diutius morari non ſuſtinerent; poſt facunde miſerantes, qvam prope diſcidium fuerit pacis negotium, niſi ipſi Oxenſtiernii pervicaciam precibus ſuis promiſſisq; flexerant, qvibus ſtare ipſa fidei religio jubeat; ut Cæſareos qvoqve Monaſterii degentes auctoritate ſua monitisque eandem in ſententiam traherent, oravere. Id unum rei expediundæ ſupereſſe, qvam totam Procerum arbitrio Cæſarei Oſnabrugæ permiſerint.

Oſnabrugenſium literæ ad Monaſterienſes, 10. 20. Sept.

XXXII. At Monaſterienſes, dato tandem ad priores Oſnabrugenſium literas reſponſo, qvanqvam ſolius Volmari auſu, reliqvis Optimatibus inſciis invitisqve id Oſnabrugam perlatum, poſtea compertum eſt, alienum ab inſtituta diſceptatione prætextum eſſe reponebant, qvo Magdeburgios ceterosqve conſultationibus admoveri velint, qvoniam ſcil. illorum etiam commodo damnove pax bellumve conſtitura ſint, pernicioſo exemplo eo valiturum, ut in Senatum Imperii aditus etiam iſtis tandem futurus ſit, qvos Principum Ordinumqve ditioni obnoxios (Mediat-

Monaſter. ad Oſnabr. reſponſ. 2. Oct. 22. Sept.

1645. Stände) aut Imperii civitatem qvidem, at ſine ſuffragio, habentes, Imperii Curiis diuturnus temporum uſus hactenus abſtinuerat. Non enim exempla deſinere, ubi incipiant, & pronum eſſe à veteri inſtituto in deteriora lapſum, quando ſemel receſſeris. Neque fauſtum pacis tractandæ principium habendum, aut reparandæ mutuæ Ordinum fiduciæ commodum, qvod à mutatione priſci moris capiatur, ſemper damnis turbisq; obnoxiâ. Ne igitur verterent ſapienter reperta, & ſemper placita. Nihil qvippe eveniſſe, cur antiquitus inſtituta exoleſcerent, aut aliorum honor in reliquorum præjudicium verteretur. Neque enim Conventum hunc aliis, quam Comitiorum, Legibus æſtimari oportere, ut quo per tria Ordinum Collegia, æque ut in iſtis ſolitum, ſuffragia ineantur; Neq; diverſam formam ideo induere, quod de Pace cum exteris, ſuasq; ſibi res habentibus, eo agatur. Imperii quoque conſtitutionibus eorum opinionem refragari, qvi ex Gentium Jure litem hanc judicandam contendant, quibus jam ſatis definitum ſit, ad qvos Belli Paciſque Jura pertineant, quas etiam ſecuti ipſi Reges Imperii tantum Proceres acciri flagitaverint. Ceterum ipſo populorum judicio abſurdum æſtimari, conſiliis tuis adhibere, quos pro Reip. tuisq; hoſtibus habeas, & qvibuscum de revocanda concordia adhuc conveniri oporteat; Idq; ſemel admiſſum, novi, inauditi ac in interitum Reip. aliquan-

quando redundaturi exempli fore. Et qvamvis 1645.
Haſſi Caſſellani atq; Badeni Durlacenſes Cæſaris aut Imperii hoſtes ſeſe, aut pro talibus judicatos eſſe negent, ipſas tamen res ab illis contra Imperatorem patratas, & quæ de Caſſellana Domo Pragenſi Pace conſtituta ſint, ſententiæ vicem ſuſtinere, quam dicere Cæſar eò usq; omiſerit, non quod jure deficiat, ſed nimio clementiæ uſu; neque ideo irrita cenſenda, quæ communi lege ſancita ſint. Ipſi præterea negotiorum indoli contrarium eſſe, ut tribuantur, quæ qvis voluerit, de quibus, quo jure quave injuriâ ea habiturus ſit, poſtea diſceptandum ſit. Neque; ut ſperent, quenquam futurum, qui privato qvorundam libitu, non conſcripto ritè Senatu, atque inſciis invitisque Cæſareanis, ceterorumq; Procerum Legatis, ſuffragii Jus cuiquam conferri poſſe, affirmaturus ſit, Senatu aut antiquo Reip. more, aut ob admiſſum crimen excluſo amotove. Commeatus literas ſecuritatis firmamentum præbere, non ſententiæ in Imperii Curiis dicendæ argumentum, hoſtibus qvippe tantum dari ſolitas, cum quibus ante reconciliationem nulla conſiliorum communio ſit. Neq; majori Jure à Cæſare flagitari poſſe, ut hoſtes ſuos de rebus ipſis auctoribus fautoribusq; à Regibus propoſitis in conſilium adſciſcat, quam Caſſellani aut Durlaceni ſubditos ſuos Clientesve (*Vaſallos*) Conſiliis ſuis adhibituri ſint, qui bello hoc Cæſaris aliorumve adverſorum ipſis par-

1645. tes defenderint. Proceres Reformatam, quam ipſi vocant, Religionem amplexos, interq; illos Caſſellanos, Delectorum qvondam Conventu, Spiræ coacto, Cardinalis Andreæ, Auſtriaci ſangvinis Principis, & Conſtantiæ Epiſcopi, Legatos ob id ſolum ſubmovendos contendiſſe, qvod bello contra Batavos ab Hiſpanis geſto is præeſſet, adeoq; Collegam pati non poſſent, qui ſociis Religionis ſuæ infeſtus eſſet. Qanto magis omni Gentium, atq; ipſius Naturæ Dictamini adverſari, Caſſellanos conſilii ſocios admittere, qui, armis Imperatori & fidis Imperio Civibus illatis, incendiis, cædibus, aliisque belli cladibus cuncta compleverint, & profeſſos Reip. hoſtes adhuc dum ſeqvantur. Ceterum, poſtremum Imperii *Receſſum* eo trahi non debere, ut ſuffragandi facultatem adipiſcantur, qui eam aut nunquam habuerint, aut amiſerint poſtea, idq; ex ipſa Amneſtiæ formula ſatis apparere, qvæ Comitiis iſtis conſcripta ſit. Neq; etiam, quod ſperent, metu ceſſuros Odines, ut iis ſe legibus adigi permittant, quarum obtrudendarum ne Regibus quidem animus eſſe qveat, quibus de Amneſtia ſancienda, quâ ſcil. capaces reddantur ſuffragii, qui eo exciderant, prima pacis conditio habeatur. Neque enim pro confecto haberi debere, cujus tranſigundi ratio hoc demum Conventu ineunda ſit. Non certè Senatu Imperii publicos ejus hoſtes recipi poſſe, niſi cauſam eorum approbare, ſuam vero prædamnare velint Cæſar, Proceresq; obſequii ac fidei

Deputation-Tag zu Speyr Anno 1600.

fidei conſtantes; qvo id tandem futurum ſit, ut 1645.
unusqvisque Procerum ambitione, avaritiâ, aut obſeqvii impatientiâ ſtimulatus, cuncta agere, trahere, ſurſum atque deorſum ferre licitum, aut impune ſaltem putans, qvidquid contra Rempubl. moliatur, Ordinum nihilominus Jure numeroque ſeſe habendum crediturus ſit. Ita dum ſingulorum licentiæ conſulitur, Remp. perituram, qvibuscunque Civium ſuorum turbis motibusqve obnoxiam; nullo jam vinculo, quod animos, rerum novarum avidos, ſuique pariter ac publici periculi exitiique incurioſos, attineat. Magdeburgii Archiepiſcopatus Poſſeſſorem non alio quam Pragenſis Pacis beneficio illum obtinuiſſe, qua Regionis tantum Conciliis (den Kreyß-Tägen) adeſſe ipſi indultum ſit, quam ſi negligere Auguſtus velit, ut antiqvius Chriſtiani Gvilielmi Brandenburgii Marchionis, qvi prior eum poſſederat, ita potius forſan Jus futurum, recuperandi titulum eâ ratione habituri. Præcipue obſtare diuturnum Imperii uſum, qvo Lutherani Epiſcopatuum Detentores ad Comitia neque vocari neque admitti hoc usque in tempus conſveverint; cui præjudicium hoc exemplo fieri, aut ut fiat, connivere, crimen fore, nulla Juris Apologiâ, nullo neceſſitatis obtentu poſteris excuſandum. Argentoratenſem Civitatem, ut defectionis, ſi cum Durlacenis aut Caſſellanis contendas, minus ream, ita facilius, neque invitis ſeſe, &c

1645. & ut ſperent,non repugnaturis Cæſareanis,Senatus Jura recepturam.

Oſnabrugēſium de iis delibea ratio. qverela. 27.Sep.

XXXIII. Recitatæ hæ Oſnabrugæ, in Evangelicorum Concilio, quod Magdeburgius præſidebat, literæ, non parum curæ attulere, Monaſterienſium pervicaciam,datam Svecis fidem,Ordinumque,de quibus depellendis agebatur, favorem conſiderantibus. Præcipue Caſſellani indignabantur, qui Regibus ſe quidem fœdere junctos profitentes, Reip. tamen detrimentum eo ſpectari, pernegabant. Cæſaris, ut ſummi Principis, obſequium nunquam ſeſe detrectaſſe, Juris tantum æqualitatem expetere. Caſſellanam Domum ea ſolùm hactenus executam, quæ Lipſiæ omnium Evangelicorum conſilio ſuffragiisq; decreta ſint. Neq; belli mala imputari ſibi ab iis debere,qui cauſam dederint, quiq; ſub *Ligæ* nomine in Evangelicorum excidium conjurati, non conſenſu modo ſed & opibus Cæſaris, ceteros Proceres tantùm non pedibus conculcaverint. Imperii hoſtem non judicandum, qui injuriæ repellendæ arma induerit. Altiorem certè indaginem cauſam mereri ; non enim Cæſaris neq; cujuſcunque eam poteſtatem eſſe, ut inauditum quem & indefenſum damnare queat. Neque objecta crimina pro approbatis accipienda. Eventu monſtratum iri, cui bona malave Reip. cordi curæque fuerint. Partium nomina non ſibi magis, quam Cæſari ejusq; ſociis,objici poſſe, adeoq;Conſiliis eodem argu-

argumento & hos arcendos eſſe, quo ſeſe exclu- 1645.
dendos illi contendant. Neque Conſiliariorum Cæſaris munere, ſed Reip. Senatorum Ordines fungi, quorum conſulta ſuffragii robur obtineant, quæq; ipſi ſuo Jure, atq; more majorum, non Cæſaris beneficio promant. Facile alioquin ſibi fore, Conciliis abſtinere, quibus non niſi conſulendi honore ipſis relicto, decernendi arbitrium penes Cæſarem eſſet. Ceterum illud ſibi non moleſtum, Senatu exire, quoties de Caſſellana cauſa deliberatio inſtituenda foret.

Oſnabrug. reſpõſ. ad Monaſterienſes. 30. Sep. Et Legatio ad eos.

XXXIV. Conſultantibus ita Oſnabrugenſibus, quem in ſenſum Monaſterienſibus reſpondendum eſſet, ea maxime ſententia probabatur: *Ut generalibus* reſcriberetur, atque Monaſterienſes rogarentur, Paxne, an eorum, qvos adverſarentur, odio, bellum placeret. Factum id, ſimulque Georgius Achatius Heherus & David Gloxinus, Saxonum Vinarienſium iſte, hic Lubecæ Civitatis Legatus, miſſi, qui coram perſvaderent, quod abſentibus non potuerant. Hi ergo Monaſterium profecti, dato Senatu, mandata ſua exponentes, fidem potiſſimum ingerebant, quam ſervando Cæſareanorum honori, qvos infectâ re alioqvin irritosq; Urbis Curia domum regredi oportuerat, Oſnabrugenſes Svecis dediſſent, non niſi iſtis contemnendam, qui, ſublato pacis negotio omnem ejus parandæ ſpem, tanto cum gemitu atqve abominatione Germaniæ perituram, abruptam velint.

XXXV.

1645. XXXV. Reſponſum à Senatu, delecturos ſe, qui mandata ſententiamque in eam rem ſuam
6. &16. perferrent, eoq; munere Gollius Auſtriacus, Go-
Octob. belius Colonienſis, Buſchmannus Hildeshemius, Paderbornenſis Cancellarius, Drachterus Bavarus, & *in ſpeciem* Mullerus atq; Burcardus, Culmbacenus & Wirtenbergiọ perfuncti, poſt multam diſceptationem, cum Senatus juſſa obtenderent, ad arbitrium illius rejiciebant, an conditiones accepturus eſſet, quibus Magdeburgio ſuffragii poteſtatem fieri placuerat, modo locum inter Proceres, qvos Seculares vocant, ſe capturum, *Actumque iſtum neq; in Poſſeſſorio neq; Petitorio allegaturum* ſponderet, ceteriq; Oſnabrugenſes ad alios Evangelicos Præſules exemplum hoc porrigi ſe non paſſuros reciperent. Difficilior de Caſſellanis reliquisque quæſtio fuit, quanquam expoſita periculi magnitudine molliti Monaſterienſium Delegati tandem & his ſuffragii copiam faciebant, ſi ratum id habere vellent, qvorum mandata acceperant; Præcipuâ Auſtriaci atque Bojoari modeſtiâ, qvam gratiorem Hildeshemii pervicacia faciebat. Et maxime quidem Caſſellanos exoſos habebant Cæſareani, à quibus, ſtricto adhuc cruentoque enſe armatis, nullo ſe officio hactenus cultos, vix adſpectu ſemel congreſſuque dignatos, epulis Hehero atq; Gloxino datis querebantur, adeoq; mitiora conſilia ab iſtis non ſperanda dicentes, quam illa fuerint, quibus Cæſarem, ut hoſtem, perſequi hactenus non deſtiterint.

XXXVI.

XXXVI. Expectabant interea reſponſum Saxo atq; Lubecenſis,(Monaſterii interim commorati) ratane juberet Monaſterienſium Senatus, quæ Delegatis ipſorum perſvaſerant; quod cum ſive negligentiâ, ſive dolo Moguntiaci Præſidis, quo non vocante, Senatum cogi nefas habebatur, tardius procederet, iſti moram hanc contumeliam ſuam interpretati,re infectaOſnabrugam redierunt,literas tantum ferentes, quibus Monaſterienſes Regum Legatos hac de re ſe adituros exponentes, tarditatis invidiam deprecabantur; quæ cum illis egiſſent, confecto negotio perſcripturi. 1645. Irrita. 26.Oct. 6. Nov.

XXXVII. At cum inutilem laborem cernerent, quem permovendis Regum Oratoribus inſumpſerant, conceſſere non multo poſt ſolo, ut credi volebant, boni publici amore, ut Magdeburgio poteſtas fieret ſententiæ in Senatu Principum dicendæ, at, tanquam Saxoniæ Duci, non Magdeburgi Archiepiſcopo, ideoq; inter Saxones, non ſacrorum Principum loco ſedem ſumpturo; cautione quoq; â Proteſtantib9 interponendâ, neque Magdeburgium ejusq; *Deſcendentes* ac ſtemmate illius oriundos, neque alios quoscunq; Lutheranos Epiſcopatuum Poſſeſſores vel Conventu hoc, vel futuris temporibus id exempli Jurisve uſurpaturos; in eandem ſententiam Regum etiam Legatis Evangelicorũ auctoritate ſvaſuq; trahendis; Cæſareos etiam precibus flectendos, (& adſenſere hi tandem,) utCaſſellanis quoque,Durlacenis Novæ Conditiones ratione Magdeburgii. 17. Nov.

1645. cenis, atqve Naſſaviis Saræpontanis ſuffragia ſua reddant, Senatu tamen abituris, ubi de ipſorum poſtulatis aut utilitate Regum conſultandum foret.

XXXIIX. Relata hæc à Richtersbergio, Auſtriæ Archiducum nomine Principum curiam Oſnabrugæ moderante, Evangelicis, Lauenburgium atqve Wetteravium accipiendo nuncio delegantibus, non ſatis placuere; Dignitatem Archiepiſcopalem ſilentio transmittendam, ſucceſſorum præjudicium *Deſcendentium* nomine implicatorum, & periculoſi exempli rem reputantibus, qvo in Senatum Imperii iſtis aditus pararetur, qvi ditione carerent, qvem à Cæſare atque Catholicis ejusmodi hominibus impleri, facilimum foret. Cautionem etiam præſtare, qva ceteris Epiſcopatuum Poſſeſſoribus Evangelicis præjudicium inferretur, poteſtatem ſuam ſupergredi; eamque formulam ſufficere, qvâ, Monaſterienſibus jam ante oblata, Legati Magdeburgici, neque ſeſe hoc exemplo in partis adverſæ damnum unquam poſtea uſuros, operamque una cum reliqvis Proteſtantium Proceribus daturos, ut ceteri, quorum eadem ſecum cauſa, conventu hoc abſtinentes, jura ſua futuro Tractatui ſeponi patiantur, ſpondere paratos ſeſe oſtenderant; locum etiam inter Seculares capturi.

Repudiatæ. Protoc. 10. Novemb.

XXXIX. Perlatum hoc reſponſum Richtersbergio per eos, qvos diximus, internuncios, &

Rich-

Richtersbergii operaMonaſterienſibus,qvi,qvan- 1645.
qvam vanam impediundæ rei ſpem irritumq; conatum adverterent, nimia contrariæ partis conſtantia viribusqve infractum,Oſnabrugam tamen mittendos ſtatuebant, qvi, ultima tentaturi, eas conditiones in admittendis iſtis, quibus ſtatûs qvæſtionem moverant, elicerent exprimerentve, qvæ ſi non optimæ, tolerabiles ſaltem,eſſent.

XL. Evenit ea provincia Jo. Adamo Krebſio, 12. & 2. Dec.
Petro Buſchmanno, Petro Weiſſio, & Philippo Vorburgio, Moguntini, Colonienſis, Burgundi, atqve Herbipolenſis Legatis, qvibus Richtersbergius, Oſnabrugæ jam degens,jungebatur. Iſti *Alia Tractatio.*
igitur Oſnabrugam ingreſſi, cum Thumshirnio Altenburgio, Hehero Vinarienſi, Lampadio Luneburgio, tum Comitum Franconiæ atqve civitatum,Colmariæ Bremæqve,Legatis exEvangelicorum Ordine muneri huic delectis in Moguntini ædibus,Svecorum metu,ne inſtituto publico conventu diſceptatione deADMITTENDIS nondum ſopita, ut datæ ab Evangelicis fidei contrario offenderentur,negotium reſumſerunt; ubi Moguntiacus à reparandæ concordiæ deſiderio, qvo Monaſterienſes teneri dicebat, exorſus, unico Pacis Patriæq; amore hos adductos referebat, ut Magdeburgium, ſuffragii facultatem nullo jure ſibi ſumentem, tanqvam Saxoniæ Ducem inter Seculares ſententiam promturum, antea admiſerint, qvod cum Evangelici iis argumentis aſpernentur,

1645. quæ non omninò nullius momenti ipſi deprehendant, conſentire ſeſe tandem, ut *Tanqvam Poſſeſſori Archiepiſcopatus* Senatui intereſſe liceat, ne tamen alii ejusdem conditionis Principes hoc ipſo, aut venturis temporibus, in argumentum cauſæ ſuæ torqveant, qvæ Pacis tantum ſtudio, non juris neceſſitate, huic ſoli, hac ſola vice, conceſſuri ſint; atque ideo Proteſtantes eam in rem autoritatem ſuam operamque ſe interpoſituros publica ſcriptoque ſignanda fide, adeoque non alienum (uti obtendatur) factum promittant, quod ab illis exigere neq; rationi neq; modeſtiæ Catholicorum conveniat.

Et ipſa nullo ſucceſſu.

XLI. Repoſitum ab Evangelicis, eam finiundæ huic controverſiæ viam intrandam eſſe, quæ nullius partium Juri officiat; At verò nimium qvam ipſum ſibi Magdeburgium nociturum, ſi tradendæ Catholicis Cautioni *Titulum pro poſſeſſore* adſcriberet, quem prædonum fere Jure Romanorum Leges cenſeant. Cetera nihil ſibi omiſſum iri, qvo ceteri Epiſcopi A. C. perſvaderi poſſint, ut Conventu hoc abeſſe ſuſtineant, idque Actis, qvibus Senatorum ſententiæ atque Orationes excipiuntur perſcribunturque (*Protocolla* vocare conſvevimus) conſignari facile ſe paſſuros; neque adeo neceſſarium Catholicorum ſecuritati, ſcripta Cautione muniri, quam manu ſua firmare iis non integrũ ſit, quorum jura ſua inviolata ſervari referat, (Meklenburgius innuebatur

tur, qui ſuffragiis Sverinenſis atq; Raceburgii epiſcopatuum reſpectu ferendis concilio hoc ſeſe ceſſurum profeſſus, nomen tamen cautioni à Catholicis petitæ dare recuſabat.) At cum iſti *Nomini Poſſeſſoris*, *removendis ceteris Lutheranorum Præſulibus*, & *ſubſcriptioni cautionis* inſiſterent, nihil promotum, atq; re infectâ utrinq; diſceſſum, niſi quod Vorburgius, non ſuo minus quam Domini ingenio mitis, collegis ſuis ſe perſvaſurum receperat, ut iis, quæ Evangelici offerebant, contenti, liti huic finem imponerent. 1645.

XLII. Et placuit tandem cautionis, à Magdeburgio Catholicis exhibendæ, formula, qua nomine *Poſtulati in Archiepiſcopum Magdeburgi* Senatu admiſſus, nullum inde communi cauſæ præjudicium accerſendum, locumq; ſe ab Eccleſiaſticorum Seculariumq; Principum ſede diverſum occupaturum, & poſt Burgundum ſententiam dicturum, teſtabatur. Hac demum ratione compoſitum diſſidium, quo Legatorum orationibus, ſermonibus, literis, & militum interim manu, atq; Germaniæ impenſis, *pro loco* per quatuor menſes certatum fuit.

Lis hæc ſopita. 11. Dec.

Origo ſcamni transverſi, ſive der Querbanck in conſilio Principum.

XLIII. Ne vero deeſſent, quæ Pacis Tractationem, ſat multis jam difficultatibus implicatam, prolixius morarentur, novam rixarum materiem Electorum Legati præbuere, *Excellentiæ Titulo* à ceteris compellari nova ambitione, Veneti quidem, ut ipſi præferebant, tantum æmulatu,

Excellentia Electoralium.

 (Pa-

1645. (Pacis proxenetam is agebat, celeberrima Contarenorum familia ortus,) flagitantes; oblato per
20May. Moguntiaci ſcribam libello, qvo reliqvos Prin-
1. Jun. cipum Ordinumque Legatos hortabantur, ne reverentiam hanc Electoraliũ Legationum principibus [denen Chur-Fürſtl. Haupt-Geſandten] habere recuſarent, qva illos, acceptis in eam rem mandatis, ipſi Cæſaris exterorumqve Regum Oratores dignentur. Ad ipſorum Principum Procerumq; ſplendorem decusqve Imperii pertingere honorem, qvo Electores augeantur, quos Venetis inferiores cenſeri, non exiguum Germanicæ exiſtimationi damnum illaturum. Præiviſſe jam viam exemplumqve dediſſe è Principum Collegio qvendam, qvi Electoralibus eum detulerit. Nihil Septemviros ex eo præ ceteris Optimatibus eximium adepturos; At contra periculũ eſſe, ne cum Imperii dedecore honorem Reges, Principũ exemplo moniti, rurſum adimant, qvo in Germanicæ dignitatis incrementum illos affecerint.

XLIV. Præcipue Bojoarum arrogantiæ hujus
Bavaro autorem Evangelici differebant, qvi accendentis
imputa- offenſionibus callidus, ſemina odiorum inter E-
ta. lectores Proceresq; Proteſtantium artibus his jacienda putaverit, qvo, factionibus & ſtudiis diſtracti, in commune minus conſulerent. Undecunq;
Protoc. originem contentio duxerit, ſive dolo ſtructa, ſi-
7. Sept. ve ſuſcitata ſuperbiâ, trahendis in diverſa Procerum Evangelicorum animis validam eam fuiſſe, uſu

uſu compertum eſt, cùm Electorales ceteris Legatis, niſi Excellentiæ titulo compellati, colloqvi dedignarentur, iſti ex adverſo, Electoralium faſtigiũ in diminutionem ſui accipientes, ut inſolito honore nimium jam ſuperbientium faſtum alerent, à ſe impetrare non poſſent. Ipſum certe Baronem Lœwium, Brandeburgii Electoris Legatum, Oxenſtiernio faſſum referunt: Egregia *(k)* fore, qvæ Electorum Principumq; concordia perfici poſſent, niſi iis profana iſta Excellentia intercederet. Neqve immerito altius penetrabat Principum animos iſta Septemvirorum ambitio, tanqvam antiqva dignatione non contenti, qva conceſſo jam Jure reliqvos Proceres anteibant, ea molirentur, qvæ patrium morem evecta, non honori minus, qvam libertati Principum, gravia noxiaqve viderentur. Monſtri qvid ambitum hunc alere, ex nimiis ſtudiis apparere, qvibus titulum hunc Electorales non accipere à volentibus, ſed invitis extorqvere, contendant. Qvo enim pertinere, faſtum ſuum Aulæ Cæſareæ, adeo neglecta ſui fama, oſtentaſſe, ut Pacis Tractationi adfuturos ſeſe negarent, niſi Excellentia honorati? Qvo Lœwii Baronis vocem apud Oxenſtiernium auditam, omne potius reparandæ Imperii qvietis opus irritum reddi ſe paſſuros minati, qvam ut titulo iſto cederent, tot retro ſeculis Germaniæ

1645.

Procerum de ea ſententia.

 Prin-

(k) Sie wolten was gutes mit einander ausrichten/ wenn nur die gottloſe *Excellenz* nicht wäre.

1645. Principibus ignoto? Qvin nec Weſenbecium Pomeranum inficiari, myſterium eſſe, quod tanti
Protoc. 17. Dec. nominis prærogativa tegatur. Litem cum Venetis à Septemviralibus alia parantibus tantum prætexi; Qvanqvam diverſa iſtorum conditio ſit, qvorum Reſp. ſui Juris atqve nullius Imperio ſubjecta, non niſi Numinis obſeqvio teneatur, eoqve cultu Imperatoris, Pontificis, Regumqve in Aulis Oratores illius proſeqvi mos ſit, qvem Regum Legatis habere conſveverint, Reipubl. videlicet non libertate tantum nulli obnoxia, ſed & Regnorum poſſeſſione Regiam fortunam æmulantis. Accedere, qvod Pacis conciliatorum munus conventu hoc obeant; Electoribus è contra Imperii majeſtatem agnoſcentibus, Principibusqve non cognationis tantum, ſed & Clientelæ *(Vaſallagii)* qvandoqve neceſſitudine connexis.

16. 26. Sept. XLV. Digna viſa res, de qva in Principum Senatu relatio fieret, qvo communi conſenſu decretum, ut modeſtiæ priſciqve moris Electorales admonerentur, neqve Pacis negotium ea novitate turbari permitterent. Orandum etiam Lœwium Baronem, qvi præſente Witgenſteinio Comite honorem hunc, principibus tantum Legationum prenſatum, non expetebat, ut Electoralibus nimia agitantibus meliora ſvaderet, Pomerano Collegarum precibus dante, ut Lœwio
Protoc. 18. 28. Sept. Procerum vota commendaret. At nihil à ſe effectum, aut verius, nihil efficere ſe voluiſſe, pro-

proximo Senatu retulit, quo nullam Domino 1645.
ſuo præcipuam cum Principibus litem, ſed toti
Electorum Collegio communem cauſſatus, vanam
ſollicitudinem oſtendere conabatur, qua
ex aucta iſtorum dignitate ſui imminutionem ceteri
Proceres ſuſpicentur. Magno cum Reip.
detrimento & humani ſangvinis jactura jurgio
huic tempus inſumi, multo utilius Pacis Tractationi
impendendum. Ipſi Septemviro dolorem
rixas has moviſſe, quibus deteriora, qvam primo
vultu referant, ſubeſſe, & turbamenta Paci
quæri, ipſe ſuſpectet. Rem ipſam qvod attinet,
Electores ex Aureæ Bullæ legibus honore ceteros
anteire, ipſorumq; ſemper Principum ſtudium
fuiſſe, per latera iſtorum Regibus dignatione
æqvari. Italiæ Reſpublicas Septemviris digniores
novo auſu haberi velle, quorum majeſtas minui
nequeat, ut non & Principes decoris ſui damnum
patiantur. Abſurdum eſſe, titulum Septemviralibus
à Principibus denegari, quo à Cæſare, Regibus
& Rebuſp. exteris ſalutentur. Maximæ difficultatis
momentum in eo verſari, qvod Venetorum,
imò Sabaudi, Imperii civis, Legatis Excellentia
tribuatur; Quibus Electores poſthaberi,
ſummæ injuriæ foret; pari cum Regibus jure Septemviros
æſtimari, qui nulli Principi, corona non
inſigni, loco decedant. Regna Venetis jam pridem
poſſeſſa nondum effeciſſe, ut Cardinales præcederent,
Septemviris dignatione minores. Cæſarem

Rationes Electoralium.

1645. rem qvidem pro Venetis ſententiam dixiſſe, at eam inſciis Electoribus latam eſſe, & impugnatam, poſtquam compererint, noviſſima deniq; Capitulatione abolitam. Supremam, qvâ gaudeant, poteſtate, Venetis ſeſe non invidere, modo illam ſine injuria ac detrimento alieni honoris uſurpent. Auſtriacam Domum, non unius Regni Dominam, Venetos præire, at cedere Electoribus. Germaniam in varia olim regna, Francorum nempe Svevorum, Bojoariorum, Saxonum, alio rumq; diviſam, neq; priſcis ſeculis neque noſtris Venetorum Reip. conceſſiſſe. Qvin Septemviros etiam Rege Collega, Bohemo nempe, gloriari. Nobiliſſimis Regnis Remp. Romanorum quondam imperitaſſe, cui Venetorum ne quidem conferri poſſit, at Principem iſtius Septemvirorum ſuffragiis ſumi. Venetos Evangelicis Principibus neque cognatione neque vicinia jungi, illorum quoque Religioni infeſtos; Electores contra propinqvi ſangvinis & vicinitatis reverentia potiorem favorem promereri. Præterea Imperii qvoqve atqve alios Comites & Barones (Cratzium, Witgenſteinium, Bræmſerum, atque Lœwium innuebant,) Electorali Legatione fungi, ſuo jure, & à munere hoc diſtincto, Excellentiæ titulo compellandos; in cujus communionem omnes jam fere Cæſaris miniſtri belliqve Duces adſciti ſint. Neq; antiquũ morem ab iis objectari debere, qvi primi ejo vel immemores, vel incurioſi Vene-

Venetos novo & inuſitato hactenus cultu habuerint; Nec ad exemplum Electorales tracturos, quæ in Venetorum tantum æmulationem, hoc tantum conventu, ſibi dari expoſtulent. Diſcrimen inter cives exterosque rationis tantum commentum eſſe, culpamque turbatæ pacis penes eos futuram, qvi æqva petentibus annuere detrectent. Neqve Baronem Lœwium conciliatoris munia cum decore ſuſcepturum, Witgenſtenio ſe adjunctum, atque Septemviri mandata in contrarium euntia reputantem, quorum fines egredi neqve illi, neque ſibi qvoqve, commodum eſſe. Ita Weſenbecio partes Electoralium, qvibus moderationem ſe ſvaſurum pridie receperat, apud Principum Senatum acrius tuente, opertis odiis & integra lite diſceſſum eſt, qvamvis eſſent, qui Excellentiæ appellatione Electorales ab iſtis tantum, qvi Venetum ea coluiſſent, alii à ſingulis, non integro Principum Collegio, honorandos putabant. 1645. Protoc. 27. Sep.

XLVI. Multus hinc de Electoralium ambitu ſermo, &, prout cuique amor aut odium, varie interpretabantur. Pauci bona concordiæ in caſſum diſſerere; Plures bellum pacisque moras paveſcere; quidam dignationis tuendæ augendæve curam excuſare aut defendere; Pars multo maxima nimios eorum Spiritus, & moleſtum Principibus faſtum, variis rumoribꝰ traducebant. Sat multis jam argumentis cognitum eſſe, quam Judicia de hoc Electoralium Ambitu.

1645. impatiens modeſtiæ & civilem modum ſupergreſſa Septemvirorum ambitio id faſtigium meditetur, unde Principum ſortem elato ſupercilio & cum contemptu deſpectent. Impudens nimis eſſe, cultum neceſſitate exprimere, qvem à civilitate expectare debuerant. At omnes ſuperbiæ fines excedere, novos honores eo rerum ſtatu ipſoqve pacis damno obſtinatis adeo animis flagitare, ubi, Germaniâ tantis tamqve diuturnis belli calamitatibus afflicta, nulla reparandæ qvietis patriæqve tam propinqvæ mortis formidini properis remediis eximendæ cura potior eſſe deberet, cujus ſaluti omnia ſua qvilibet bonus civis largiatur. Nimium ſibi placere Septemviros, Venetos præminere cupientes, qvos non Europæus modò, ſed & Aſiaticus Orbis Regum inſtar veneretur. Certè Turcam, qvamvis infenſum, ſi ſententiam rogaretur, ſecundum Venetos litem daturum, Clariſſimæ Urbis virtutem atqve potentiam horrentem æſtimantemqve. Ipſi rationi communiqve populorum judicio incongruum eſſe, cives, qvacunqve dignitate aut libertate præditos, imperium tamen alterius ſpectantes, aliis præponi, qvi ſumma poteſtate inſignes ſint. Neqve eligendi Cæſaris munus tanta tribuere, qvod non ceteri ſolum Principes Proceresqve, ſed & Nobiles qvondam Germaniæ atqve Civitates obierint, qvôqve in Electores ſive iſtorum deſidiâ ſive injuriâ horum translato, ſuo juri, non

non honori alieno offecerint. Aut Ahlam forſan, Bopfingamve, aut ſi qvod obſcurius Svevia habeat opidulum, de dignitatis prærogativa cum Sereniſſima Rep. litigaturam fuiſſe, ni Imperatoris creandi poteſtatem cæteris Septemviri præripuiſſent. Grande ſcil. præminentiæ argumentum, Principem Germaniæ imponere, cui nemo obtemperet, ac dum adſciſcunt, parendi magis, qvam imperandi Leges præſcribant. Et fuit non invenuſti ingenii homo, qvi, edito in vulgus libello, Electoralium arrogantium acriter perſtringens, Chriſti Servatoris Diſcipulis illos non inidonea ſimilitudine componebat, eodem ferè modo pro ambitione eo tempore pugnantes, quando miſerrimæ Reip, animamqve jam agentis funus cuncti jam ut comploratæ ferme lugerent, qvo iſti de honoris faſtigio ſalidiſſime decertaverant, cum mortem jam cervicibus imminentem Magiſter horreret, modeſtiſſimo Præceptori, cruciatusque ſuos ac ſupplicia jam animo percipienti, hanc qvoqve dolendi materiem addituri. 1645.

Diſcurſus vom Excellenz-Streit cujusdam Anonymi.

XLVII. Sveci etiam Pacis moram, & Electorales cauſam diſſidii arguebant, qvod, antiqvum morem aſpernantes, inſolita expeterent, eo etiam ſuperbiæ ſuæ præſidio adſcito, qvod iisdem à Regum Legatis cultos ſe dicant; Atqvi aliam hujus reverentiæ, eam nempe cauſſam fuiſſe, qvod cum Delectis Septemvirorum Collegii ſibi agendum primùm crediderint, cujus partem Bohemo

Svecorum.

Regiis

1645. Regiis inſignibus illuſtris conſtituat; At mutata jam negotii facie, vanos fore Electorales, ſi ſinguli titulum expectent, qvem non niſi toti Curiæ detulerant. Wolkenſteinius quoqve Comes atque Richtersbergius Ferdinandi, cujus potiſſimum decretis Electorales nitebantur, Auſtriacæ Domus nomine Legati, nimiam illorum ambitionem incuſabant, mandatum in eam rem, quod illi obtendebant, unquam à Cæſare ſibi obveniſſe negantes; Illud tantum, precibus Septemvirorum fatigatum, reſcripſiſſe, non invidere ſe eis honorem, qvando adipiſci poſſent. Non etiam muneris Cæſarei eſſe, inconſultis Principibus reliqvisque Proceribus Excellentiæ titulum decernere, quo eorum tantum Legatos ſalutari fas ſit, qui ſummo imperio potiuntes ſolo Deo minores ſint. Se quoqve viſendis Electoralibus hac ſolum ex cauſa abſtinuiſſe, neque officio eo prius functuros, quam aut iſtos de novo faſtu remiſerint, aut alia ſuper ea re ex Aula juſſa ipſi acceperint.

Reſpõſum Cæſareorũ Regiis. XLIIX. Hæc inter Reſponſum Cæſareanorum, cujus ſummam ſupra retulimus, Gallis Svecisq; perlatum fuit, quorum hi, ſcripto paucis poſt diebus exhibito, optare ſeſe ajebant, nullum in *Præliminaribus* obicem ſibi poſitum fuiſſe, quo minus & ipſi ultra poſſent procedere. At impediri Lege de tractanda Pace, Hamburgi ſtatutâ, quâ *ante Replicam* quisque præſtare adſtrictus

ſit,

ſit, qvæ præparando negotio utilia partibus viſa 1645. ſint. At non tantum non præſtita ea à Cæſareanis, ſed plurimis inſuper præjudiciis aucta, quorum omnium medelam Jure meritoq; expoſcant. Niſi enim minora illa rite adimpleantur, quid facta Pace de iis ſperandum, quæ, ut majoris momenti, ſic difficilorem executionem habitura, ex facili conjici qveat. Præcipuam de illis litem ſupereſſe, qui inter Imperii Cives non adſcripti, in Ordinum ditione teneantur, qvibus, Conventum nunc adituris, Cæſarei ſecuritatem præſtare conſtanter recuſent. At aliter multo conveniſſe, qvàm ut ſummas tantum inter partes, ſociis non adhibitis, tranſigeretur, præcipua Regum curâ, ne inde excluderentur, ad quorum utilitatem damnumve Pax ineunda ſpectare poſſet. Id enim priorum temporum congreſſibus omiſſum, præcipuam fuiſſe cauſam, quod à viginti atque ſeptem annis pax aliqvoties facta nunquam tamen duraverit, excluſis qvippe à Pacis Tractatu præſidium in novo bello ſemper qværentibus. At verò, quibus Conditionibus bellum ponatur, etiam illorum referre, in qvos Proceribus imperium ſit. Iis igitur qvoq; providendum, ut loca Tractatibus deſtinata ſine periculo adire liceat. Ipſum Imperatorem, qvanqvam poſt prolixam ſeptem annorū moram, inſiſtente Sveciæ Regina Galliæque Rege, tandem conſenſiſſe, *ut univerſi & ſinguli ſuæ Serenitatis fœderati Status & Adhærentes per Germani-*

Lis de Salvo conductu Mediatis à Cæſareis.

1645. *maniam ſecure Oſnabrugam Monaſteriumve venirent, ſuosve mitterent,* nullo inter *Status Immediatos Mediatosve* diſcrimine. Quanquam STATUUM nomine Ordines, ſuffragii facultate eminentes, *Adhærentium* verò vocabulo tam *Mediatos* qvam *nonſtatus* intelligi, vix ambigi poſſe. Neque *adjectivam,* quam Cæſarei comminiſcantur, ſed *ſubſtantivam* vocabuli *adhærentium* ſignificationem eſſe, (adeò retinendo bello etiam Grammaticis præliis depugnabatur) ex illorum interpretatione probari, qui primum hiſce verbis uſi, de mente, qua ea protulerint, præ aliis optimam atque certiſſimam dare qveant. Clariſſimum certè ejus argumentum ex Salvii literis peti poſſe, qvibus à Reventlovio, Daniæ Regis, Paci conciliandæ tum adſumti, Cancellario poſtulaverit, ut verbum iſtud commeatus Diplomati adderetur, ea adjecta ratione, *qvod alii coronæ adhærentes non Status tam opus habeant ſalvis conductibus, quam Status.* Eas literas Cæſari per Daniæ Regem cum precibus, ut demerendo Orbi Chriſtiano illa inſeri permitteret, miſſas ſecutum Diploma tali formula, qva ſatisfactum ſibi bonâ fide crediderint, nihil fraudis tam aperta verborum luce tegi poſſe exiſtimantes, quæ aliena explicatione corrumpi tum demum adverterint, cum Erfurto atque Stralſundiæ commeatum præberi flagitaſſent. Nec profuſum videri debere id beneficium, qvod vix tres urbes Imperii

perii

perii, Senatu non adlectæ, hactenus expetiverint; 1645.
neqve ullum cuiquam inde præjudicium inferri, cum urbes iſtæ, Svecicis præſidiis inſeſſæ, *Sveciæq; adhærentes*, nullum jam alium *immediate* agnoſcant ſuperiorem. Non admittere Cæſaris candorem, promiſſa ſua æquivocis aliisve Sophiſticis interpretationibus infringi, nec tantorum Principum Legatis decorum, dum Dominorum ſuorum bella componere ſatagunt, Grammaticales inter ſe tumultus ciere. Nullam in ſe moram futuram, ipſum pacis negotium aggredi, qvam primum fidei publicæ hac qvoqve in re ſatisfactum cognoverint.

XLIX. At Cæſareani, qvanqvam ab Altenburgio, Vinarienſi, Luneburgio, Meklenburgio, Wetteravio, atque Argentinate, Evangelicorum nomine rogati, ut hic qvoque ingruenti neceſſitati, ſpeiqve Pacis decederent, id tantum ſe conceſſuros reſponderunt, ut iſtorum, quibus commeatum Sveci flagitarent, nominibus editis, ipſi ſeligerent, quibus eum impertirentur; adſpernantibus Svecis, quod incompertum ipſis eſſet, qvot ex exercitu milites forent, qvi curandis rebus ſuis Tractatuum loca adire cuperent.

L. Diremit litem Maximilianus Trautmansdorfius Comes, Aurei Velleris Eqves, Cæſareæque Aulæ Præfectus, & præcipuus, cui Ferdinandi ſecreta iunitebantur, arcanis ac largioribus mandatis inſtructus, atqve ab Imperatore miſſus,

qvi

1645. qvi pacis negotium ſumma auctoritate moderaretur. Is XIII. Calend. Decembr. Monaſterium, & Nonis ejusd. Oſnabrugam, utramqve ſine pompa, nulloqve præcipuo cultu ingreſſus, flagrantiſſimum pacis reparandæ ſtudium, permixtis tamen qvandoqve de bello continuando minis, præ ſe ferens, triumqve menſium ſpatio eam ſeſe qvovis pretio paraturum jactitans, cum à Svecorum Legatis, ſalutatum eum adeuntibus, inter alia hanc qvoqve maturandæ Paci moram injectam audiviſſet, compoſito in ſimulationem vultu; adverſari ſeſe iſta ſummæ rei turbamenta, teſtatus, commeatum omnibus eum rogaturis promiſit. Et conſtitit dicto fides, Diplomate, qvo Erfurto Stralſundæque de ſecuritate itineris providebatur, per ipſum Cranium Svecis tradito, eadem, qvibuscunqve aliis Sveci peterent, ſe daturos pollicitum.

Trautmansdorfii adventu 5. Dec.

Compoſita.

LI. Non tamen ideo ſinceri in pacem ſtudii fidem adſeqvebantur Cæſareani. Gallorum (*l*) maxime criminatione, ideo poſt conſumptum inutiliter biennii ſpatium Trautmansdorfium adveniſſe, incuſantibus, qvo ſparſis inter fœderatos diſſidiorum ſeminibus, parte altera commodis conditionibus ſibi placata, alteram majori virium mole aggrederentur; ſolo continuandi belli, nullo qvietis redintegrandæ conſilio. Ideò Trautmansdorfium Monaſterium, locum Tractationis præ-

Gallorum de Trautmansdorfii adventu criminatio.

(l) *Memoir. de Monſ. D. p. 21. - 24.*

præcipuum, vix intrare dignatum, illico Oſnabrugam perrexiſſe, tanta erga Svecos ac Proteſtantes humilitate liberalitateq;, ut religionis ſimul majeſtatisq; dememiniſſe videri poſſet; non alio proſtituti decoris conſilio, qvam ut, invidiâ iminutæ rei Catholicæ in Gallos rejecta, & pertractis ſuas in partes Svecis Evangelicisqve, ſecurius Cæſari cum Gallis bellum eſſet, periculo atq; metu Svecicorum armorum levato. 1645.

LII. Ceterùm ſublatis ita, qvæ Pacis tractationem hactenus interruperant, in eo erant Galli Svecique, ut ad Cæſareorum Reſponſum, qvæ è re ſua viderentur, reponerent. Et qvanqvam Galli, ſcribendi laborem averſantes, colloquio tantū agendum putarent, diverſa tamen Sveci ſentiebant, minus ſinceram Cæſareanorum fidem metuentes, aut metuere ſimulantes; eo ſolicitudinis prætextu, qvod Torſtenſohnium, Auſtriam exercitu pervagatum, inter alia victori direpta mandata qvóqve reperiſſe dicerent, qvibus Ferdinandum II. Imperatorem Legatis ſuis, ad Gabrielem Bethlenium, miſſis præcepiſſe memorabant, ut verbis uterentur obſcuris atqve in ambiguum implicatis, &c. prout conduxiſſet, trahendis; Sive vera, ſive ad invidiam vivi Cæſaris contumeliamq; defuncti conficta. Placitum tandem, ut Sveci Cæſareiqve congreſſui ſuo adhiberent, qvi ore Legatorū prolata exciperent calamo; Galli vota ſua iis committerent, qvi Pacis procurandæ munia ſuſceperant,

Modus replicandi à Regiis ad Cæſareorum Reſponſum.

Protoc. 28. Dec.

1645. Pontificis nempe Nuncio Fabio Chiſio, poſt Innocentium Romanæ Eccleſiæ Pontificatum adepto, Venetoqve Oratori Aloiſio Contareno, cum utraqve partium tractaturis, qvæ negotio promovendo conferrent.

LIII. Dies, qva tam Oſnabrugæ qvam Monaſterii deſtinata peragerentur, tertiæ Calend. Ja-
28. Dec. nuar. dictæ erant, qvibus Oxenſtiernius Salviusq; (*m*) Trautmansdorfium Lambergiumqve Comites atqve Cranium adeuntes, poſt recitata ea, quæ honoris cauſa præmitti ſolent, nullamque jam moram, quantum ipſi ſciant, eſſe dicentes, qvæ proſeqvendis Tractatibus ultra intercederet, ex Cæſareanis quæſivere, num ipſi haberent, quæ ex Pactorum Hamburgenſium Legibus præſtari ſibi efflagitarent? Reſponſum à Cæſareis; ſolam commeandi ſecuritatem Lotharingiæ Duci à Gallis dandam adhuc deſiderari, cujus obtinendæ fiduciam eo validius aſſumſerint, qvo majori æqvitate poſtulatum iſtud nitatur, nullũ tamen ſummæ rei inde impedimẽntum fore teſtati; Svecis, ſe qvoq; Gallos, ut tutum Lotharingo iter præſtarent, oraſſe reſpondentibus, at vanas fuiſſe ſuas, futurasq; Cæſareanorũ preces, nulla amplius obtinendi ſpe, qvod jam Hamburgenſi Conventu Galli abnuerint.

Salvi conductus pro Lotharingô à Gallis.

LIV. Ipſi ex adverſo eadem pro Luſitano, qvem Bragantini tantùm Ducis appellatione à Cæſareis deſignari ægre ferebant, poſtulare, qvod Tractatus

Pro Luſitanis à Cæſareis negati.

(m) *Lundorp. Tom. V. Lib. II. c. 119.*

ctatus hos ad univerſos ſpectare dicerent, qvibus 1645.
Luſitanus neque ut Cæſaris hoſtis amoveri, neque à Svecis Galliſque, fœdere qvippe connexus, deſeri poſſit, res ſuas tantum hoc Conventu, non Imperii, curaturus. Earum quoque Germaniæ Urbium, qvibus cum Luſitanis commercia, periculum in eo verſari monſtrabant, ſi Regis iſtius Legati non eo, qvo deceat, honore habeantur. Ad qvæ Cæſareani, diverſam multo Lotharingi à Luſitano rationem eſſe, reponebant, qvorum iſte pro ſummo ditionis ſuæ ſuique Juris Principe totius Orbis conſenſu æſtimetur, Dux vero Bragantinus Regnum, qvod invaſerit, non alio, quam Rebellis Raptorisq; titulo, detineat. Non alium legitimum Luſitaniæ Principem à Cæſare, quam Hiſpaniæ Regem, agnoſci, quem honorem Bragantino, ut Auſtriacæ Domus agnatæq; Hiſpaniæ hoſti, habere non poſſint, niſi hujꝰ illiusq; jura, collato in uſurpatorē Regis nomine, prodere vellent; & minorem Luſitanos non accepturos. Legationis jus externo, non civi, qvalis Bragantinus, comparatum eſſe, cujus Legatos nemo Chriſtianorum Principum aut Rerumpubl. niſi hoſtili animo in Catholicum Regem, Auſtriacamqve Domum adfectus, admiſerit; Non certe Romanum Pontificem aut Venetorum Rempubl. qvorum Oratores Monaſterii præſentes, ſuo ſatis exemplo doceant, qvo loco Luſitani iſthic degentes habendi

1645. ſint. Daniæ etiam Regem, Legatos Bragantini aſpernando, apertè teſtatum, nullum ſe Luſitaniæ, qvam Catholicum, Regem noviſſe. Præterea Monaſterium atqve ad Hiſpanos negotium hoc pertinere, qvod à Gallis tardandæ Paci ſtructum inde conjiciant, quod Luſitanis etiam ſine commeatu à Cæſare impetrato tutis ibi agere liceat.

LV. Quibus rurſum à Svecis reſponſum, qvanquam non deeſſent, quibus Luſitanicæ cauſæ juſtitiam tueri poſſent, ſilentio tamen ea ſe transmiſſuros, vitandæ offenſioni, & animis non irritandis, qvorum pacandorum curam acceperint. Poſtulatum hoc Gallorum fraudi non rectè imputari, Galliæ qvippe Sveciæqve Pactis innixum, qvæ pro iniqvis haberi non debeant, cum itineris ſecuritas à Cæſare pro illis meritò petatur, qvi partium tranſigentium ſocii loco Imperio ſubjecto de ſua qvoq; utilitate acturi ſint. Nihil qvidem incommodi Luſitanis Monaſterii hactenus obveniſſe, exemplo tamen Collegæ Roderici Botheloſi terreri, qvi Cæſareani militis rabiem etiam poſt mortem expertus ſit. Vix pedem ædibꝰ ſecurè eos, aut feneſtris oculos emittere, nedum urbe absq; periculo egredi. Duplicem viam ipſos Luſitanos indicaſſe, qvibus difficultates has exire liceat, ut ſcilicet aut *Luſitanici Regni Legati* appellarentur, aut Cæſarei Hiſpaniq; Gallis poteſtatem delegarent, commeatus literas ipſis tradendi, non minus valituras, ac ſi ſuo nomine eas dediſſent.

LVI.

LVI. De modo qvoq; Tractandi ea tandem etiam Cæſareanis ſententia placuit, ut, qvamvis de *Satisfactione* ſaltem ſcriptis agendū primum cenſuerant, colloqvio rem omnem patrari, eumq; tractandarum conditionum ordinem, à Svecis in medium allatum, ſervari non ægre permitterent, qvo commodiori Tractantium uſui, honeſtiſſima ſpecie, *Negotiis Imperii* primus, proximus *Regum ſatisfactioni*, *Pacis reductioni* tertius, quartus tandem ultimusqve locus *Executioni* illius aſſignabatur. 1645. Modus atqve Ordo Replicandi.

LVII. Hiſce ita ſepoſitis partim, partim transactis, in ipſam rem itum eſt, cujus initio prima reſponſi Cæſareani verba, qvanqvam, ut plerisqve videbantur, permodeſti ſenſus, cum Svecici præſertim exordii jactantia comparata, Sveci aggreſſi, *de intentione & ſtudio, qvo Corona Sveciæ arma in Imperium intulerit, inqvirere, ſupervacaneum* ipſi qvoqve exiſtimantes, defunctum tamen Sveciæ Regem, Filiamqve ipſius non levitate aut fortuito ad bellum prolapſos referebant, verum Cæſaris atqve Ligiſtarum armis per multas injurias irritatos, miſeratione etiam Germaniæ Principum, plerisqve ſuis Juribus, qvibusdam etiam patrimoniis exutorum permotos, nulla nempe alia ratione reliqva, qva aut præſenti damno mederentur, aut ingruens è propinqvo periculum effugerent. Qvamvis non eam forſan belli neceſſitatem vicinis futuram fuiſſe, ſi meliori paulum diſciplina milites ſuos iſti attinuiſſent. Cæſaris

Svecorum Replica. Ad provœmiū. De cauſis belli

1645. ris, qvod oſtentet, in pacem ſtudium ex eventu æſtimandum; ſe certe omnem operám daturos, qua ad ſinceram, tutam atq; honeſtam pacem perveniri qveat. Illud præterea admitti poſſe negabant, *qvod bellum in Imperium à Svecis illatum*, aut ipſis tale cum Electoribus, Principibus, Proceribusque ejus, aut Rege etiam Hiſpaniarum *eſſe Cæſarei dixerant*, qvod non cum aliis, quam Imperatore, ac Ligiſtis, horumque in Germania ſociis, hactenus geſſerint. Præter hos nullum ſibi adverſus Germanos bellum, pro quibus bellarint. Neque enim Proceres Evangelicos, aut etiam eos, qui neutras partes ſecuti ſint, inter qvos Salisburgi Archiepiſcopum, Georgium Landgraviũ Haſſiæ, &c. pro iſto temporum ſtatu, Saxonem Electorem nominabant, hoſtium loco ſeſe habere, aut ab iis inter inimicos reputari. Nec magis recte Hiſpaniæ Regem inter Sveciæ hoſtes numerari, à cujus Legatis, Monaſterii agentibus, amicorum jure cenſeantur.

Bellum Svecorum an contra Imperium.

LIIX. Ipſum deinde de rebus Imperii caput in quatuor articulos, *Amneſtiam ſcilicet, Jura & Privilegia Ordinum, tum Gravamina eorum, & deniq; Commerciorum cauſam* partiti, invalidum nimis atqve inutile ſtabiliendæ Pacis remedium ea in Amneſtia reperiri dicebant, cujꝰ beneficium ad annum demum milleſimum ſexcenteſimum & trigeſimũ trahendum eſſet, quod ad tempus, quo bellũ originem ſuam ceperit, multo conveni-

Ad Claſſ. I. de Negotiis Imperii pp. I. Amneſtia.

venientius & majori fructu ſtatuendum ſit. Et 1645.
vero Ferdinandum II. jam octavo poſt vigeſimum
ſeculi hujꝰ anno Svecicam qvietem Prutenico bello
laceſſiviſſe, & antequam iſtud aggrederetur,
mari Balthico claſſe ſua inſeſſo hoſtilia induiſſe,
infeſtaſſe commercia, Imperii Principes Religione
aut cognatione Regi caros, ideoque opem ejus
implorantes, terris ſuis expuliſſe, ceteris variis
modis vexatis; Qvæ omnia ante annum CIƆ DC
XXX patrata, & ex tumultu Bohemico profecta,
non alia ratione componi queant, quam ſi medelæ
principiū inde ſumatur, unde primum mala inceperint.
Comitia quatuor abhinc annis Ratisbonæ
habita, atq; ſancitam iis Amneſtiam, vitio non
carere, non omnium nempe Procerum voluntate
approbatam, ut qvæ univerſos non complectatur,
multisq; conditionibus infracta ipſam ſemet
ferè totam conficiat, Bohemiæ Regno aliisque
Auſtriacæ ditioni Provinciis Palatino, Wirtenbergio,
Badenſi, Naſſaviis Saræpontanis,
Auguſta Vindelicorum, Egra, Donaverda, aliisque
eâ excluſis. Neque etiam ea comprehenſos
certiori pace niti, qvam qvæ Pragæ confecta, neque
ſiverit bellum, neque quietem reddiderit,
imo, inito contra Reges fœdere, cauſam funeſtiori
multum bello in ſummam Germaniæ perniciem
præbuerit. Nunquam igitur ne ſpem quidem
votumve, nedū ipſius voti fiduciam ac robur ſecuritatem
publicā aſſumturā, niſi infauſta iſta pace,

1645. tantorum tumultuum cauſa, atq; Amneſtia tot nævis deformi, abolitis, ſua cuiq; Jura tribuantur, quibus anno hujus ſeculi decimo & octavo quisque gaviſus ſit; beneficio iſto etiam ad eos porrigendo, qui Auſtriacæ Domui natalium ſorte ſubjecti, poſt ortos in Bohemia motus cum quibuscunque Cæſaris hoſtibus fuerint.

2. Privilegiis & Juribus Ordinum. Jura Germaniæ Procerum quod attineat, *quorum cauſa Imperatori cum coronis exteris neque communionem aliquam eſſe, neq; bellum ſuſceptum geſtumve*, Cæſarei reſponderant, non magis ſibi quidem Germaniæ res curæ quondam fuiſſe ajebant, quam Cæſari quæſitum, qui Sveciæ Regni ſtatus eſſet; & optandum quidem fuiſſe, ut Imperator, coactis rite Comitiis, Procerũ prius ſententiam exquiſiviſſet, quam bello è Bohemia in Germaniam, inde ad Svecos Galloſque circumlato, Optimatum Proteſtantium aliis proſcriptis, aliis bonis Juribusve imminutis, omnibus Ferdinandèo iſto Edicto territis, fatali primũ terrore, mox ruinâ cuncta impleverat; nec enim aut Lipſiaco fœdere, aut Svecorum Gallorumq; armis, neque hoc ipſo, quô de Ordinum quoque Juribus tractatio ſuſcipiatur, Conventu opus futurum fuiſſe. Jam verò Reip. ſtatu iis, quas recenſuerint, injuriis verſo, merito Reges, ut ſuæ faciei ſuoque mori Germania reſtituatur, curare, in cujus quiete, partium æqualitate confirmanda ipſi ſecuritatis ſuæ robur atq; fundamenta collocent. Et ne verborum

borum qvoque ludibria abeſſent, *qvem antiquum* 1645.
morem in imperio receptum intelligerent, ad cujꝰ
formam negotia Imperii tractanda in poſterum
cenſuerant Cæſareani, quærentes, *an à Tiberii ævo*
antiqvitatem iſtam accerſerent, ſciſcitabantur. Illud quoq; , quod Cæſarei ea tantum Proceribus
fœdera cum exteris licita voluerant, qvæ *non contra Imperatorem* contraherentur, alia conditione
corrigendum exiſtimabant, *qua nempe Imperator ſit & maneat*. Cæſari enim contra leges,
quibus Reipubl. ſalus innitatur (*fundamentales* vocamus) tendenti, aut Procerum qvem atroci
afficienti injuria, accito aliorum auxilio reſiſtere, Jus fasq; eſſe debere affirmabant.

Et præſertim fœderum cum exteris Jure.

Meritò etiam Reges mala, quibus Proceres hactenus agitati ſint, ſua facientes, contendere,
ut poſtqvam Evangelici ea, qvibus remedium expoſcant, Catholicis ſcripta obtulerint, ipſique
Cæſareani hoc Conventu componi conceſſerint, ita res tranſigatur, quo, æqualitate utrinq; ſervata, &, quod maximè Proteſtantes optent, rationemq; qua id expediri poſſet, oſtendant, conſtitutis rite judiciis, ſua Proceribus Jura, adeoq; Germaniæ quies conſtare qveant. Explicationem etiam formulæ petebant, qua & Reformatis Cæſareani, *ſi ipſi velint*, & *quiete vivant*, pacis beneficium indulſerant.

(3) Gravaminibꝰ

De Commerciis non multum diſſentiebatur.

(4) Commerciis.

LIX. De Satisfactione ſua acturi, quid Tracta-

 tuum

1645. Claſſ.II. de Satisfactione. tuum Schœnbeckianorum nomine Cæſarei ſignificarent, rogavere, illisqve eos deſignari reſpondentibus, qvibus viginti & qvinqve auri *tonnas* Saxoniæ Elector Sveciæ Regi ab Evangelicis perſolvendas per Brandenſteinium Comitem obtulerat, cujus deinde oneris partem etiam Pontificii Anno 1641. in Comitiis, Ratisbonæ habitis, Pacis reverentiâ, ad omnes nimirum ſpectaturæ, ſe ſubituros profeſſi ſint, id invidiam ſuam à Saxone confictum Sveci regeſſere, ut Pacem ſpreviſſe viderentur, qvi conditionem iſtam reſpuiſſent. Qvanqvam juſtam ejus repudiandæ (*n*) cauſam etiam à Septemviro oblatæ habuiſſent, legitimis iſtorum, qvorum intererat, mandatis non inſtructo, qviqve aliam implendæ ejus ſpem non præbuerit, qvàm ut ipſi Stralſundiam relegati opperirentur, qvæ de votis ipſorum Cæſar Proceresqve decernerent. At, qvicqvid ejus ſit, ut nunc Imperii belliqve res ſeſe habeant, difficilius multo fore, litem pecunia tranſigere, cujus inopia nimium qvam Germania laboret, idoneis cautionibus non facile ſupplendâ; neqve talia ſua poſtulata eſſe, qvibus ære ſatisfieri poſſit. Ad bellum hoc injuriis Cæſaris ſuæqve ſalutis neceſſitate provocatos, pacemqve irritis pluries precibus flagitantes, ea per tria luſtra auri, ſangvinis, laborumq; impendia feciſſe, qvæ omnem æſtimationem excedant. Regis certe ſui Guſtavi Adolphi, Herois incomparabilis, bello hoc obitam

(n) *Caraff. p. 581.*

tam mortem, Svecorumque inde damnum, nullo nummorum pretio unqvam ſarciri. Communi Gentium jure, ſeculi noſtri exemplis, ipſisqve pactis conventis æqvitatem ſuam approbari, qvâ accepti damni reſtitutionem, & in futurum ſecuritatis cautionem depoſcant; qvæ anteqvam obtinuerint, ea loca, qvæ puro pioqve Duello in Germania capta præſidiis ſuis attineant, priſcis Dominis reddere ſibi non integrum, neqve ullo jure poſtulari. Qvid ergò expeterent, Cæſareis qværentibus, iſti uno hiatu potiſſimam Germaniæ partem, & toto Sveciæ Regno meliorem devoraturi, nimio Pacis, qvo flagrarent, ſtudio, Sileſia, Pomeraniâ, Caminenſi Epiſcopatu, Wiſmariæ Dynaſtia cum Poëla, Walfiſcha & Varnemundâ, Epiſcopatibus præterea Bremenſi Verdenſiqve, religione liberandis, jam pridem armis ſuis domitis, ſub Imperii fide atq; tutelâ ſibi permittendis, contentos ſe futuros oſtendebant. Et ne beneficium accipere tantum, non etiam reddere viderentur, magnificum id atqve utile Imperatori ac Imperio diſſerebant, tanti Principis acceſſione augeri, & cum Hiſpaniæ Daniæq; Regibus etiam Svecum civem habere, qvi Germaniæ Rempublicam contra Turcam conſiliis, opibus, milite adjuvaret. 1645.

Landgraviæ qvoq; Haſſiæ ſatisfieri poſcebant, cui cum Cæſare, prout Legati illius, Moguntinos forſan Tractatus reſpicientes, perhibuerint, nondum conveniſſe, libello probari, qvem, à Cattis ſibi oblatum, Cæſareis exhibebant. Ægre (2.) Haſſiaca.

1645. Ægre etiam ferebant, nullam militis mentionem à Cæſaris Oratoribus factam, cui direptæ vaſtatæque Germaniæ præmia à Germanis non exſolvi iniqvum putabant.

(3) Militiæ.

Claſſ. III. De Pacis Reductione atqve Securitate.

LX. Tertio Capite iſtud ſuſpectabant Sveci, qvod Cæſareani Gallorum poſtulata, ut Cæſari auxilio contra Gallum Hiſpano ferendo interdiceretur, ea conditione admiſerant, ut *viciſſim Corona Galliæ neq; directè neqve indirectè bellis & controverſiis, qvæ inter Majeſtatem Imperatoriam & S. R. Imperium, atque Coronam Sveciæ naſci poſſent, immiſcere ſe debeat*; qvibus aliud ſibi novumque bellum qvaſi ex longinquo minari Cæſareani viderentur, qui, retorquendæ tantum Gallorum iniquitati, id dictum regeſſere.

Cl. IV. De Executione Pacis.

Liberatio Eduardi Bragantini.

LXI. Poſtremo inter alia, exeqvendæ ſtabiliendæq; Paci idonea, Eduardum Bragantinum, Regis Luſitaniæ fratrem, Libertati ſuæ reſtitui flagitabant, qvi qvalicunque fratris fortunæ conſiliisve non adjunctus, omne iſtud tempus, qvod excutiendæ Hiſpanorum dominationi Luſitani inſumſerant, in Cæſaris miniſterio atq; aulâ, ubi vincula ipſi indita, innoxius egerit, jam carcere atq; compedibꝰ Mediolani conſtrictus, ne capitis qvidem ſui & trahendæ per vincula vitæ ſecurꝰ. Commendarent igitur Cæſareani Hiſpanis cauſam atq; incolumitatem Principis, im̃erita calamitate oppreſſi. Pertinere ad utilitatem Reip. & maritimarũ imprimis urbium, (Anſeaticarũ nomine celebratarum,) pertinere ad honorem Imperii, reddi ſuæ liber-

libertati Principem, Germaniâ ipsâque Cæſaris aulâ à peregrinis abſtractum. 1645.

LXII. Expoſitis Svecorum deſideriis Cæſarei, qvo præmiorum ſpe aliquâ mitigatos à Procerum patrocinio dimoverent, vel iſtâ ipsâ horâ Pacem patrari poſſe, ſi iſti vellent, affirmavere; hiſce maximi momenti res eſſe, qvas tractent, reſpondentib9, quæ tamen ſi ad votum ipſorũ Cæſareanis volentibus confici qveant, fauſtiſſimum ſibi diem illum illuxiſſe merito ſeſe exiſtimaturos. Sed iſtis, tam ampla ſibi mandata eſſe negantibus, ut omnia, quæ hoſtis flagitaret, ipſi concederent, infecta pace, & integro bello diſceſſum eſt.

LXIII. Eadem qvoq; die Galli, Dux Longavillanus, & Memmius atq; Servientius Comites (o) coram Nuntio Apoſtolico, Venetæque Reip. Legato, quæ ſua de Cæſareorum Reſponſo ſententia eſſet, expoſuere. Hi igitur præter ea, quæ cum Svecis communia habebant, hæc præcipuè contendere; Hiſpaniam, rem ſuam ſibi habere juſſam, Germanicæ rei non innectendam, neq; contra Gallos belligerantem Imperatoris opibus roborandã; non tamẽ à ſe quoq;, ut Svecos contra Cæſarẽ militaturos ipſi deſerant, æquali Jure expoſci, cùm non eadem huic, quæ Regum in ſuos poteſtas ſit, neq; ſine Svecis pax coaleſcere queat, ipſa belli communione conjunctis; Invalido contra Cæſareorum argumento, quod à Transactione Burgundicâ

Replica Gallorum.

Quoad Auxilium Hiſpano contra Gallum à Cæſare agendum.

(o) *Lundorp. d. Lib. c. 118.*

1645. dicâ mutuentur, ipſa deſvetudine & contrario uſu abrogata. Illud tamen non omnino adverſabantur, ut Cæſari, tanquam Auſtriæ Archiduci, Hiſpanum juvare licitum eſſet. Libelli qvoq; ſui eam partem mutarunt, qvâ Regem Romanorum non, niſi vacante Imperio, creari primùm petierant; Id jam poſcentes, ut extra domum regnantis ſucceſſor qværatur; Idq; aſpernantibus Pacis, qvos dixi, auctoribus, Cæſaremq; quidvis potius, quam familiam ſuam dignitate Imperatoria hac ratione arceri, paſſurum affirmantibus, non eam ſibi mentem eſſe, qvam illi ſuſpicentur, regerebant, ſed id tantum intendere, ut, ſucceſſore poſt fata demum imperantis deligendo, ſua Reip. forma, Septemviris eligendi facultas, ſuaque Jura Imperio maneant, viventis adhuc Imperatoris auctoritate, ambitu, ſordibus, gratiâ aliisq; modis facile turbanda, &, ut rerum uſu probetur, ſæpe turbata. Unius familiæ qvaſi hereditatem Germaniam hactenꝰ fuiſſe, firmamento libertatis fore, ſi defuncto demùm, qui regnaſſet, ſucceſſor eligi cœperit.

Electionem Regis Rom.

Ceterùm qvamvis optimo Jure retinere poſſent, qvæ Germaniæ loca tanto fortiſſimorum militum atq; auri impendio, ſummoqve rerum ſuarum periculo, belli Gentiumq; lege adqviſiverint, pacis tamen, eodem ſcilicet, qvo Sveci, amore omnibus iis ſe ceſſuros pollicebantur, quæ Moguntinæ, Trevirenſis & Palatinæ ditionis Galliæ ob-

Satisfactionē Gallicam.

ſequium induerint, modo à ceteris etiam ſua cui- 1645.
que, & Palatino præſertim, reſtituerentur. Reparando tamen utcunq; damno, quod gerendo tam contumaci bello pertulerint, *Nihil aliud* ſe petere, quam ut præter jam conceſſa, quamvis *ab antiquo jam ad Coronam pertinentia*, Metim nempè, Tullum, atque Virodunum, ſuperior atque inferior Alſatia, cum Suntgovia, Brisgovia, Briſaco, Sylvaticis urbibus, Tabernis Alſaticis, Munimento Philipsburgenſi, perpetuo Gallorum præſidio, vicinorum tamen ſumtibus tuendo, tantaq; ejus regione, qvanta commodo cum Gallia Commercio (zur correſpondenz-Lini) ſufficiat, & qvidem, ſi Cæſari lubeat, eadem, qva ceteri Imperii Cives terras ſuas habeant, conditione, ſibi relinquantur. Lotharingiæ autem Duci non commeatum tantum ad Tractatuum loca denegare perſtiterunt, ſed & cautionem à Cæſare flagitavere, qvâ Gallo in poſſeſſione Pr[illegible]vinciarum Lotharingicarum, non uno, ut dicebant, titulo ad eum ſpectantium, nihil ſe negotii faceſſiturum ſponderet, cujus Principis rebus immiſcendi ſeſe cauſam eo minus Imperatori eſſe ajebant, qvod omni fœderi is renunciarit, qvo Auſtriacis obligari potuerat.

Poinct d'autre choſe.

Lotharingi cauſam.

Pacis deniqve firmitati conſultum putavere, ſi Galliæ Sveciæqve Reges cum Imperii Proceribus in certas fœderis leges coirent, contra qvosvis qvietis turbatores, ta[illegible]o labore reſtitutæ, valituri,

LXIV.

1645. LXIV. Qvæ cum Mediatoribus acta, ſcriptaqve poſtea Cæſareis, atque Procerum Legatis, quanquam his ob contumeliam, qvam à Monaſterienſibus ſibi illatam Galli putabant, qvod iſti, veteris moris decorisqvè retinentes, per Delectos ad Gallos mittendos ea accipere recuſaverant, ſerius exhibita, non minus ac Svecorum Poſtulata, diverſo animorum habitu accepta, dolorem, lætitiam, ſpem, metum, atqve indignationem faciebant, &, prout in qvemqve inciderant, varie extollebantur arguebanturve.

Judicia de Replicis Regiorum.

Pro. LXV. Hi, Reges pietate in Germanos, & indignitate Reipublicæ, in qva nullus libertati amplius locus, ad arma actos, ipſo rerum documento comprobare, qvam pacem bellis ſuis qvæſiverint. Libertatis atqve Religionis nomina, ut verbis ſpecioſa, ita neqve re inania, Regibus bellum ſvaſiſſe, tractatione Pacis monſtrari, quâ primam Germanicæ rei ſibi curam eſſe, ipſo conditionum Ordine oſtendant, inter qvas primo loco poſuerint, qvæ Procerum Imperii Juribus, Religionis tutelæ, cunctorumq; incolumitati provideant. Hiſce auctoribus, ſervatæ Germaniæ decus meritis, mala componi, qvæ ab Auſtriacis primùm reperta per tot annos Rempubl. exederint. Huc ſcil. Gallicam Svecicamqve rem ſatietate gloriæ provectam, ut externis qvoqve Gentibus qvietem velint: Qvam prope jam fuiſſe, ut familiæ unius imperium ſubiiſſet nobiliſſima natio, & Regno

Arſa-

Arſacis acrior Germanorũ libertas in ſervitutem 1645.
vertiſſent. Jam certam tum Dominorum domum, & qui totam olim libertatem habuerant, ſupremã jam fere tyrannidem ſubiiſſe, cujus non alius modus futurus fuerat, quam quem innatus Genti Auſtriacæ faſtus, & Ferdinandꝰ, ſuperbus, atq; publici ſervitii victor poſuerat. Neq; mitius in animos regnum, quibus religionem imperare, ad Hiſpanicæ crudelitatis imitamentum Ferdinandus ſuſtinuerit, infenſiſſimus eorum hoſtis, qui puriori ritu Numen propitiare didicerant, qvàm in familia ſuperſtitionis veteri, & à matre, ſacris ſuis nimiùm qvàm dedita, ipſe acceperat, quiq; Religionis, ad priſcam rectitudinem revocatæ, excidium ea ferè ætate nuncupatis votis decreverit, qvâ Hannibal odium in Romanos non niſi cum anima ſe poſiturum, conceptis verbis, & præeunte Sacramentum Patre, juraverat. Ita expulſa libertate, Religione oppreſſa, ſublatis legibus, aut in contrarium verſis, omnem Procerum potentiam in Cæſarem ceſſiſſe, ni Galli Sveciq; obſtiterant, Liberatores haud dubie Germaniæ, & qui non primordia Ferdinandi, ſicut alii Principes populiq;, ſed florentiſſimum imperiũ laceſſierint fregerintq;. Non iniquum igitur, ſi pœna ab Auſtriacis, belli auctoribꝰ, & à Proceribus, tanto Patrocinio protectis, grates illis exſolvantur, qui iſtorũ injuriis, horumq; emolumento bellum tantis ſumtibus hucusq; geſtum ſuſceperint. Nullum crimen eſſe,

L ad-

1645. adverſus ingruentem vim ſuam ſalutem tueri; & non Humanitatis minus qvàm Majeſtatis officium, prohibere injuriam, aliorumque neceſſitati atque periculis ſubvenire. Juſtiſſimum igitur, ut damnum Regibus, tanta belli incommoda moleſtiasq; perpeſſis, idonea reſtitutione, &, qvod ſuo ſtatui metuant, periculum futuri ſecuritate penſetur. Neqve nimium videri debere, aliqva tantum retinere velle, qvæ univerſa tibi ſervare poſſes; qvin modeſtiam potius, pacis amore reddere, qvæ juſtis armis qvæſiveris. Non etiam Reip. adimi, qvæ hoc modo erogentur. In honorem potius ejus atqve incrementum ceſſurum, tantis Regibus imperare, qvorum non niſi nimiæ moderationi imputari poſſe, qvod Imperii Majeſtatem provinciarum intuitu venerari dignentur, qvas belli ſummoqve jam Jure obtineant. Qvicqvid ſit, imminutæ Germaniæ probrum penes eos futurum, qvi bello cauſam præbuerint.

Contra. LXVI. Dicebatur contra, pietatem erga afflictos, & tempora alienæ Reip. obtentui ſumta; ceterum imperii proferendi cupidine irruptam Germaniam, vaſtatas Provincias, ſimulatam Palatinarum aliarumqve gratiam partium. Mox ubi Germanorum viribus Germaniam pervaſerint, victis Auſtriacis, ſociisque timore potentiæ, quam ipſi adſtruxerant, perculſis, utrorumqve opes atq; terras occupaſſe. Quantum per tot annorum bella, licentiâ, avaritiâ, atq; immanitate militis, ad ſimi-

ſimilitudinem barbari inceſſus converſi, etiam in 1645.
eos ſævitum, qvi Svecis, ut Tutelaribus Diis, tantùm non Templa atque Aras ſtatuerant? Nullum ſcil. non crudelitatis genus inde illos expertos, unde hoſtium violentiæ remedium expectaverant, ſecuritate ſociorum, & belli malis, ac qvod deterius, auxilii fiduciâ circumventos. Nihil cupiditati, nihil libidini exceptum, &, ſi qui hoſtilem ſævitiam effugerint, nomine amicorum atque hoſpitum everſos eſſe. Bona fortunasque in tributum acta, in annonam, frumentum. Nata ſervituti mancipia ſemel venire, atque ultro à Dominis ali, Germanos ſervitutem ſuam cottidie emere, cottidie paſcere. Svecos, Auſtriacarum virium metu fidos amicis, æquales in fœderatos, mox ubi iſte receſſerat, ſuperbiam ſævitiamq; non in hoſtes atrocius, qvàm iſtos ſumſiſſe, fretos bellis, qvæ ſecunda adverſus Danos, Polonos, ipſam denique Germaniam exercuerint, & potentiam æmuli Imperatoris, ut imparem jam, deſpicientes. Ceſſiſſe prima poſtremis, & bona, ſi quæ fuerant, initii, ſecuta flagitia obliteraſſe. Imprudentes eſſe, atqve ignaros rerum Civilium, qvi honorâ non armis magis, quam ipſo Pacis Tractatu defenſorum Ordinum Jurium ſpecie imponi ſibi ſinant; faciles nimium, ſi id in Germanos amori imputent, quod dominandi libidini, atq; Auſtriacorum odio verius tribuatur, quorum ruinâ ruinæque ruderibus potentiã ſuam extruere parent, non minori peri-

1645. culo atq; terrori Germaniæ futuram, ubi remotis æmulis ſuæ ipſis vires placuerint. Nihil aliud nimia Optimatum Germaniæ licentia, cui ſtabiliendæ augendæq; Reges tanto ardore inſudent, atq; infringendo Cæſarum Jure ab iis qværi, quam ut illis obſequii impatientia, his retinendæ aut reparandæ auctoritatis ſtudio infenſis invicem atque inviſis, inſidiis ipſorum pateat. diſſidens à ſeipſa Germania, Regio ſub uno quondam formidanda, adeò jam in varios Principes lapſa, ut Dominio tota exciderit; qvando vaſtæ eorũ ambitioni nihil præſtare fortuna magis poſſit, qvam Germanorum diſcordiam. Suo ſcil. Jure Galliarum Reges libertatis favorem prætexere, qui, exactis oppreſſisve Principibus ſuis, Curiarum, qvas Parlamenta appellant, poteſtate inverſâ, atque omnibꝰ Senatûs, Magiſtratuum, Legumq; muniis ſibi raptis, cuncta pari ſervituti ſubegerint, ne corporum quidem libertati etiam iſtorum parcentes, qvos, in ſpem regni natos, conditio ſua, regiiq; ſangvinis aut affinitatis honor ſupra iſtam calamitatem, at fruſtra, poſuerat. Quanqvam levius id videri debeat, ſi cum facinore comparetur, quo Carolum Ludovicum (*p*) Palatinum, Principem Germanum, cognatum, Exulem, ipſoq; adeo miſerabilis fortunæ favore commendatum, nulloque maleficio ignominiam eam

meri-

(p) *Vid. Epit. Rer. Germ. Anonym, A.* 1639. *Contin. Mellif. Hiſt. Pezel. Part.* IV. *p.* 1307.

meritum Vincennenſi carceri, quem tum Werthi- 1645.
us hoſtis incolebat, Ludovicus mancipaverit, qvo majori ludibrio exponeretur, ſtrigoſis iisq; diverſi coloris equis, atque curru vetuſtate & inluvie deformi, deductum. Honeſtius certè Ferdinandum Patrem iſtius rebellem, læſæque majeſtatis etiam amicorũ ferè judicio reum, Palatinatu ipſaq; Germania ejeciſſe, quam Gallus affinem Principem, nulloq; ſuo crimine calamitoſum, regno exceptum, neqvicquam Exulum ſanctaque omnibus Hoſpitii Jura invocantem, tanquã belli lege captum, detinuerit. Neq; majorem ipſis, ob vexatos Evangelicos, conqverendi cauſam videri debuiſſe, quam Proteſtantibus quibusdã Germaniæ (*q*) qvondam fuiſſe Carolꝰ IX. atq; Heinr. III. Galliæ Reges cenſuerant, qui precibꝰ iſtorum, *Reformatis* Religionis libertatem permitti, ampliſſimis miſſis Legationibus poſtulantium, offenſi, tum demum amicitiam, quam prolixam Legati Dominorum nomine obtulerant, ſalvam ſibi cum illis permanſuram, reſponderant, quando, rebus Gallicis non immixti, earum arbitrium curamve non magis ſibi ſumerent, quam ipſi negotia eorum invadere, animum inducant. Et quem adeo hebetis ingenii eſſe, ut ſincerum Gallorum affectum in eos credere velit, quos hæreticorum loco habentes perſecuturi potius forent, ſi non Religionis reverentiam dominandi conſi-

(q) *V. Davil. Hiſt. Bel. Civ. Gall. L. IV. p. 21. & IIX. p. 244.*

1645. liis poſtponerent. Egregios ſcil. aſſerendæ ejus auctores haberi, qvi qvondam vix uno vicennio ccccM. hominum odio illius variis ſuppliciorum cladiumq; modis abſumpſerint. Neq; Gallum Svecumve à Cæſare accepiſſe injurias, ſed qvas ſive vero ſive confiƈto timore metuerint, occupaſſe. Ita ſcil. cavendo, ne metuant, homines, metuendos ultro ſe efficere, & injuriam à ſe repulſam, tanqvam aut facere aut pati neceſſe ſit, injungere aliis. Non enim potiorem ſibi armorum cauſam extitiſſe, qvam creſcentem Auſtriacæ potentiæ molem, ne ipſos qvidem abnuere, qvam qvocunqve modo imminui cupientibus facile fuerat, prætextu qvæſito, aliud fabulæ nomen dare. Honeſtiori tamen ſpecie bellum ſumſiſſe, qvàm pacem daturos, ex conditionibus perſpici, qvibus omnem modeſtiam eos poſuiſſe, etiam illi judicent, qvi, qvanqvam Cæſari Pontificiisqve minus æqvi, non omnem patrii decoris æqvitatisve curam projecerint. Qvam enormia eſſe, qvæ Galli, qvam immenſa, qvæ Sveci depoſcant, eousque impudentiæ prolapſi, ut pacis deſiderio ſe dare perhibeant, qvod non plura efflagitent, totam Germaniam poſtulaturi, niſi quietis ſcilicet amor obſiſteret. Precandam Modeſtiam, ut contenti ſint ſua fortuna Reges, neque univerſam Germaniam, terrarum olim Dominam, in Provinciæ formam redigant. At verò meliora Germanos ab iſtis ſperaviſſe, qvi libertati reddendæ arma, ſi illis credas, indu-

induti, atqve ſolam gloriam ſibi qvæſiviſſe profeſ- 1645.
ſi, Urbes jam totasque provincias, & tantum non integram Germaniam, tanqvam in navatæ militiæ ſtipendium, petant. Meminiſſent Galli fœderis, cum ſuperioribus Imperii Regionibus Hailbrunnæ initi, qvo unicam libertatem Germaniæ Optimatibus reſtituendam conſervandamque ſibi peti jactaverint, terris occupatis occupandisve nullo alio, qvam reductæ pacis, partæqve laudis, pretio ſe abituros teſtificati. Confirmatum id à Sveciæ Cancellario, Axela Oxenſtiernio, Ludovicum XIII. Galliæ Regem, colloqvio ſecum Compendii habito nihil ab Imperio, qvam reparatæ quietis grates, ſe expetere, declaraſſe, publico ſcripto, eoqve reſponſo affirmante, quod 6. Auguſti die Anni M. DC XXXV. Saxonis Electoris Conſiliariis Lipſiæ reddiderat. Ita ſcil. ut Imperium evertant Reges, libertatem præferre, ſi imminuerint, libertatem ipſam aggreſſuros. At ſecuritati ſuæ ſcilicet illos proſpicere, cui forſan conſultum non putent, niſi nobiliſſima portione Imperium mulctent. Fingere nempe metum, quo magis concupiſcant. Quanquam avaritiæ tantum atque ambitionis eſſe, victoriæ præmia, Germanorum fortitudine atq; ſumtibꝰ partæ, à Germanis expoſcere; at ſacrilegæ impietatis argumentum, Regiones Dei tantum miniſtras, [Bremenſem nempe, Verdenſem aliosq; Epiſcopatus,] tanquam victo Numini eripere, omni religionis conditione ſolven-

 das.

1645. das. At nondum ita debellatam Germaniam, ut non niſi ab inhoneſta noxiaq; pace ſalutem mutuari neceſſe ſit. Intuta, quæ indecora, & omnia potius toleranda, quam veterem ac diu partam dignationem ſubitæ felicitati ſubmittendam. Faviſſe hactenus, ut ſæpè malis ſoleat, Regibus fortunam, ſed non ea lege, ut ſemper faveret. Cuncta mortalium incerta, quantoq; plus adepti forent, tanto magis in lubrico eſſe. Galliam, nunquam non monſtri qvid alentem, attonitamque magis quam quietam, inteſtinorum motuum clades non obſcuris indiciis portendere; Regiæ adgnationis Principes variis contumeliis efferatos, Nobilitatem diuturnis bellorum damnis, Sacerdotum Ordinem inſvetis Tributis, & præſertim bello, Catholicæ Religionis Proceribus in Germania illato, ſummorum Tribunalium judices ablatis Juribus, & Plebem continuis exactionibus irritatos, ea tempora minari, qvibus converſi ad civile bellum Gallorum animi, externa ſine cura habituri ſint. Neq; morbo iſti efficax à Rege remedium, cui ob pueritiam nihil auctoritatis; Neq; à Mazarino peregrinitate inviſo; Reginam quoq;, ut Auſtriaci ſangvinis Principem, Gallis ſuſpectam. Partes jam & Factiones eſſe, in ſeditiones deſituras, ubi Duces invenerint. Nomine tantum atq; auctore opus eſſe, paratis jam motibus animis, more humani ingenii propere ſequi, quæ piget inchoare. Ita domi bellum habituros, qui aliorũ

pa-

pacem ſollicitent. Neq; Svecos ſuo hoſte metuq; 1645.
ſecreto magis quam profeſſo, carere. Eſſe ipſis Danum, Polonum, Moſcum, antiqua ſimultate, & ſolito inter vicinos æmulatu, recentem illorũ felicitatem ægris oculis introſpicientes, inſitâ mortalibus naturâ, fortunæ modum non ab aliis magis exigere, quam qvos in æquo, imò infra ſe quondam videre. Neq; ipſos Gallos creſcentem ſociorum potentiam ſatis lubenti animo intueri, plurimis indiciis deprehendi, ipſumq; jam (r) Guſtavum Adolphum, niſi prælio Lutzenſi concidiſſet, fœderatorum arma ſibi adverſa experturũ fuiſſe, non inani rumore perhiberi. Nec Svecos invidiam latere, qua apud amicos tantæ proſperitati iniquos laborent; utq; evenit, inclinatis ſemel ad ſuſpicionẽ animis, cum timeant Galli, timeri, atq; inter ſuſpicantes ſuſpectosq; facile ſperanda diſſidia. Ex adverſo ſupereſſe Imperii fortunam, ultoremque Deum; ſupereſſe militem, Provincias, fidos Cives, ſincerosque amicos, & ſi Germani, ſuo damno atque dedecore edocti, poſitis odiis, iras Civiles in exitium hoſtium verterent, pravaq; certamina communi utilitate abolerent, metum in adverſarios tranſiturum, ſpernendos, ubi concordes egerimus. Potiſſimum victis in conſenſu levamentum, & mille acies graviores, quam Gallorum Svecorumve averſuram Germaniam,

L 5 mo-

(r) *Vid. Victor. Sirius Hiſtor. de temp. curr. Tom. I. Lib. I.*

1645. modo redeat Pacis amor, & civilis cura concordiæ. Æternas eſſe opes Germanis, niſi inter ſemetipſos ſeditionibus ſæviant. Utiliſſimum atq; breviſſimum patrandi belli & revocandæ Pacis remedium fore, Regibus, quibus præcipua ex malis noſtris ſpes, ſibi relictis, ſuarum virium imbecillitatem ſimul ac opes noſtras oſtendere, maximas futuras, ſi Cæſari auctoritas, civibus obſequium, & junctis Proceribus fiducia redeat. Nunquam robur Romano Imperio defuturum, modo felicia fata ſua ſinerent Germani, cui ut immortalia eſſent, æterna & Vatibus prædicta diſpenſatione Numen indulſerit. Germaniarum ſanguine Germanias vinci, earumq; robore protritos populares. Eſſe hos inter potiſſima tam Gallorum qvam Svecorum auxilia, verèq; reputantibꝰ, Germaniam ſuiſmet viribus concidiſſe. Noſtris illos diſſenſionibus ac diſcordiis claros, vitia noſtra in gloriã utilitatemq; ſuam vertere. Deniq; non Pacem qværi à Regibus, tam immania flagitantibus, & quæ ſciant non concedenda; ſed cauſam bello, tanquam oblata pace, poſtquam negaretur, ſibimet ipſi conſulturi. Aut non turpem tantum, ſed & intutam eam fore, qvâ non animos ſolùm, ſua ſponte elatos, ſed & inſtrumenta augendæ Dominationi hoſtes accepturi ſint, ſpoliis noſtris ditati eas vires acquiſituri, quibus univerſam Germaniam domare poſſint, quandocunq; patientiam noſtram exercere, aut avaritiæ ipſorum aut ſuperbiæ lubue-

lubuerit. Claves NB. Imperii, hinc nempe Alſatiam Gallorum, inde Pomeraniam Sileſiamq; Svecorum fidei committendas, ut domum noſtram, qvoties lubuerit, irrumpere queant, quando tanta acceſſione majores multisq; & validis munimentis ſubnixi, turbare Germaniæ tranquillitatem promptum habebunt. Coalitâ nempe potentiâ, diſpecturas Gallias, quem virium ſuarum terminum velint. Etſi illi præda iſta contenti qvieſcere vellent, an memoriam cum terris ſuis perdituros, qvibus totæ Provinciæ, Urbes, Arces, ipſaque ſecuritatis munimenta auferantur? Annon occaſionum potius momentis intentos fore, quibus in integrum, ſuasq; terras reſtituantur, quas vi metuq; amiſerint. Et qvanto cum Europæ damno conjun[illegible]m, commerciorum, Marisq; Balthici arbitrium, conceſsâ Pomeraniâ, in Svecos conferri? Non igitur admittendas tam inhoneſtas conditiones, tanqvam Pacem relaturas; ſæviora reſtare, nec futurum ſtabile, quod coacti Cæſar atque Catholici cum hoſtibus pepigiſſent. Nam Principes, quod à ſe injuria extortum eſt, aliâ injuriâ plerumq; repetere. 1645.

Hæc variis multorum ſermonibus magnisque animorum motibus agitata, iis maxime de Regum immodeſtiâ conqverentibus, qvorum terræ in concedendæ Pacis mercedem petebantur.

LXVII. Cæſareani inprimis, ex memoria prioris fortunæ triſtiores, immenſam iſtorum avaritiâ in- Qveſtus Cæſareorum.

1645. inſectabantur, terrarum tractum ad ter centum milliaria protenſum, & inter eas Sileſiam, qvæ in præſentis belli neceſſitatem ultra ſeptuaginta aureorum myriadas ſuppetierit, adeoqve optimam Auſtriacæ hæreditatis portionem flagitantium. At verò oblato potius à Turca auxilio ſe uſuros, copiisq; ejus, centum & quinquaginta millia virorum numerum impleturis, viam adverſus hoſtes tam inſolentes daturos, proximo vere Franconiam intraturis, qvam iniqvas adeò leges ſubirent. Facile fore (s) eqvo ſpoliatis, freno carere, modo non eo Galli Svecique potiantur. Gallos Metim jam, Tullum atque Virodunum, quanquam eodem diſcordantis Germaniæ fato, Imperio abſtuliſſe, quibus cum Pignerola perpetuo adeoque legitimo Jure poſſidendis cedi poſſe, ſi Majeſtatem Imperii ratione earum conſervaturos ſponderent. At Alſatiam, ceterasq; connexas ei terras, ſine ſummo concedentium damno permitti non poſſe. Quis enim ab illorum ingenio, proſperis præſertim ſucceſſibus tumido, tantam moderationem ſibi polliceri audeat, ut poſt tot captas urbes, tot raptas provincias, tot inſeſſa flumina atque itinera cupiditati ſuæ idonea, Germaniæ finibus ſubſtituros credat, ſua retinere, privatæ domus, de alienis certare, regiam laudem exiſtimantes. Germanicam libertatem armis pari-

(s) Wäre das Pferd weg/ ſo möchte der Zaum auch mitgehen.

pariter pacique prætexi, quam (*t*) ſi iterum ter- 1645.
tiumve iis legibus adjuturi eſſent, in præſtitæ ope-
ræ præmium totam Germaniam, ipſamque adeò
libertatem ceſſuram.

LXIIX. Neq; parcius Brandeburgii, Meklen- Brandeburgiorum & Meklenburgiorum.
burgii; cæterique intentati damni ſocii lamenta-
bantur, nihil reliqui facientes, quo minus invidi-
am, miſericordiam, metum & iras permoverent.
Alia omninò Evangelicos expectaſſe, quam ut ter-
ris ſuis ab iſtis pellerentur, qvi reſtitutionem Pro-
cerũ, Cæſaris violentia ejectorum, armis ſuis præ-
tenderint; quanquam ſuas potiſſimum res egiſſe,
ſat firmis documentis cognitum ſit. Primam certe
maximamque defuncto Regi inferendi Auſtriacis
belli cauſam, ſi Libellis in defenſionem armorum
ſuorum compoſitis editisq; (*Manifeſta* vocamus,)
& repetitis ſæpius Verbis credere fas ſit, injurias
fuiſſe, quas ab iſtis acceperit, ſive veras, ſive in
prætextum confictas; Patrocinio Cognatorum,
ſociorumq; Religionis ſecundæ & acceſſoriæ cu-
ræ ſepoſito; adeoque ſuæ maximè ſuiq; Regni ſe-
curitati, utilitati, atque decori conſuluiſſe. Exiguo
milite Imperii fines ingreſſum, exercitum ſuum
Germanorum delectibus atq; ſtipendiis ſuppleviſ-
ſe, quo hac ratione firmato, eas victorias retulerit,
quibus gloriam ſibi, Regno emolumentũ, militiq;
ſuo-

(t) Wenn ſie noch dreymal auf ſolche Weiſe kämen/ würde die *Satisfaction* gantz Teutſchland/und alſo die *Libertät* ſelbſt *conſumiren*.

1645. ſuo opes, pulſis aut territis inimicis, paraverit. Multum equidem ſupra conſvetum ſtipendii ſui modumFennos iſtos Lapposq;,hominum poſtremos, accepiſſe, conſtiturum, ſi ratio eorum ineatur, quæ Contributionum, Lytrorum, Stativorũ, Tranſituum, & quæ alia exactionibus illicitis invenerint, nominibus fatiſcenti Germaniæ extorſerint. Guſtavum Adolphum iterato ſæpius ſermone, & ſcriptis quoq; ad Electorem Saxoniæ literis,profeſſum eſſe, non ambitione, aut Imperii prolatandi cupidine, ſed Numinis primùm venerati one,tum tuendæ propriæ incolumitati, & deniq; diſcrimine tantæ Chriſtianorum multitudinis, Cæſaris tyrannide afflictæ bellidis crimen ſeſe adiiſſe. Oxenſtiernium etiamRegniCancellarium eidemElectori per internuntiosLipſiam ablegatos perſvadere conatum, non alium Regi ſuo Germaniam intrandi animum fuiſſe, quam ut pacato Imperio, ſuâ non civili minus quam ſacrâ libertate quisq; gauderet. Et ne humana tantum fide niterentur Evangelici, Oxenſtiernium epiſtola quadam divino Numine in teſtimonium advocato,conteſtatum,eandem integritatem,quâ mortuus Guſtavus in tutelam Regni ſui & perpeſſæ injuriæ ultionem, tum Imperii, atq; præcipue Evangelicorum ſalutem atq; dignitatem arma induerit, etiam poſt obitam ab ipſo mortem Svecorum armis & belli gerendi conſiliis duraturam; aliis etiam literisReginæ atq; Senatus innocentiâ laudata, id ſolum optantium, ut rebus ſuis Juribusq;

Ex caſtris Francof. ad oder. Anno 1631.

1. Aug. 1635.

Viſmar. 21. Oct. ejusdẽ. anni.

busq; cuiq; pacatè frui liceret. Ita mitiora tanti totiesq; repetiti promiſſi fiduciâ cogitantibus, qvanto inopina, tanto majora offundi. Nova hæc nimium, nullique Evangelicorum obligationi innixa; neque enim, ſi ea prævidiſſent, in tam noxia fœdera eosq; ſocios conſenſuros fuiſſe, qui amicorum loca inimicis erepta ſibi addicerent. Alias multo atque diverſas fœderis cum Svecis pacti leges fuiſſe, promiſſa Evangelicis terrarum parte, quæ hoſti adimerentur. At tantum jam ab earum formula receſſum, ut de damno amittendæ rei ſuæ ipſaq; ſalute cum ſociis certent, qui communicandi lucri ſpe in partes pellecti ſint, in periculi præmium bonorum ſuorum jacturâ mulctandi. Non ab aliis, quàm Auſtriacis, rixæ auctoribus, ſatisfieri ſibi petituros, Svecos prætuliſſe; nunc, verſis in contrarium animis, fœderatos invadere. Leoninam iſtam ſocietatem eſſe, omnis Juris atq; æqvitatis ratione damnatam, qua lucrum Svecos tantùm, Evangelicos non niſi damna ſeqvantur. In Svecorum gratiam poſt Pactionem Pragenſem bellum unicè fere geſtum eſſe, Proceribus, ſi voluiſſent, Cæſari reconciliatis; qvàm iniqvum igitur, Evangelicorum impendiis pacem ab iſtis redimi, in quorũ commodum belli ſumtus & reliqua inteſtini diſſidii mala, cum quiete potiri poſſent, per tot annos pertulerint?

1645. 6. Jul. d. An.

LXIX. Interea Proteſtantium Legati, ubi malum erat, inde remedium inchoandum dicentes, ad

Gravamina Evangelicorum.

1645. ad earum rerum diſceptationem converſi, quas ſuſpicioni primum inter Cæſarem Proceresque, mox querelis,&poſtquā non ſubveniebatur,bello tandem cauſam dediſſe dicebant, quanquam eas omnes, tam Religionem, quàm Libertatem, debitaque Optimatibus Jura attinentes, uno, qvem ad GallorumSvecorumquePropoſitionem & Reſponſum Cæſareorum compoſuerant, libello primum complexi, mox ne diſſidii ſpeciem Catholicis præberent, qvos in invidiæ partē ex defenſione publicæ Libertatis à Cæſareanis ingruentis trahendos cenſebant, ea ſolùm ſeparatim tractanda ſibi ſumſere, quorum ipſis cum Pontificiis controverſia erat. At de conſcribendis eis deliberantibꝰ, quæ poſtea adverſæ parti exhiberent, à Brandeburgiorum arrogantia impedimentum objectum, qui ab Altenburgio, Brunſvicenſi, Wetteravio, & Lubecenſi muneri iſti delectis, niſi Excellentiæ titulo compellarentur, adiri recuſantes, poſtquam is negabatur, Secretarium libellū, quo lites iſtæ deſcriptæ erant, ceterorum Proteſtantiū nomine offerentem, non auditum dimiſerant; quem poſtea ex conſilio Fromholdii Pomerani eodem officio perfuncturum, Chemnitius Brandeburgiis ab epiſtolis, re itidem infectâ & acri reſponſo abire juſſit, additis in Principum Legatos probris, quibus, ſupra modum ſuperbis, ſatis eſſe debere dixerat, ſi Electorales, contemtum iſtum ultra non toleraturi per *Secundarios*, qvos appel-

pellant, cum iis agere ſuſtinerent; magna cum indignatione iſtorum, qui ab ejusmodi conditionis homine tam acerbè ſibi reſponderi ægerrimè ferebant, ideoq; tardius Electoralib9 honorem tanta importunitate ambitum habituri, unde etiam ii inſoleſcerent, qui à literis illorum eſſent, quib9 iſte petebatur. 1645

LXX. Ita ſpreti Principum atque Civitatum legati, injurias atque damna, quæ Religionis odio à Pontificiis ſibi inflicta exiſtimabant, ſcripto (r) comprehenſa, ſuo tantum nomine, & absqve Brandeburgiis, Cæſareis per Altenburgium, & Brunſvicenſem, Svecis per Magdeburgiũ, Darmſtattenum, & Bremenſem, denique per Vinarienſem, Meklenburgium atque Lubecenſem Krebſio Moguntino (Comitis quippe Crazii & Brœmſeti Baronis aditu negatus Excellentiæ honor prohibebat) edidere, quo Pacem ſinceram ſtabilemq; nunquam ſperandam præfati, nî malorũ remedio ſanciatur, quæ contra Paſſavienſis atq; Auguſtanæ Conventionis leges Religio ipſorum & propter eam à Pontificiis ipſi experti ſint, atrociſſimæ injuriæ loco illud reputabant, quod Archiepiſcopum, Epiſcopum, & cujuscunq; dignitatis Clericum, *Beneficii* ſui, ut vocant, incapacem eſſe perhiberent Catholici, qvàm primum relicto Papatu ad puriorem, atq; Auguſtana Confeſſione deſcriptam Religionem transiverit, ipſius licet Collegii

In Puncto Religionis exhibita 15. 25. Dec.

(1) Reſervatum Eccleſiaſticum.

M

(r) *Lundorp. Tom. V. Lib. II. c. 114.*

1645. gii (*Capituli*) cujus ipſe Principem aut partem agat, eadem forſan ſacra amplexuri, conſenſu juvetur. Illuc ſcilicet novas iſtas Sacramentorum legumque ſacrarum formulas ſpectare, à Romano Pontifice iſti fini repertas, ne *Regalia*, ut conſveto noſtrorum ſermone dicuntur, aut ſuffragii in Comitiis Imperii Jura Præſulibus tribuantur, qvi ſacrum iſtud tamque iniqui pretii Pallium à ſede Romana emercari detrectent, contra perſpicua Auguſtanæ Pacis verba, quibus proviſum, ne cuiquam ex Imperii Optimatibus ob Aug. C. ſive damnum ſive contumelia, aut illam deſerendi neceſſitas fieret, ſed Religionis ſuæ libertate, ditionibus, dignitatibus atq; Juribus cunctis ſecure frui liceret; ad eandem ſcilicet formam, qua
Anno. 1541. 44. 52. A. 1555. jam Conventibus, iſta Pace prioribus, Paſſavienſi præſertim, Evangelicorum ſecuritati atq; honori conſultum ſit. Neq; Electoribꝰ, Auguſtæ Vindelicorum coactis, tum cum, primæ Pacis iſtius lineæ ducebantur, ſive animum ſive juſtam cauſam petendi fuiſſe, ut Evangelici, antiquioribus jam legibus conceſſum beneficium negligentes, aditum, quo ad ſacras dignitates pervenitur, ſibi ſuiſque occluderent, & Religionem ſuam, *ut Cauſam & modum amittendi Dominia & Dignitates* ſumma ſui ignominiâ, & pectoris meliora docti tor-
Anno 1541. & 44. mentis ipſi damnarent. Atq; ideò fruſtra qvondã à qvibusdam ſacri ordinis Principibus flagitatum, ut *ſecularis* vox *Status* vocabulo adderetur, reni-

ten-

tentibus Evangelicis, qui legibus, anterioribꝰ Comitiis promulgatis, inſiſtendum contendentes, ne iſtis verborum anguſtiis Jura ſua minuerentur, pervicerint. Qvæ omnia Cæſari à Palatino, Saxone atq; Brandeburgio tum objecta, cum Gebhardus Truckſeſſius Archiepiſcopatu Colonienſi, ingenti Imperatoris atq; imperii dedecore, ex Pontificis tantum Decreto movebatur, tanti roboris fuiſſe ajebant, ut Cæſar, reſponſi inops, tanquam ſcopulum ea, Thuano (s) teſte, ſilentio præternavigaverit. Irritum contra Catholicorum laborem eſſe, quo cauſæ ſuæ Juſtitiam iſto Pacis Auguſtanæ articulo (*) adſtruere ſatagant, ubi Præſuli & cujuscunq; dignitatis Clerico, Romana ſacra abjuranti, *Beneficio* abeundi neceſſitas injungatur; cum legis nomine cenſeri non debeat, qvod contra Decreta, communi Ordinum ſuffragio probata, non omniū Procerum conſenſu perlatum fuerit, in ſacris præſertim cauſis, quibus ne plures ſententiæ paucioribus prævalerent, Paſſavienſi Transactione placuerit. Neq; eam Ferdinando Regi poteſtatem fuiſſe, quam ne frater quidem, ipſe ea deſtitutus, in eum conferre potuerit, ut diſſentientibus Proceribus Legem abrogaret, cunctorum ſententia conſtitutam. Et quanqvam Evangelici decorum modeſtiæ ſuæ tum negaverint, modū coërcendæ intra terminos poteſtatis, ab Imperatore acceptæ, Regi præſcribere, mox ta- 1645.

(s) *Thuan. Lib. LXXIIX. ſub fin.* (*) § 18. Und nachdem.

1645. tamen *Reſervato* iſti nunquam ſe conceſſuros, aperto ſermone teſtatos eſſe, diſſenſu ſuo toties repetito, qvoties habitis Comitiis alibive occaſio
17.Febr. tulerit. Ipſum quoque Ferdinandum, memo-
1557. rem ſe ejus fore, ſpem Evangelicis feciſſe, & Maximilianum II. reſponſo quodam Proteſtantibus reddito, negotium hoc inter ea numeraſſe, quæ controverſa adhuc, aliâ transactione indigeant. Qvanqvam extra diſceptationis aleam poſita ipſi exiſtiment, qvæ ,lege rite latâ, nec legitime revocatâ, ſuas vires adepta ſint, nullo hactenus jure, ſola adverſariorum temeratas potius quàm infractas. Æquiſſimum igitur, ut Catholici, *Reſervatum hoc* valere jubentes, tot Electorum, Principum, Comitum, Baronum, atque Nobilium familiis, quorum pietati atque munificentiæ pleræque Cathedrales Eccleſiæ ortus ſuos, ſuasq; divitias debeant, viam ultra præcludere non pertendant, atque Sacramentorum formulas, ſtatutaque earum ad eum modum revocent, qui antiquo mori & Imperii legibus congruat, neve Evangelicæ religionis Præſulibus ſuffragii aliaq; connexa dignitati ſacræ Jura tribuere recuſent, aut quemcunq; dogmatis ſanctioris invidiâ ab honore iſto adipiſcendo depellant, nedum eos ejiciant, quos tenebris aliquandiu im̃erſos clariori luce Numen dignetur; ſed id potius curent, ut receptis in ſacra Collegia, quos injuriâ inde depulerint, & ubi caſus dederit, in demortuorũ locum reſtituendis Evangelicis, ſuũ Legibus robur, Proteſtantibus, honor, adeo-

1645.

adeoq; firmamentum patriæ quieti conſtare queat. Verùm ne iſtis quidem terminis ſubſtitiſſe Pontificiorum iniquitatem, ut Cathedralibus Eccleſiis Evangelicos amoviſſe ſatis haberent; etiam ipſis illorum ditionibus irruptis, Religionis iſthîc curandæ poteſtatem Cæſarum Decreto, (*t*) ipſoque Catholicorum adſenſu legitimam, dubiam facere auſos eſſe, Pace Religionis adeò non infirmatam, ut robur potius ex ea aſſumſerit, ut quâ quibuscunque Imperii terris ſacra poteſtas penes eos maneat, quibus in eos imperiũ ſit. Hoc Jure nixos Proceres, qvibus ritibus publicè Numen colendum ſit, edicere, ſuis legibus regere Eccleſias, & Bona Deo dicata ea ratione adminiſtrare, quam Conditorum voluntati atq; propagandæ divinæ gloriæ maximè idoneam, & loci cujusq; Statui indolive commodam putent. At Catholicos, callidos novi Juris repertores, facultati huic eo prætextu derogare conatos, quod Cœnobia, Eccleſiæ, aliaque ſacra Bona mediatæ, ut vocant, Conditionis, Paſſavienſis Tranſactionis tempore à Pontificiis quocunque modo poſſeſſa, ad priſcam melioris doctrinæ ſinceritatem revocandi Ordinibus Evangelicis, quorum ditione iſta contineantur, Jus faſve non fuerit. Et ne obtentui Jura legesque deeſſe viderentur, Catholicos ipſius Auguſtanæ Pacis articulos (*u*) in

(z) Jus reformandi Cœnobiorum mediatorum (der Mediat-Stifſter.)

 muni-

(t) *R. J. 1541. Declar. Caroli V. 1544.* (u) §. *16* Dargegen ſollen die Stände ꝛc. §. *19*. Dieweil aber etl. §. *20*. Damit auch obberührter. *&* § *ſeqq.* als auch ꝛc.

1645. munimentum cauſæ ſuæ accire, quibus tamen nihil aliud conſtitutum, quam ut penes Ordines, aut Clericos mediatos atq; Monachos, aliò religionis cauſa migrantes; Reditus manerent, quibus tempore dictæ Transactionis gaviſi ſint. Moderato magis ingenio Spirenſis Tribunalis Judices uſos, qui, vulgato jam per Imperium axiomate, de Religione decernendi poteſtatem eorum eſſe rectè cenſentes, quorum imperio locus ſubjiciatur, integram diſceptationem de Bonis Eccleſiaſticis mediatis, poſt Transactionem Paſſavii initam Pontificio cultu purgatis, ad Imperii Comitia diſtulerint. Hinc aliâ via rem aggreſſos Catholicos, cum Spiræ non procederet, Aulæ Cæſareanæ Decretis & funeſto inprimis iſto Ferdinandi Edicto munitos Evangelicos Bonis iſtis exegiſſe ignaros ſæpe, quibus auctoribus injuriam iſtam imputarent, reosq; ſe, ſententiâ tantum atq; rei ſuæ damno expertos. Neceſſarium igitur, ut ſpoliati Evangelici eorum poſſeſſionem recuperent, unde vi injuſtâ & innoxiæ Religionis invidiâ proturbati ſint. Iſtud

(3) Αὐτονομία Subditorum. præterea Pace ſacra ſancitū, ne exilium ſubire cogerentur, qui, Auguſtanā Confeſſionem ſectantes, Catholicis Proceribus ſive naſcendi ſive alia quacunq; ſorte ſubjecti ſint, libero ipſis ſtatuendi arbitrio permiſſo, manere, an perſolutis, quæ regionis urbisve cujusq; uſu legibusve perſolvenda migrantibus indicuntur, mutato domicilio alio abire commodius ducant. Non ſe quidem abnuere, Catholi-

tholicos,nodũ in ſcirpo qværentes,huic migrandi 1645.
manendive libertati mature nimis litem moviſſe;
Ferdinandi tamen oratione admonitos,qua man- 2. Sept.
cam & dimidia ſui parte mutilatam Pacem oſten- 1555.
derat, quæ procerum tantum inter ſe concordiæ
conſulens, excluſis ſubditis, ordines civesque i-
pſorũ internis diſcordiis relinqueret,controver- Declaratio Ferdinandina.
ſiæ hujus arbitrium illi detuliſſe,qui ſubditosPon-
tificiorum,Auguſtanæ Confeſſionis exercitio ha-
ctenus uſos, libertati ſuæ relinqvendos edixerit.
Atqve illud Ferdinandi Decretum, Comitiis Sep- Anno
temviralibus, quibus Maximilianus Imperii dig- 1575.
nitatem acceperit, ſcripto conſignatum, ne ipſos
quidem Eccleſiaſticos Electores negaviſſe, igno-
rantiam tantum,quanquam vanâ excuſatione,rei
qvippe toti Imperio cognitæ, & interpretationes
Pace Religionis vetitas cauſatos, invalido itidem
prætextu, cum futuras ſolum, & ad partis unius
preces extortas declarationes Pacis iſtuis leges
prohibuerint. At iis, extremo in Fvangelicos
odio, iſtorumque, qui illas ſanxerint,contemtu
perruptis, non publico modo cultui, ad antiquæ
ſimplicitatis formam,aut domi tantum obeundo,
à Catholicis ſubditis interdictum, ſed & ſerveris
edictis vetitum, ne vicina loca Religionis cauſa
accederent, neve intra ædes ſacris Lectionibus
carminibusve operam darent; iſtis, qui Dei ſuo
ritu peregre colendi fiduciam ſumſiſſent, aut ani-
mæ curandæ verbi divini miniſtros accerſiviſſent,

1645. iis mulctis pœnisque adfectis, quæ in ſceleſtos, & ſocietatis civilis turbatores ſtatui conſveverint. Quin flagitiis faciliorem veniam, quam Religioni fuiſſe; cujus exempla è proximo Oſnabrugæ adſpiciantur, nullâ tam illuſtris Concilii verecundiâ coercita. Neque religionis ſolum anguſtias paſſos miſeros homines, etiam honoribus muneribusq; civilibus motos, & tantum non infamia notatos fuiſſe. Certe in teſtes ab alterutra partium advocatos, religionis, ignotâ quidem legibus exceptione, tanquam inteſtabiles, foro depulſos, Præconumque verbi divini liberis, legitimo matrimonio ſuſceptis, ſpuriorum loco habitis, non alium ad publica munera aditum patuiſſe, quàm ut, Natalium veniam petentes, Parentes ſuos ſtupri damnarent, & à Magiſtratu demum exorarent, quod à juſto thoro jam à primo conceptionis momento habuerant. Nec in vivorum calamitatibus deſiiſſe hoc odium, etiam ultra fata in defunctos ſæpe porrectum, quibus, exutâ humanæ conditionis memoriâ, ſepulturam negaverint, quam ne hoſtis quidem hoſti invideat. Ceterum, ne flebilem quidem migrandi gratiam integram paſſos Catholicos, modos reperiſſe, quibus beneficium ejus eluderent, præfixo abituris eo vendendi ſua temporis ſpatio, quo commodum emtorem invenire neqviverint, ut ita illo effluxo ultra ibi morari prohibiti, ne omni pretio carerent, viliſſimo vendere tandem cogeren-

rentur, quamvis ab iniquiſſimis ſibi Tribunalibus 1645.
ne id quidem, aut ſaltem magno labore ſumtuq;,
nectente moràs non debitore magis quam Judice,
obtinuerint. Et quoties pecunias iſtas, variarum
cauſarum obtentu, fiſco addictas? quoties heredi-
tatibus ſubmotos, quas ipſa parentum vota & na-
turalis in liberos caritas, aut ratio miſerationis,
cognative ſangvinis favor, vel ſupremæ denique
voluntatis religio ipſis detulerat; quanquam mi-
tiori injuriâ, ſi cum ea compáretur, qua liberos ſu-
os, cariſſima vitæ ſuæ pignora, in triſtiſſimâ Pon-
tificiæ ſuperſtitionis ſervitutẽ abreptos, multi Pa-
rentes doluerint. Quibusdam etiam locis ne abire
quidem ſubjectis indultum, ad ſacra Romana ſu-
ſcipienda non argumentis, ſed carcerum terrore
minarumq; metu adactis, nunquamq; ſe ea deſer-
turos, horrendis execrationibus ſacramentisq; de-
vinctis. Atq; iſta quidem non *Territorii* modo, ſed
& *meri mixtiq; Imperii*, imo etiam *Communionis
Retentionisve* titulis exercita. Emendandis igitur,
quibus nimio infenſi in immeritos animi impetu
peccatum fuerit, reddenda expulſis civibꝰ Bona,
libertatem divini Cultus, pactorum aut diuturni
temporis beneficio partam, revocandam, reliquis
nova conceſſione tribuendã, neminem dignitate,
muneribus, ſolo Religionis, quod hactenus finxe- Ab An-
rint, crimine prohibendum, & Palatini præſertim no 1615,
Sulzbacenſis Auguſti Chriſtiani filios eum in ſtatũ ad 1627.
reponendos, quo ceſſas ſibi hereditarias Præfectu-

1645. ras Pater Patruusque Johannes Fridericus tenuerint. Illud præterea juſtam queſtibus cauſam, & medendi neceſſitatem ſuppetere, quod debiti ex Catholicorum terris Evangelicis Monaſteriis, aliisve ſacris ædibus reditus negati hactenus, & pecuniæ ex Proteſtantium Provinciis, Eccleſiis, Scholis, aliisque piis uſibus dedicatæ, etiam in Evangelicorum apud Pontificios degentium utilitatem impendendæ, nemini iſtorum obveniant, familiari præſertim Imperii Urbibus utriq; Religioni addictis malo, Auguſtanorum, Weiſſenburgenſium, Biberacenorum, Dinkelſpielenſium, Kaufbyrenſium, Ravensburgiorum, & Lindavienſium qverelis vulgato. Jurisdictionem etiam Eccleſiaſticam & Papalia Jura, Auguſtana Pace ſuſpenſa, in uſum revocata, Proceribus Evangelicis ſubditos in connubiorum ſimilibusq; cauſis ad Eccleſiaſtica Catholicorum tribunalia tractos, Evangelicos his ſubjectos ad novos Faſtos, magno cum feriarum feſtorumq; dierum turbamento, accipiendos coactos, eoque temeritatis à Nunciis Apoſtolicis proceſſum, ut Præſules Proteſtantes edictis propoſitis citare non erubuerint, ſententiam, qva Beneficiis ſuis privandi pronunciarentur, audituros; aliaq; à Pontificibus Romanis uſurpata, ne antiquis quidem temporibus, quibus Papam tota Germania adoraverit, conceſſa, nedum Evangelicis, poſt Pacem maximè de Religione ſancitam, toleranda. Imò tanto adverſus pacem iſtam affectu perruptos Catho-

(4) Reditus ſacri ex alieno Territorio pendendi.

Jurisdictio Eccleſiaſtica.

(6) Scripta Paci Rel. adverſa.

Catholicos,ut ne publicis qvidem ſcriptis eam in- 1645.
ceſſere pudori habuerint,qvæ inter *Burchardi Avtonomiam & Dillingenſium JCtorum de Compoſitione Pacis* librum præ ceteris infeſta, ſi non ipſam quietem,quietis ſaltem ſecuritatem Germaniæ excuſſiſſe dicebant. Qvæ enim duraturæ pacis fiducia, ubi tempori tantum, rerumq; neceſſitati eam datam; ſupra Cæſaris Procerumq; poteſtatem fuiſſe,de ſacris bonis diſponere,extra hominum qvippe commercia poſitis; aliaq; non melioris ſenſus, mutuæq; civium concordiæ tantis impendiis partæ contraria, in vulgus edita, applauſu laudibusq; ceterorum excepta, aut ſilentio ſaltem probata ſint? Eſſe quidem apud Catholicos, qui Paci iſti perpetuæ legis virtutem non denegent, quam tamen aliis artibus, & majori modeſtiæ ſpecie, infenſius infregerint, importunis falſisqve precibus Evangelicis perniciem moliti, eisque ſingulis primùm lites intentantes, quas iſti motas ſibi fuiſſe ex ſententiæ executione demum perceperint; donec tandem univerſos uno Decreto percelli utilius rati, Edictum illud à defuncto Ferdinando impetraverint, quo non noxio minus qvàm novo exemplo, inauditis Evangelicis, neq; omnibus ex Catholicorum ordine rogatis, eam pacis illius ſanctio interpretationem acceperit, ex qua non niſi infida quies, aut infauſtum bellum ſperari debuerat. Miſſos mox, qui injuſte decreta armis exſequerentur, nullis Evangelicorum obteſtationibus

Edictū Ferdinandinum. Anno 1629.

nibus

1645. nibus precibusve inhibenda. Atq; ex iſto fonte tot annorum lacrumas, tot humani ſangvinis rivos fluxiſſe. Hiſce igitur aliisque moleſtiis ob Religionem hucusq; affectos remedium merito flagitare, quod à Pontificiis impetratum iri eo facilius ſibi perſvadeant, quod æquitati innixa poſtulata hæc inficiari non poſſint, quibus ſincerus patriæ tranqvillitatis amor pectus inſederit, quæ, iſtis non ſublatis, nunquam tuta cenſeri queat.

Gravamina Politico-Ecclesiaſtica.

LXXI. Poſthæc in alios qveſtus effuſi, atq; civili etiam libertati gravia imponi arguentes, Pontificiorum pervicaciam accuſabant, qui in Imperii Conciliis plurium ſuffragiis etiam eos obligari velint, qui ceterorum placitis, quanquam minori numero, contradixerint.

(7) Majora Vota.

Non ſe quidem adeò rerum civilium ignaros, ut neſciant, certis in negotiis, quando ſcilicet de tuenda Imperii Salute, aut etiam Cæſare deligendo, conſultetur, aut ubi duæ Imperii Curiæ in unam ſententiam coëant, majoris partis conſenſum legem facere, quam & reliquos ſequi oporteat. At aliter multò ſe rem habere, ubi de Religione, Tributis, iisve rebus deliberatio ineatur, quibus Ordines in Proteſtantium Catholicorumq; partes diviſi ſint; neq; enim præter damna, pericula, & tandem exitium, iſtos manſurum, ſi horum arbitrio ſalutem dignitatemq; ſubjicere adigantur.

(8) Impar Deputatorū Imp. numerus.

Solennes quoq; Delectorum Conventus (ordinar-Reichs-Deputation) quibus itidem Catholici prævaleant, æquali

qualinumero componi,curamque adhiberi flagi- 1645.
tabant,ne limites ii evagentur, quibus facultatem
ipſorum Imperii Conſtitutiones coërcuerint, &
intacta linqvant, quæ majoribus Comitiis ſervari
mori legive conveniat. Orandam etiam Cæſaris
clementiam, ut promiſſam à Rudolpho II. Urbi (9)
Donaverdæ reſtitutionem, Privilegiis ſuis atque Donaverdæ
libertate, Juſtitiæ nimiis gradibus feſtinantis er- Reſti-
rore,exutæ,exequi jubeat. Deniq; Imperii Tribu- tutio.
nalia incuſabant, in quibus nihil præſidii, qvin (10)
in contrarium verſa,quæ expediendæ firmandæq; Juſtitia
Juſtitiæ Majores repererint; Judicium Aulæ Cæ- publica.
ſareæ imperiale (Käyſerl. Reichs-Hof-Rath)
in primis perſtringentes, à quo hactenus belli mala
per ſævam pacem perpeſſi ſint, Cameræ quoq;
Spirenſis noxias litigantibus moras, & æterna illic
jurgia traducebant, Comitis Saynii exemplum Exem-
referentes, qui litem, à Proavis cum Electore plum
Treviro de dimidia Dynaſtiæ Valenthurenſis diuturni
parte cœptam, & ſententia poſt L. demum annos in Camera
finitam, *Reviſione* tamen à Treviro petita ſuſpen- Imp.
ſam, ſolito Reviſionem flagitantibus Juramento Proceſ-
Calumniæ poſt XXXIX. annos nondũ præſtito, ſus.
adhuc vivere, grandi protractæ Juſtitiæ dolore,
querebatur. Adeo ſcil. lentis cruciatibus Tribunali
iſto litigantes torqueri, ut ſi cum ſumtib9 moleſtiarũ
ratio ineatur, gravius multi putent, ſic vincere,
quã confeſtim damnari, & immani dilatione
pereuntes æmulo ſæpe min9 ſuo, quã adeò prolixæ
æqui-

1645. æquitati iraſci. Quamvis non tam pervicaciæ partium non, fraudibus Advocatorum, neque Judicum malitiæ iſtas fori calamitates, quam multitudini litium imputandas, cui duo Tribunalia ægre ſufficiant. Poſtremum ea perſtringebant, quæ à Dicaſterio aulico Rothvilenſi, Judicio Provinciali in Svevia & Vogteja, uti appellant, vicinis Proceribus intentata publicis horum querelis diu jam innotuerint.

Käyſ. Hofgericht zu Rothweil. Land-Gericht in Schwaben. Land-Vogtey zu Hagenau.

Hiſce igitur fori malis emendandis, & ne tot negotiis ſui Judices deeſſent, duo nova Tribunalia veteribus addi poſcebant, quorum unum Saxonicâ aut Weſtphalica Regione, Franconica alterum ſive Svevica ſtatueretur, ita partienda Jurisdictione, ut Judicium aulicum Imperiale Auſtriaca atque Bavarica Regio, Cameram Spirenſem duæ Rhenanæ cum Burgundicâ maneant, Saxonico in utramque Saxoniam atque Weſtphaliam, & Franconico Svevicove incognomines Regiones Judicium tribuatur; abolitis contra Rothvilenſi, Svevico Provinciali, & Hagenavio Dicaſteriis, Ordinum libertati eorumque ſubditis gravibus. Et qvoniam non certius litigantibus in legibus foroque præſidium, qvàm cum Judex, cunctos æquo Jure complexus, nullo partium amore odiove ducatur, ideoq; ſummæ rei neceſſitati, rationi, æqvitati, ipſa natura commendatæ, Gentium inſtitutis, Paci denique & amicitiæ inter Cives Imperii æqualis dignitatis conditionisque validius

ſtabi-

ſtabiliendæ congruere, ut ſumma iſta Tribunalia 1645.
XII. aut XVI. viris, aut, pro Regionum ſorte, paucioribus pluribusve, cum ceteris Tribunali miniſtrantibus pari Catholicorum & Proteſtantium numero componantur, Germanis parentibus natis, à Regionis cujusq; Proceribus nominandis, & in publicas Imperii & inprimis in ſanciendæ Pacis leges juraturis. Ignominioſum quippe futurum Evangelicis, ſi indigni crederentur, qvi æqva cum Catholicis parte Judiciorum munus obirent. Imperii Cives, quanquam diverſi honoris, ſimili tamen Reip. Jure gaudere; ipſam igitur æquitatem atque Naturæ dictamen expoſcere, ut pari conditione Reip. munia exequantur, quos in partem curarum ipſa ſocietatis æqualitas vocet. *Æqvalitatem enim mutuam ac reciprocam Civitates tueri*, Ariſtotelis (*x*) auctoritate confirmabant, id quoque ejus dictum referentes, *qvo Amicitiam, optimum qvippe averruncandæ ſeditionis remedium, maximum Reip. bonum eſſe*, monuerat. Illud præterea adjiciebant, ut, Judicibus in diverſas ſententias pari utrinque numero abituris, ad Comitia differrentur, quæ in Tribunalibus ita diſſidentibus finem invenire non poſſent. Præcipuâ verò religione ſervandum inculcabant, ne Principum quis Procerumve Imperii dignitate aut bonis ſuis, niſi calatis Comitiis & prævia cauſæ cognitione, cecidiſſe pronunciaretur, vitandis tumul-

(*x*) *2. Polit. 1. c. 2.*

1645. tumultibus, à quibus, hanc ob cauſam exortis, bella iſta civilia originem traxiſſe, ſummo bonorum civium dolore, omniumque detrimento, compertum ſit. Ne tamen Imperatoris Majeſtati obtrectare viderentur, cuncta in Tribunalibus iſtis Cæſaris nomine atq; auſpiciis ex antiqvo more expedjunda monebant, neq; iſtam ei facultatem adımendam, qua Præſides illorum nominare ipſi conceſſum, nedũ eam notionem auferendam, quæ de *Feudis Regalibus*, aliisve Cæſaris Poteſtati ſepoſitis, ſoli tributa ſit; illam tamen rurſus cautionem adhibentes, ne Sécreti (des Geheimen-Raths) multoq; minus Conſcientiæ, ut appellant, Conſilii (Conſcienz-Raths) cenſuram ſubirent, quæ ex Judicii Imperialis aulici Decreto litigii finem ſumſiſſent. Et ut Cæſari perſvaderent, tot Tribunalia eo non ſpectare, ut Majeſtate ſua minueretur, Galliæ atq; Hiſpaniæ exempla memorabant, quibus plura inſtituta Judicia Regio Juri nihil detraherent. Cetera fori incommoda Comitiis ſervanda rati, iſtud ſolum precabantur, ut, ſi non perpetuo beneficio, in tempus ſaltem iis proſpiceretur, qvi ære alieno, & diuturnis belli malis oppreſſi, non Judicum minus ſeveritatẽ, quam Creditorum truculentiam metuant; reperiundâ ratione, ne infenſâ Pace omnino perire neceſſe habeant, qui armorum crudelitatem utcunq; evaſerant.

LXXII. Hæc quanquam Cæſareis æqvè ac ceteris

teris Catholicis ſatis moleſta, compoſito tamen à Trautmansdorfio vultu accepta ſunt. Atque is adverſos Auſtriacæ Domui Proteſtantium animos ſimulata humanitate placari poſſe, nimia credulitate ſibi imponens, operam ſuam pacandis Ordinum diſſidiis prolixe pollicitus, moderata tantum conſilia ſequerentur, rogabat. Moguntinus etiam lætitiam fingere ſuſtinuit, quod remedio locum Evangelici feciſſent, qui morbum indiciis tam apertis monſtraverint; Gratum id Catholicis fore teſtatus, proni in pacem animi, ingenuique candoris argumentum inde ſumturis, inter eos Colonienſem, Auſtrium, Burgundum atq; Herbipolenſem potiſſimo quietis amore commendans. At Sveci Gallique, (hi à Caſſellano atque Colmarienſi eum Proteſtantium libellum acceperant) vero gaudio alacres, non Evangelicorum magis animos, & Cæſari Catholicisque probra ingerendi audentiam, quam ſuam in illis tuendam operam celebrabant; atque queſtus Proteſtantium ſibi vindicaturos, litemque illam absque ipſorum diſpendio ſuam facturos jactitantes, ne quidpiam de Jure ſuo remitterent, hortabantur, ſive gloriæ cupidine, quam ex Evangelicorum rebus ope ſua auctis ſibi captabant, ſive prætextum ducendo bello quærentes, tanquam negato amicorum malis remedio, eorum incolumitatẽ ſocialibus armis procuraturi. Et tentaſſe quidem Cæſareanos ajebant, an ad Comitia remitti ſine-

1645. Quo animo accepta à Cæſareis. Moguntinis. Regiis.

1645. rent Regum Legati Procerum inter ſe controverſias, eo prætextu, ne negotium cum exteris tractatione ſua morarentur. At regnorum ſecuritatem in Germaniæ quiete ponentibus primam curam eſſe, ut fida pace tranſigantur, quæ Imperio noxia, ſuſpecta vicinis, iſtas bellorum calamitates acciverint. Et, ut certior fides affectus ſui Evangelicis fieret, ſibi cum Oxenſtiernio conveniſſe Longavillanus dicebat, ne Procerum Germaniæ res ad aliam diſquiſitionem differri, aut Conventu hoc abſtrahi paterentur. Trautmansdorfium ſcindendis Regum atque Procerum animis de eo primum agendum cenſuiſſe, qua ratione Reges propitiari poſſent, ſpe inductum, ubi deſideria horum explevíſſet, neglecturos hos inanem tuendæ libertatis Germanicæ gloriam, quo poſtea deſtituti externorum auxilio Proceres ſolius Cæſaris arbitrium ſpectare cogerentur. At conſtantiori animo horum cauſam Reges ſuſcepiſſe, quam ut quibuscunque utilitatum illecebris avelli queant, certis conſilii, Pacis conditiones ordine pertractare, quo primum eas conſcripſerant, neque cum Cæſareanis ulla in pacta prius convenire, quam Procerum de iis ſententiam ſuffragiumque rogaverint.

LIB. III.

SUMMARIA.

1. Reſponſum & Gravamina Catholicorum.

2. De-

2. *Deliberationes Principum Collegii ſuper Propoſ. reg. & reſponſo Caſareorum, & quidem*
3. *De eo, an Gallorum & Svecorum bellum contra Imperium?*
4. *An contra Hiſpanum?*
5. *De Tractatibus Schœnbekianis.*
6. *Amneſtia Pragenſis, Ratisbonenſis, emendata.*
7. *Approbata à Catholicis.*
8. *Secus ab Evangelicis.*
9. *De Fœderibus Ordinum Imp. cum Exteris.*
10. *De Hiſpano Paci Germanicæ innectendo.*
11. 12. *De cauſa Lotharingica; ubi de Caroli Lotharingi conſiliis, actionibus, &c.*
13. *De electione Regis Rom.*
14. *Præſertim vivo Imperatore.*
15. 16. 17. *De ſatisfactione Svecica.*
18. 19. *Gallica.*
20. 21. *Caſſallana.*
22. *Digreſſio de origine Controverſiæ Caſſellano-Darmſtadinæ.*
23. *Monaſterienſium conſultatio & ſententia de iſtâ ſatisf. Caſſellana.*
24. *Tractatus Gravaminum.*
25. *Propoſita ab Evangelicis Media circa (1) Reſervatum Eccleſiaſticum.*
26. *Oblata Svecis.*
27. *Cæſareis.*
28. *Media Evangelicorum, circa (2) Bona Eccleſia-*

ſtica mediata; (3) Avtonomiam ſubditorum, &
(4) Reditus ex alieno Territorio.

29. *Catholicorum Media* (Gegen-Vorſchläge) *circa eadem; ut & ratione Jurisdictionis Eccleſiaſticæ.*

30. *Communicata Evangelicis.*

31. *Conſultatio de auxilio ab Imperatore Hiſpano contra Gallum ferendo.*

32. *Circa Punctum Aſſecurationis Pacis; ubi*

33. *De mutuo fœdere pro conſervanda Pace, à Gallis propoſito.*

34. *De liberatione Eduardi Bragantini.*

35. *Evangelicorum Gravamina Politica; (1) Comitiorum intermisſio. (2) Defectus Matriculæ, & militaris Diſciplinæ. (3) Electorum nimia poteſtas in Capitulatione Cæſarea formanda; Conventibus Electoralibus. (4) Delectorum Imp. Conventu & affectato Excellentiæ Titulo. (5) Voti Civitatum Imp. impugnatio. (6) Exemtiones illegitimæ. (7) Collationes Dignitatum in immeritos.*

36. *Electoralium Secundariorum Præcedentia præ Principum Legatis.*

37. *Catholici Svecorum operam in componendis mutuis Gravaminibus exquirunt. Evangelicorum ea de re ſententia.*

38. *Svecorum; Catholicorum medium de temporaria ſacrorum Bonorum poſſesſione aliquatenus probantium; minori aſſenſu Evangelicorum.*

39. *Tra-*

39. 40. Tractatio Oſnabrugæ cum Monaſterienſibus inſtituta.

41. Lis de objecto Tractationis, an ſcil. Evangelicorum, an Pontificiorum Media pro eo habenda. Evangelicorum Argumenta.

42. Pontificiorum. Et de tollenda hac Lite conſilium.

43. Ab Evangelicis acceptum.

44. Horum ad removendam Transactionem temporariam conatus.

45. Tractatio inter Pontificios & Evangelicos reaſſumpta; & horum Præmonita.

46. Reſponſum Catholicorum ad ea.

47. Remedia Gravaminum ab Evangelicis rurſum propoſita.

48. Cæſareanorum eam in rem conſilium.

49. Pontificiorum de iis ſententia; & oblata alia media, ratione Bonorum Eccleſiaſticorum.

50. Ab Evangelicis itidem rejecta. Conventio de negotio per Cæſareos ac Svecos tractando.

51. SCtum Electorale in Propoſitiones Pacis.

52. Civitatum Imp.

53. Curiarum Conſulta de propoſ. Pac. Cæſareis exhibita. Horum Duplica ad Svecorum Replicam; de ſalvo Conductu pro Luſitanis; Cauſis belli Svecici; Bellum Svecorum an contra Imperium? Hiſpanum? Ad Claſſ. 1. de Amneſtia. Juribus Statuum. Gravaminibus. Reformatis. Commerciis. Ad Claſſ. 2. de ſatisfactione Svecica.

N 3 Haſſia-

Haſſiaca. Militia. Ad Cl. 3. de auxilio Svecis à Gallo, & Hiſpanis à Cæſare non ferendo; & liberatione Bragantini.

54. *Duplica ad Replicam Gallorum; in ſpecie de Pace inter Hiſpanos & Gallos; Lotharingo; Electione Regis Romani; ſatisfactione Gallica.*

55. *Projectum inſtrumenti Pacis, Trautmansdorfii.*

56. *Svecorum & cæterorum Evangelicorum de eo ſententia.*

57.58. *Evangelici diviſi in Zelotas;*

59. *Remiſſos.*

60. *Et Medios, malè ideo à Zelotis habitos.*

62. *Trautmansdorfii conſilium de componendis Gravaminibus; à Proteſtantibus neglectum.*

63. *Gallorum.*

64. *Itidem ab Evangelicis rejectum.*

65. Der Cathol. Hauptſächliche Erklärung über die Religions-*Gravamina.*

66. Der Evangeliſ. fernere Gegen-Erklärungs-Puncten.

67. Der Catholiſ. weitere und endliche *Compoſitions*-Vorſchläge.

68. *Non omnibus Catholicis probata.*

69. *Satisfactio Regum. Cæſareorum de ea conſilia.*

70. *Satisfactio Gallica. Bavari in eam rem conſilium.*

71. *A Cæſareis acceptum, primò id diſſimulantibus.*

72. *Cæſareorum oblatio.*
73. *Spreta à Gallis. Ab Auſtriacis adjectis conditionibus reſtricta.*
74. *Gallorum ad eos Declaratio.*
75. *Cæſareorum oblatio erga Svecos.*
76. *Brandenburgiorum ob Pomeraniam oblatam querimonia.*
77. *Evangelicorum interceſſio apud Svecos, & de ipſa re ſententia.*
78. *Interceſſio iterata.*
79. *Judicia quorundam ex ipsâ domo Brandenb. pro Svecis.*
80. *Poſtulata Caſſellana, etiam Evangelicis improbata.*
81. *Publica de iis conſultatio.*
82. 83. *Cauſa Palatina. Judicia de Palatini proſcriptione; Evangelicorum.*
84. *Brandenburgiorum poſtulata pro Palatino.*
85. *Acre Bavari reſponſum.*
86. *Evangelicorum cura in cauſa hac componenda.*
87. *Rationes componendæ ei allatæ.*
88. *A Palatinis rejecta. Svecorum conſilium de alternatione Electoratus; ſpretum à Bavaro.*
89. *Palatinorum Queſtus & Poſtulata.*
90. *Bavaricorum ad ea reſponſum.*
91. *Simultas Auſtriacorum & Bavarorum; & iſtorum contra Bavarum conſilia & conatus.*
92. *Evangelicorum deliberatio ſuper noviſſimis*

Pontificiorum conditionibus. Magdeburgiorum Zelus in impugnando Reſervato Eccleſiaſtico.

93. *A ceteris Evangelicis non omnino probatus. Eorum ſententia pro Avtonomia.*

94. *Colloquium Evangelicorum Monaſterienſium atque Oſnabrugenſium Lengericam indictum; eorum diſſidio ſuſpenſum.*

95. *Inſidioſa Cæſareorum Quæſtio, Evangelicis de ſatisfactione militis propoſita; ab Evangelicis alio aſtu eluſa.*

96. *Conventus Lengeranus Evangelicorum.* Der Evangel. endliche Gegen-Erklärung.

97. *Controverſia Urbium. Imp. cum Nobilitate immediata de Præcedentia. Nobilium Argumenta. Urbium. Medium compoſitionis.*

98. *Declaratio Evangelicarum exhibita Cæſareis.*

99. *Catholicis; in diverſas ſententias ſciſſis. Bavaricorum oblatio erga Evangelicos.*

100. Der Cathol. Bedencken/ *ſuper dicta Declaratione.*

101. *Evangelicis per Cæſareos ſignificata.*

102. *Evangelicorum inde indignatio.*

103. *Et ad Coronas refugium.*

104. *Judicia de Pontificiorum duritie.*

105. *Eorum auctus animus, unde.*

106. *Saxonicorum Electoralium Media in P. Gravaminum. Evangelicis Oſnabrugenſibus ſumme improbata; ſecus à Monaſterienſibus.*

107. No-

107. *Nova lis de Loco atque ordine tractandorum Gravaminum mutandis, atq; excludendis indè Svecis.*

108. *Cæſareorum eam in rem hortamenta erga Evangelicos Monaſterienſes.*

109. *Horum aſſenſus, & Svecorum inde atque Osnabrugenſium indignatio.*

110. *Conventus Saxonicorum in pago Lengerich.*

111. *Tractatio de Gravaminibus Monaſterii ſuſcepta.*

112. *Inter Deputatos utriusque partis. Alia inter Cæſareos, Svecos, & Proteſtantes.*

113. *Ab Oxenſtiernio turba.*

114. *Nova Catholicorum oblatio. Proteſtantibus non ſatis grata.*

115. *Recompenſatio pro Pomerania à Brandeburgiis poſtulata; ab ipſis Evangelicis improbata.*

116. *Svecorum agendi hac in re ratio; Evangelicis moleſta, ſuſpectaque.*

117. *Nova Svecorum Poſtulata. Cæſareorum in plerisque adſenſus.*

118. *Queſtus Brandenburgiorum.*

119. *Friderici Holſati, ob Archiepiſcopatum Brema Svecis cedendum.*

120. *Poloni interceſſio ratione Pomeraniæ.*

121. *Brandeburgiorum vehementia. Ablegatorum Provinciæ Pomeranæ conſilium; nemini probatum.*

122. *Legati à Cæſareis & Gallis ad Brandenburgium*

gium perſvadendum miſſi. Galli oblatio.
123. *Electoris reſponſum. Gallo. Ablegatis Electora-lium.*
124. *Cæſareorum.*

1646. I.

Reſponſum & Gravamina Catholicorũ, ratione init. Febr.

(1) Reſervati Eccleſiaſtici.

RESponſum ad Evangelicorum querelas poſt aliquot hebdomadum cunctationem à Moguntino, Culmbacenſi atq; Wirtembergio exhibitum, & per hos Oſnabrugenſibꝰ allatum, omnium (y) in ſe animos atq; curam convertit. Eo, quod ſolenne horum ſcriptorum procemium eſt; à cauſæ ſuæ juſtitia & acceptis à Proteſtantibus injuriis *generali* ſermone exorſi, manifeſti ſibi certique Juris ſemper fuiſſe ajebant, omni Eccleſiaſtica dignitate eos excidere, qui vota Ordini ſacro ſolennia egreſſi retinere non poſſint; quæ non alio, quã Conditionis Eccleſiaſticæ titulo, habuiſſe nemo diſſiteatur. Idq; minus dubium eſſe, poſtquam etiam Auguſtana (z) Pace approbatum majus inde firmamentum acceperit. Neque Epiſcopo, aut cuicunque alii quidquam prodeſſe, ſi integrum Collegium (*Capitulum*) majoremve ejus partem ſive ad commodandum aſſenſum, ſive etiam Religioné novam amplectendam, pertraxerit. Æquè enim ex ſacræ (*a*) Pacis formula dignitate bonisque ſacris demoveri, ſive unus

(y) *Lundorp. d. Lib. e. 117.* (z) *Relig.* Fried. §. 18. und nachdem bey Vergleichung. (a) *d. §. verb.* Wo der Geiſtl. einer oder mehr.

unus ſive plures ab antiqvo cultu deſecerint. 1646.
Eandem qvoq; unum pluresve prohibendi rationem pari Jure cunctos complecti, *Incapacitatem nempe*, verba ipſa refero, *talium Poſſeſſorum quoad Beneficia Eccleſiaſtica, ex Jure divino, Fundatorum Diſpoſitionibus, generalibus Eccleſiæ Catholicæ nec non Imperalibus Conſtituionibus, & noviſſimis Statuum Imperii Anno MD LV. Conſtitutis atq; juratis fœderibus profectam.* Præterea eam Epiſcopo Collegiove poteſtatem non eſſe, ut univerſo ſacro Ordini pactis activsve ſuis qvidpiam adimere qveant, qvibus ſcil. non proprietatem ſacri Patrimonii, ſed adminiſtrandi tantum munus Eccleſiæ leges detulerint. Quanqvam nullo exemplo probari poſſit, primis temporibus uſurpati ab Evangelicis Eccleſiaſtici honoris, à toto aliqvo Collegio in Evangelici cujusquam electionem conſenſum, aut in diverſam Religionẽ diſceſſum eſſe. Ad iſtam qvippe mutationem verſutiâ, & ubi iſta nihil proficiebat, armis, ad Truckſeſſii Colonienſis exemplum, aut iis etiam artibus graſſatos Proteſtantes, quas in *Mediatis* Eccleſiæ bonis ſibi capiendis uſurpaſſe, Catholici jamdiu (*b*) conqueſti ſint. Fuiſſe quoq; Evangelicos, (inter hos Chriſtianum Brunſvicenſẽ, ut ſuo loco referemꝰ, Trautmansdorfiꝰ poſtea recenſuit.) qui aditu ad Epiſcopales ſimilesq; honores ſibi parando, Fundationes Epiſcopatuũ, Statuta,

(b) *Rec. Imp. 1530. §.* und dieweil ſeithero.

1646. tuta, Conſvetudines, ſacroſq; Canones debita cum veneratione habituros, cum eligebantur, aut Collegiis cooptabantur, fide Principibus, Comitibus, Nobilibusve congruâ, (bey Fürſtl. Gräfl. Adel. Worten) datâ atq; Juramentis confirmatâ, ſpoponderint; alios turpiori dolo, ſimulatâ ſcil. Religionis profeſſione, & ſuſceptis *Subdiaconatûs* aliisque *minoribus Ordinibus* honores ſacros invaſiſſe, iisq; potitos, cultu, quem mentiti fuerant, abjecto, etiam ditione antiqua ſacrâ pepuliſſe, quorũ obtentu eam intraverant. Neq; novis legibꝰ formulisve Sacramentorum opus Catholicis fuiſſe, cum ex vetuſto Eccleſiæ more non alius ſacro muneri aptus habeatur, quam qui probatam ei Religionem ſequatur; neq; etiam ad Evangelicorũ curam ſpectare, quibus modis Catholici Eccleſiæ ſuæ Bonis provideant, quam ſuam non eſſe Avi ipſorum Cæſari (*c*) olim ipſi confeſſi ſint.

Contra graviſſimum ſibi eveniſſe, quod Evangelici artibus iſtis bona Eccleſiæ ingreſſi atque illis frui non contenti, niſi Catholicos illorum communione ejeciſſent, nova Statuta & Juramenta inſolitis verbis concepta condere anniſi fuerint, ut Catholicis ad iſta viam præcluderent, quos legi-

(c) *A. 1555. Declar. ult. Evang. §.* Gleicher Geſtalt. *verb.* wollen Ihr Chur- und Fürſtl. Gnn. ſich der Geiſtl. Chur- und Fürſten Satzung und Ordnungen/ ſo ſie ihrer/ oder auch ihrer Geiſtl. Güter Stands Weſens halber aufrichten/ nicht anmaſſen noch anfechten laſſen.

legitime nominatos, iiſque omnibus inſtructos, qvæ priſcæ Conſtitutiones depoſcant, ſæpiſſime Beneficiis excluſos fuiſſe, multis nimium exemplis (*d*) cognitum ſit. Nullam ex adverſo Evangelicis injuriam fieri, ſi *Regalia* ipſis atque ſuffragii in Comitiis Jura denegentur, priſco Germaniæ uſu nemini unquam tributa, qui non legitimam ſui Electionem atque Confirmationem juſtis documentis probaverit. Nihil etiam Proteſtantibus opis in (*e*) Imperii, ad qvas proclamaverint, Conſtitutionibus poſitũ eſſe, aut contraria, quam iſti ferant, ſancientibus, aut poſteriori lege, Pacis ſcil. Auguſtanæ, abrogatis. Neq; ex iſto Pacis illius articulo, quo Evangelicorum ſecuritati proſpectum eſt, cauſæ ipſorum validius argumentum adduci; eum qvippe contra Cæſaris, ceterorumque Catholicorum mentem atque ultra quam deceat trahi, inde ſatis apparere, quod huic Proteſtantium Poſtulato *expreſſo Reſervato* iſti contradixerint, ut adeò neque legis vim, neque contractus indeptum ſit, quod tam claro diſſenſu, maxima Comitiorum portio improbaverit. Et verò nullam Evangelicis Præſulibus infamiam irrogari, ſi Epiſcopatu moveantur, ne iſtis quidẽ retinere permiſſo, qui, quanquã antiquæ religionis 1646.

(d) *Vid. Caraffa Germ, ſacr. reſtaur. p. 58. de Canonicis Halberſtadienſibus.* (e) *R. J. 1544.* §. Doch ſollen ꝛc. §. und ſoll alles. *Pac. Relig.* §. und damit ſolcher Fried *&c.*

1646. nis retinentes, cœlibatus veniam impetrent, quibus cum ſacris bonis muniisque honeſti nominis fama non auferatur. Nec Religionis libertatem cuipiam imminui, quòd ob projectam Romanæ Eccleſiæ reverentiam Præſulatu Collegiove abire cogatur, cum quamvis hæc amittentibus placita tamen ſacra ſectari liberum; nec peccare cenſendus ſit, ſi quis Aug. Confeſſioni addictus Epiſcopatum non poſſideat, cui habendo nullius Religionis legibus quisquam obſtringatur. In cauſa Truckſeſſii de damno ſolùm vitando & intra defenſionis terminos certaſſe Catholicos, de quorum ſalute actum fuerat, ſi admiſſo ſemel in Electoratu ſacro exemplo, etiam præter Pontificios alios Epiſcopos fieri poſſe, vulgatum fuiſſet. Neque Rudolpho Imperatori, quæ Septemviris Evangelicis reſponderet, defuiſſe, Auctorum (*f*) fide probari poſſe. Præterea inique nimium ab Evangelicis impugnari, cui aſſenſum (*g*) ipſi eorum Parentes tribuerint, Reſervatum hoc admiſſuros profeſſi, ſi Jurisdictione Eccleſiaſticâ in Evangelicos Catholici cederent, quæ conditio ab his impleta, promiſſorum conſtantiæ etiam iſtos adſtringat, nî Pacem aboleri velint, cujus violandæ exemplum ipſi initiumq; feciſſent. Quin etiam Ferdinandi arbitrio litem hanc commiſiſſe Proteſtan-

(f) *Vid. Thuan. Lib. LXXIIX. ſub fin. ubi de Archiepiſcopis Colonienſibus à Pontificibus depoſitis.* (g) Erkl. *dat.* Wien *20. Febr. A. 1588.*

ſtantes, exinde clarum eſſe, qvod (h) indecorum 1646.
ſibi rati, certis limitibus facultatem ipſius cohibere; iis tantum verbis rem temperari rogaverint, Anno
qvibus Conſcientiæ ſuæ conſuli poſſe exiſtima- 1576.
verant. Summam qvoqve Cæſaris atque Imperii Poteſtatem non rectè in dubiū ab iis vocari, qui, ſupplicibus qvondam ad Maximilianum literis malis ſuis medelam orantes, decernendi arbitriū etiam præter partium aſſenſum, ei aſſeruerint. Galliæ qvoq; Poloniæ aliorumq; Regnorum atqueRerump. experientiâ monſtrari, non protinus ad ſacros honores iter patere, qvibus ſuo ingenio Deum colere conceſſum ſit; qvin nec Parochum Evangelicos in terris Eccleſiisque ſuis paſſuros, qui, Auguſtana Confeſſione deſertâ, Romano ritu Numen celebrare inſtituat. Non aliter igitur Juſtitiæ Pacisq; integritati conſuli poſſe, niſi Epiſcopatus Catholicis à Proteſtantibus reddantur, maxima illorum injuria, legum contemptu, & patriæ qvietis turbamine uſurpatos.

At non majori modeſtiâ à Bonis ſacris propriarum ditionum abſtinuiſſe, qui ab *immediata* conditionis Eccleſiis manum continere neqviverint: quanquam non his magis quam illis pluriumCo-mitiorum (i) ipſiusq; Pacis Religionis ſanctione munitis, Evangelicis eorum tantum Bonorum ſer-

(2) Bonorū Sacrorum Mediatorum.

(h) *Declar. Evang.* §. da aber E. Kön. Maj. (i) *R. J. Ratisb.* 1541. §. 26. und damit im H. Reich. *Spir.* 1544. §. 83. doch ſoll §. * 15. und damit.

1646. ſervandorum licentiam indulgentis, quæ Transactionis Paſſavicæ tempore ſacro jam ordini extorta poſſederint. Et quam abſurdum fore, ſubditis, Religonis ſive conſtantia ſive obſtinatione domicilium mutantibus, ſua vendendi facultatem conceſſam, ſacris hominibus denegatam velle, in qvos prolixiora privilegia ipſa Numinis, cui devoti ſint, veneratio, gentium etiam barbararũ religio, & Chriſtianorum præſertim Principum pietas ab omni ſeculorum antiqvitate contulerit. Et quo colore Bona iſta à Principibus ceterisve Proceribus vindicari poſſe, ab illis pleraq;, quã à Majoribꝰ illorũ profecta, aut induſtriâ rei domeſticæ benè curatæ adaucta? In ignominiam ſuam trahere Evangelicos, *Religionem ipſorum pro Dominii amittendi Modo haberi*, at qvanto major iſta cenſenda ſit, qua Bonis ſuis priſco Jure poſſeſſis Pontificii exturbentur, facilè æſtimaturum, ſi quis advertere velit, quam diſſimilia ſint, exutâ, qua quis nitebatur, conditione, privari beneficio, quod nõ niſi intuitu ejus habuerat; & retenta illa, ideo quod eã ejurare recuſet, rei ſuæ jactura mulctari. Reſtituenda ergo damna, nimia alieni cupiditate illata, in Urbibus præſertim Imperii, quibꝰ contra Evangelicorum regulam in Religionis negotio majoris partis ſuffragiis pauciores obligari negantium, Catholicis etiam numero ſuperioribus maxime nocitum ſit. Nobilium qvoq; ordinẽ, non niſi Cæſaris juſſa ſpectantium (der freye Reichs-

Adel)

Adel) Privilegii terminos egreſſum, Religonem 1646.
pagis ſuis imperare auſum, cujus domi ſolùm exercendæ beneficium Pax Auguſtana conceſſerit, cum è contrario non ſubditi tantum Nobilium Catholicorum, eadem Imperii libertate inſignium, ſed ipſi Nobiles quoque, in Palatino præſertim Comitatu, partim ſuis ſacris prohibiti, partim ad aliena novaque ſuſcipiunda vi metuque adacti ſint, quorum malorum finem ab hac quoque Pace expectent.

Illud verò, quod Evangelicis, Catholicis (3)
Proceribus ſubjectis, Religionis libertatem ex Autonomiæ.
Ferdinandi Decreto deberi afferatur, publica Actorum veritate refelli. Proteſtantes quippe, ſub- 21. Jun.
ditis in univerſum primum, dein Nobilibus tan- 1555.
tum atque Anſeaticis aliisq; Urbibus credendi licentiam dari precatos, & poſtquam id abnuerat Cæſar, ad priora petita relapſos, ſimile prioribus reſponſum tuliſſe, ad cujus ſenſum mox non niſi Imperii Proceribus iſta Religionis Auguſtanæ facultas permanſerit, Decreto Ferdinandino, quod Proteſtantes obtendant, non iſto tantũ, ſed & longo ſatis poſt Pacem conſtitutam tempore, alto ſilentio obruto, cujus nomen emenſis inde quatuor fere luſtris demum innotuerit, à Palatinis Electoralibus Comitiis, creando Cæſari ha- Anno
bitis, primum vulgatum, ut legibus eligendo Im- 1575.
peratori ferendis annecteretur; at ſpretum à Septemviris Eccleſiaſticis, qui nulla Actorum fide

1646. Decretum illud probari, cauſati, Palatinorum poſtulatis obniſi ſint. Proximo poſt hæc anno Ev-
Anno angelicos Cæſarem repetitis precibus aggreſſos,
1576. ut Eichsfeldenſibus Moguntino parentibus, tum Fuldenſis Abbatis, aliisq; Catholicorum ſubditis ad Auguſtani dogmatis regulam vivere permitteretur; at intereeſſiſſe petitioni Catholicos, multis cum queſtibus, Optimates, Auguſtanæ Confeſſioni addictos, homines, Pontificiorum ditioni obnoxios, non ad Romanæ Eccleſiæ cultum ſolum, ſed & civile obſeqvium abjiciendum ſvaſu, promiſſis, & profeſſis ſecretisq; auxiliis invitaſſe, eo majori iniquitate, quod Catholici, res ſuas ſibi habere Evangelicis permittentes, quibus legibus terras iſti ſuas aut Eccleſias habeant, nullam ratio-
25. Aug. nem expoſcant. Et qvanqvam Imperatoris Re-
1576. ſcriptum, Paci Religionis ſe inhæſurum pronunciantis, minus ſibi placere oſtenderint Proteſtantes,
24 Sept. minas quoq; denegandi contra Turcas ſubſidii im-
10. Oct. plicito tum morbo Imperatori, & brevi morituro intentantes, ni flagitatis annueret, conſtantem tamen propoſiti Maximilianum muneri ſuo conveniens negaviſſe, ultra Beneficia Pace conceſſa quid largiri, culpa deſertæ proditæq; Barbaris Patriæ in iſtos rejectâ, qui Orbis Chriſtiani ſaluti privatas rationes præhabuerint. Et verò Pacem Religionis, inter Cæſarem tantũ atq; Imperii Ordines contractã, ad ſubditos non pertinere, non uno (*i*) argu-

(i) *Replic. 30. Aug. 1555.* §. dergleichen Religion-Frieden.

argumento conſtare. Ferdinandum certe voca- 1646.
bulo *Statui*, *Imperii* vocem ideo addendam cenſuiſſe, ne eo alii abuterentur ſub Provincialium Statuum (Land-Stände) nomine in beneficii illius communionem alioquin irrepturi, omnem 3. Apr.
pacis conficiundæ operam potius poſiturum ſe te- d. ann.
ſtatum, quam ut Proceribus ſubjectos eo comprehendi admitteret. Quin ipſos Evangelicos libello (*k*) quodam, levamentum moleſtiis, quas toleraſſe præferebant, precatos, ideo mutandæ Religionis facultatem in Monaſteriis aliisque Catholicorum ſacri Ordinis Principum Bonis ſuis in terris ſibi arrogaſſe, quod non Imperii Ordinum ea, ſed Provincialium atq; ſubditorum conditione haberentur. Imperii etiam Civitates, & præ Anno
reliquis Ulmam atq; Northuſium, iis, qui ad com- 1573.
ponenda exorta apud ſe hac in re diſſidia à Cæſare miſſi fuerant, deſideria ſua hoc obtentu commendaſſe, quod, negatâ ſubditis credendi licentiâ, non, niſi migrandi venia data ſit; iſtamq; non promiſcua largitione in omnes profuſam vel inde apparere, quod Equeſtri Ordini, atque Urbibus, ſoli Cæſari obſequium debentibus, proprio Tractatu eam impetrare neceſſum fuerit. Fuiſſe quidem ex Catholicis Proceribus, qui ſubditis ſibi non Religionis tantum libertatem, ſed & publicum cultum indulſerint, amori popularium firmando, & validiſſimum ſperantes, quo obedientes gau-

O 2 derent,

(k) *Gravam. Anno* 1559 §. wiewol nun ſolcher.

1646. derent, imperium; at non aliud moderatione iſta, quàm ſibi ſuisque detrimentum, & ſupremi excidii metum, atque illis reverentiæ in Principes exuendæ audaciam peperiſſe; inſveto Catholicis facinore, quos, quamvis adductius ab Evangelicis regnatos, obſequii unquam dememiniſſe, nullo exemplo auditum ſit. Non tamen ideo minus proſcriptam Romanam Religionem Proteſtantium ditionibus, ut *ita, qui vim intulerunt, de illatâ conqverantur, & auctoritate legis contra legem agant.*

(4) Redituum ex alieno territorio.

Ceterum Reditus Cœnobiis ſacrisque ædibus, ab Evangelicis etiam ante Transactionem Paſſavienſem occupatis, debitos nihil ad Evangelicos attinere, eorum quippe poſſeſſionem iſta ætate nondum adeptos. Quoad aliqua non illis, ſed ſibi, conquerendi materiem eſſe.

(5) Jurisdictionis Eccleſiaſticæ.

Jurisdictionem Eccleſiaſticam in cauſis tantum, ad ipſum Numinis cultum ſpectantibꝰ, ſuſpenſam, etiam in ceteris ad ſe traxiſſe Evangelicos. Reliqua poſtulata notiſſimos Pacis (*l*) Auguſtanæ terminos egredi, neque Evangelicis de illis querendi cauſam fore, ſi Epiſcopatus raptos iis, quibus oportet, reddiderint.

(6) Scriptorum contra Pacem religionis.

Pacem Religionis, perſpicuis verbis conſcriptam, à nullis majori proterviâ atque perverſe magis explicatam corruptamque, quam ab Evangelicis Scriptoribus, rerum Imperii atque internâ Actorum notitiâ ut plurimum deſtitutis, quorum auda-

(l) *Pac. Rel.* §. 20. damit auch obberührte. *Verb.* wider der *A. C. Religion*-Glauben ꝛc.

audacia provocatos forſan Catholicos, alia ſcripta oppoſuiſſe, in vim tamen publicam non valitura. Edictum Ferdinandi (*m*) ipſa Evangelicorum confeſſione legitimum probari, qui Imperatori hanc ſententiæ ferendæ poteſtatem iteratis vicibus adſtruentes, eos, quorum interſit, ſufficienter jam pridem auditos ſtatuerint, cum Ferdinandum II. pronunciandæ tandem ſententiæ admonuiſſent. Mirum certè non immerito videri, omnem in hiſce rebus Cæſari facultatem abrogatam eos velle, qui de Ferdinandi I. Decreto, quanquam falſi, tam prolixe glorientur. 1646.

(7) Majorũ Votorum.

Ut autem in Conſultationibus publicis pauciorum placitis plurium ſuffragia prævaleant, Gentium conſenſu, Germaniæ (*n*) legibus, ipſaque ſalutis publicæ expediundæ neceſſitate monſtrari, cum in contrarias opiniones ſciſſis nihil reſtet, quam ut pauciores pluribus cedant. Hoc uno ſtare populorum imperia, ſua mole ruitura, niſi conſiliorũ robore contineantur, quibus ratio conſta-

 re

(m) *Rel. l. 1544. § 82.* Als wir aber. *Duplic. Evang. A. 1555.* §. da aber E. K. M. 1559. 66. 94. 1620. (n) *Rel. J.* 1512. §. Es ſollen. *ibi* und was dieſelben oder der mehrer Theil. 1521. § würde ſich §. und denn ſo durch den mehrern Theil beſchloſſen worden / Folge thun. 1522. § welcher Geſtalt. *verb.* und wie ſie alle/ oder der mehrer Theil unter ihnen beſchloſſen. 1542. §. und dieſem. §. und was mit den mehrern beſchloſſen wird. 1555. §. und damit die Obriſte/ *iisdem verbis.* 1559. §. dieſen Beſchwerden. 1576. §. da dann die Sachen. 1594. §. da dann die 2c.

1646. re non poſſit, niſi æquali ſuffragantium conditione majorem numerum minor ſequatur. Arctis nimium limitibus ab Evangelicis circumſcriptos caſus, quibus plurium ſententiam valere oporteat, latius multo protendendam, ni publicis conſiliis vim, adeoque ſuæ Reip. fundamenta convelli velint. Iſtis etiam negotiis, de quibus Imperii leges nihil præſcripſerint, neqve conventione partium exitum reperire queant, ſolenne Catholicis, patriisque Conſtitutionibus congruum eſſe, ut Cæſaris arbitrio ſubmiſſa ejusDecreto finē accipiant.

(8) Deputatorum Imp. Ceterum ipſo Pacis Auguſtæ ſancitæ anno ex Electorum, Principum atque reliquorum Procerum Ordinibus delectos, qui certa Reip. negotia curarent, ex quo nihil immutandum. Neque uſu receptum, ut pari numero ſeligerentur, qui in Comitiis officia communi ceterorum nomine expediunda obirent; in quo itidem, niſi ex Comitiorum decreto, nil innovandum.

(9) Donaverdæ Reſtitutionis. Donaverdam, juſta Cæſaris ſententia proſcriptam, pervicaciæ pœnam tuliſſe, neque ſermoni de reſtitutione illius prius locum eſſe, quam Bojoaro de ſumptibus ſatisfiat, quos ſententiæ exequendæ impenderit, in cujus noxam accipi non debere Rudolphi promiſſa, Catholicis quidem ignota.

(10) Adminiſtrationis Juſtitiæ. Quæ de novis Tribunalibus condendis allata fuerint, Evangelicorum poteſtatem excedere, ad Comitia ableganda; quanquam jam Francofurti à Delectis conſilia ſatis commoda hanc in rem prolata eſſe, ipſi Proteſtantes ſua confeſſione agnoſcant. II. Ne

II. Ne vero ſuas tantum lites agitarent utrarumque partium Proceres, rei ſummæ incurioſi, ipſos Pacis libellos à Gallis SvecisqueCæſareis oblatos, horumque ad eos Reſponſa deliberationis materiem ſumpſere, iſtorum, qui Oſnabrugæ degebant, Senatu IX. Cal. Februar. primum coacto, quo poſt nuncupata pro felici Tractationis ſucceſſu Vota, atque repetitas ab iis contradictionum de honeſtiori loco formulas, quibus poſt alios ſedere moleſtum eſt, aliaque primis Germanorum publice coëuntium Congreſſibus ſolita, nihil actum, quam quod Evangelici, quæ ob admiſſum Magdeburgium caviſſe ſupra retulimus, iterato ſermone confirmavere; & Monaſterienſes communi omnium indignatione traducti, quod de Modo Tractandi Senatus conſulto absque Oſnabrugenſibus facto, non diſquiſitioni illud, ſed aſſenſui tantum præſtando, transmiſerant. 1646. Deliberationes Principum Collegii ſuper Propoſ. Regiis & Reſponſo Cæſareorũ. Seſſ. publ. 1. d. 24. Januar. Seſſ. 26. Jan.

III. Minori concordiâ Quæſtio agitatâ, an geſti contra Imperium belli invidiâ premi debeant Galli Svecique, quibus illam Cæſareanorum Reſponſum impegerat; acriter contendente Auſtriaco, qui in Concilio Principum Cæſareas partes, mutato in Archi-Duces nomine, ſuſtinebat, non niſi pro hoſtibus Imperii judicandos, quos arma Cæſari, Imperio, eiq; fidis Proceribus intuliſſe ſupra omnem Annalium fidem totius Germaniæ calamitates edoceant, cunctorum oculis ſenſibusq; expoſitæ; prolato præſertim ultra Pacem Pragen- Seſſ. 3. 27. ejusd. Bellum Gallorũ & Svecorum an contra Imperium. Sententia Auſtriaci.

1646. ſem bello, qua omnes fere Imperii Ordines in gratiam cum ſummo Principe redierint. Nec enim amicorũ munere fungi, qui non alienos à conjunctis, non ſocios ab inimicis diſcernentes, loca Dominis erepta ſuo milite detineant, omniq; vexationum genere pro redimendis incendiorum, populationum aliorumque nominum damnis immeritos affligent, & cetera hoſtibus ſolita non in eos ſolum uſurpent, quibus mediarum partium fecerint gratiam, ſed & quos ſibi addictos amicorum nomine compellent. Adeone ſtupidum orbem exiſtiment iſti, ut amicos ſe Germaniæ ei perſvaſuros credere audeant, cujus Principem, Proceres, Civesque crudeliſſimis armis infeſtent. Ideam ſcilicet Imperii fingere, ratione tantum aut inſanis potius inſomniis conſtantem. Abſurdum eſſe, ſibi mutuaq; invicem contradictione adverſum, bellum cum Proteſtantibus inficiari, eorum tamen terras ſibi ſeu in prædam belli ſive pretium pacis depoſcere. Cum Cæſare certe, Catholicisque fœdere colligatis (*Ligiſtis*) ſibi id intercedere Svecos profiteri, à quibus, cum majorem Imperii portionem conficiant, merito rei nomen imponi. Solus Auſtrio Bojoarus, Cæſari belli ſocietate conjunctus, adſenſit, ceteri ſententiã Herbipolenſis atque Magdeburgii ſecuti, ſilentio prætereunda cenſuere, quorum invidiam Sveci publicis Scriptis amoliti, prolixe teſtati ſint, in iſtos tantum ſeſe arma induiſſe, quicunque aut aperti

Bavari. Diverſa ceterorum.

hoſtes,

hoſtes, aut illatas ipſis ſociisve injurias, hortatu, auxilio, adſenſu ſuum crimen feciſſent; nec enim hoſtes ſibi obtrudi paſſuros, quos amicorum nomine colant, neque etiam infeſti Imperio animi ſignum eſſe ſtudium illud, quod procurandæ Germaniæ quieti tanto ardore oſtentent. Pacis conciliandæ negotium, ſuis difficultatibus jam ſatis involutum, inutili verborũ contentione non ultra intricandum. In ejusmodi arduis negotiis multa ſimulanda, diſſimulanda plura, eamq; nunc temporum ſortem eſſe, quibus, ſepoſitis vocabulorum jurgiis, mature conſulta ſtrenue exequi conſultum, imò neceſſe ſit. 1646.

IV. Ceterum Hiſpani quoque nomen, quem inter Sveciæ hoſtes Cæſareani Reſponſo ſuo citaverant, expungendum, communi ſuffragio, etiam Auſtriaco non abnuente, decretum eſt; qui, quanquam Catholici Regis præſidia, locis ultra Rhenum infeſsis à Svecis ejecta, & eadem Hiſpanicæ Auſtriacæque Gentis Jura eandemque cauſam memoraret, æquum tamen ipſe ducebat, Hiſpanis, quibus amicis ſe uti Sveci jactabant, arbitrium relinqui, quo Jure locove iſtos ſibi habendos exiſtimarent. Ad Art. 2. An contra Hiſpanos?

V. De eo quoque quæſitum, quid reſpondendum Svecis, Cæſareanorum verba explicari ſibi petentibus, quibus Tractatus Schœnbeckiani meminerant; Evangelicis, qui in communem unius ſuffragii formam jam conſenſerant, omittendam De Tractatibus Schœnbeckianis.

1646. ejus mentionem ſvadentibus, quo ut imperfecto Sveci obſtringi non poſſint, neque Ordines imperii velint, ut cui aſſenſum, qvem ne rogati quidem fuerint, nunquam adhibuerant, adſtipulante etiam Vorburgio Herbipolenſi; Auſtrio, Bojoaro, atque Baſileenſi contra diſſerentibus, Tractatu iſto, quanquam ad exitum non perducto, ipſa tamen Svecorū Propoſitione nominato, oſtendi poſſe, quibus conditionibus Pacem reſumere, Partibus jam olim placuerit.

Seſſ. 4. 29. Jan. Amneſtia. VI. Difficillima de Amneſtia diſceptatio fuit, quam ad motuum Bohemicorū exordia trahi volebant Sveci, Cæſareanis contra à Svecici belli initiis eam auſpicandam dicentibus. Et verò jam ante Tractatus Weſtphalicos tentavere Cæſarei, an oblata aliqua Amneſtiæ ſpecie Ordinum animos Svecorum partibus abſtrahere poſſent, facilius in illos, quæ vellent, ſe decreturos rati, ſi horum fœdere deſtituti nullo contra Imperatorem præſidio niterentur. Svecos quoque minori opera debellandos, aut Germania ſaltem pellendos, Imperii Procerum opibus, viris, favore nudatos. Ita bello hos, illos Pace ſubigendos ſperaverant. Pertinuit huc Pragenſis Pacis invitamentum, Pragenſis. ſempiternam præteritorum oblivionem iis offerentis, quibuscunq; intra decem dierum ſpatium, ex quo ſancitam eam comperiſſent, ad Cæſaris gratiam, debitumq; obſequium reverti luberet, impoſita Imperii Optimatibꝰ inter alias conditio-

ditione, junctis Imperatori viribus armisq; Svecos 1646.
Germaniâ amovendi, ſi ſponte migrare abnuerent. Neq; irritæ omnino artes Evangelicis pelliciendis Cæſari ceſſerant, qui, quanquam etiam ſecurorum alias metuentes, & hîc qvoq; ſubdola Imperatoris atque Catholicorum molimina veriti, iſtâ tamen Pacis umbra ſe deludi ſiverant, qvanquam beneficio ejus non Palatini tantū Bohemiqve, ſed & Transfugæ, qui, ejuratâ Cæſaris militia, nec impetrata miſſione, hoſtibus acceſſerant, tum Fridlandicæ Conjurationis populares, & præterea Dux Wirtembergius, Marchio Durlacenus, Oetingenſes, Lœwenſteinii, Erbacenſes, Wiedani, Hanovii, Iſenburgii, Fridericus Hohenloius & Maximilianus Pappenheimius Comites atq; Baro Eberſteinius excluderentur, aditum ad eam non habituri, niſi Cæſaris ad miſericordiam verterent. Gvilielmo tamen Haſſo venia data, ſi obſeqvii in futurum fideiq; conſtantiā expoſita cautione ſponderet. At is gratiam illam adſpernatus, ſociatis cum Bernhardo Saxone armis, ſolus fere Germaniæ Principum rem Svecicā, tanta ceterorum defectione labantem, ſuſtinuit, illiusq; exemplo etiam eorum fides nutabat, quos totos ſuos feciſſe Cæſar crediderat. Hic igitur, ſpe ſua fruſtratus, nova Amneſtiæ (*o*) formula Ratisbonenſis An. 1641.
Comitiis Ratisbonæ coactis ſuſpicaces Procerum ani-

(o) *V. Edict. Cæſar. de Generali Amneſtia, ap. Lundorp. Tom. V. Lib. I. c. 149.*

1646. animos conciliare ſibi conatus, cũ ne hac quidem viâ ſe multũ promoviſſe conſpiceret, quod vires illius conditione tuendarum contra Svecos aliosque Germaniæ hoſtes Cæſaris partium ſuſpenderat, ad Legatorum Electoralium Delectorumque Imperii preces abſolutam effecit, adjectis tamen exceptionibus, quibus reſtitutionis neceſſitatem effugerent, qui alioquin ad res Dominis ſuis reddendas obligabantur.

Emendata, 17. May. 21. Sep. 1644.

Approbata à Catholicis.

VII. Hanc ergo obtinendæ atque ſtabiliendæ Paci ſufficere jactantes Catholici, aliâ opus eſſe pernegabant; Univerſos qvippe eâ comprehendi, ut nulla de ipſius anguſtia conquerendi cauſa ſuperſit. Exceptiones ad Mediatos ſpectare, quibus eas denegare injuſtum foret. Separatam Palatini cauſam proprio Tractatu peragendam. Inauditũ Gentibus eſſe, vim Amneſtiæ ultra belli tempora protendi, cui componendo mutua injuriarum damnorumq; oblivio ſanciatur. At verò arma Svecica, quibus avertendis de Pace tractetur, Anno M. DCXXX. Germaniæ demum illata eſſe, neminem fugere, Germanicarum hujus ætatis rerum haud omnino ignarum. Ipſum Guſtavum Adolphum Sveciæ Regem, intemerata ſibi cum Imperio amicitiæ Jura fuiſſe, priusquam armatus illud intraſſet, edito in publicum libello profeſſum eſſe, quo ſuſcepti contra Cæſarẽ belli cauſas retulerit. Svecorum etiam Legatos à Prutenico Bello inimicitiarum in Auſtriacos initia arces-

ceſſentes, nullam ſibi ante hac rei Germanicæ cu- 1646.
ram fuiſſe, teſtificatos. Neque igitur Amneſtiâ opus, ubi bellum non fuerit. Quæ autem Cæſari cum Proceribus intercesſerint controverſiæ, Pragenſi Pace ſublatas. At verò, ſi Svecis obtemperandum, omnes ſententias, &, inaudito fere per omnes temporum ætates exemplo, cunctaFerdinandi II. Acta, ſummo defuncti dedecore, partiumqve, pro quibus pronunciaverit, damno abolenda fore. Neq; etiam Reip. ſalubria exiſtimanda eſſe, judiciorum perturbationes, rerũ judicatarum infirmationes, reſtitutionẽ damnatorũ: qvi quidem civitatum afflictarum perditis jam rebus ſoleat eſſe exitus. Ipſos etiam Svecos Tractatu Schœnbeckiano, quanquam idem temporis initium Amneſtiæ ſtatui primò cupiverant, ceſſiſſe tamen poſtulato, modo iſtis quoq; ejus copia fieret, quos Pax Pragenſis ſecluſerat. Nec omiſſum quidquam formulâ Ratisbonenſi, quod ad fidam Amneſtiam pertineat. Palatinam atq; Bohemorum Rebellionem vix ipſis, qui fecere, laudatam, communi Imperii Procerum ſententiâ, etiam Gallo probatâ, damnatâ fuiſſe. Cum Wirtenbergio nullam litem ſupereſſe, & Durlacenam Domum, (quanquam id Legatus ejus negabat) atque Naſſaviam Saræpontanam indulta reſtitutione Cæſari placatam. Nec ceteros, ſi qui Imperatore adhuc infenſo utantur, aut immerita calamitate ſe plexos exiſtiment, omni beneficio arceri,

quod

1646. quòd tamen expetere non debeant, qui cum illo in gratiam jam reverſi, concordiæ leges non Pragenſi tantum Pactione, ſed & Comitiali Decreto adprobaverint, qviq;,adeò aliâ novaque Amneſtia non indigeant. Ceterum Auguſtanam rem ad Gravaminum tractationem pertinere. Egræ Urbis, Exulumqve Auſtriacorum negotium nihil cum Svecico bello communionis habere, eosque in Comitiis Ratisbonenſibus Ordinum adſenſu Amneſtiâ ſemotos, quos ne terris ſuis Imperator reciperet, publicis precibus ceteri Provinciarum Auſtriacarum Proceres flagitarint. Anno 1635. Qvin oblatam à Ferdinando II. confirmationem Privilegiorum,in Religionis libertatē conceſſorū (Majeſtät-Brieſe noſtri vocant) adſpernatos Exules, ipſoque Diplomate Cæſari remiſſo,cœptæ rebellioni inſtitiſſe.Non difficilem tamen Cæſarem experturos Svecos, quando unum alterumve Nobilium iſtorum clementiæ ejus commendarent.Ceterum falſos eſſe, qvi Amneſtiâ hanc belli irritamentum obtendant. Svecicum enim Anno M. DC XXX. demum cœpiſſe, at internas diſcordias proximis à Transactione Paſſavienſi temporibus natales ſuos imputare. Poſt Bohemicos motus compoſitos, confectum bellum Durlacenū, Halberſtadienſe Chriſtiani Brunſvicenſis morte, Danicumq; pace mutatum, eas demū controverſias in apertū prorupiſſe,qvæ Catholicorum atq; Proteſtantiū animos vetuſtiori multò ſimulate commiſe-

miſerint. Ex harum transactione, non computatione temporis, ſtabilē pacem arceſſendam. Eam certe firmā credi non debere, qvæ immeritis plurimorum damnis, ad certi anni menſuram ſanciatur. Neqve enim remedium id malorum, ſed novi belli incitamentum fore, nec dignitatibus hos, terris, Juribusve ſuis adeò facile in gratiam eorum ceſſuros, qvi alienarum rerum cupidine laborent. Et quot facinora impunita manſura, ſi pari oblivione cuncta ab iſto tempore patrata transmitterentur; inſigni Reip. noxâ, cui ab improbis nulla quies, niſi pœnarum acerbitate cohibeantur. Invenire æmulos etiam infelicem neqvitiam, qvid ſi floreat vigeatq;? Non priorū tantum temporum monumentis, ſed & proximæ ætatis exemplis edoceri, Gallorum etiam Svecorumque inteſtinos tumultus non adeo promiſcua Amneſtia tranſactos, ut cunctorum ſcelerum veniam omnes pariter tulerint. Nec Paſſavienſem transactionem ſuis limitibus caruiſſe. Præterea ſummo cum Imperii dedecore conjunctum fore, ad perpetuam nobiliſſimæ Reip. infamiam duraturo, perlatas publicis comitiis leges exterorum arbitrio retractari; neq; ſuum conſtitutionibus robur, Reip. tranquillitatem, ſingulisq; pacis fiduciam conſtituram, ſi, quæ omnium ſuffragiis decreta ſunt, paucorum audacia deſtruat.

1646.

Protoc. Monaſter. d. 31. Jan. 10. Feb.

IIX. At in diverſa nitentes Evangelici, (Darmſtatino excepto, qui uti bello, ſic hoc etiam negotio

Improbata ab Evangelicis.

1646. tio medias partes præferebat,) imbecillitatem Imperii allegabant, qua accipiendis, quas Sveci præſcripſerant, conditionibus, ingruente quippe ſupremi exitii periculo, Rempublicam adigi oſtendebant. Jam Comitiis Ratisbonenſibus eam plerorumque Procerum animis opinionem inſediſſe, nullam ab armis, omnem à pace ſalutem impetrandam eſſe. At invalidius jam multo Imperii robur, Regibus contra non unius Urbis munimentive, ſed Provinciarum aliquot acceſſione adauctis. Ipſius Chriſti monitis obſequi, qvi, quantum inferior adverſario ſit, perpendens, petendæ Pacis conſilium ſumat, quæ nulla à Svecis expectanda ſit, niſi data Amneſtia, quam expoſtulent; liberæ ſcil. virtutis, & ſine præſcriptione veniæ, nullisque conditionum limitibus circumſcriptam. Et quanquam omnia ad Statum Anni M.DC.XIIX. reducere, inter ea ipſi habeant, quæ fieri nequeant; Immenſæ qvippe æſtimationis eſſe mobilia bona, à tempore iſto direpta, damnaque tam ſacris quam aliis ædibus prædiisque illata, quæ publicæ utilitati condonaturi ſint, qui toleraverant: immobilia tamen Bona Juraq; tam ſacra quàm civilia meritò eò reſtitui, unde per ſævam Pacem, Belliq; caſus exciderint. Civilem Bohemiæ Statum à ſe jam non ſollicitari, at Religionis jactura ob paucorum crimen ceteros plecti, quibus nulla delicti ſocietas, iniqvum, & Auſtriaca benignitate indignum, cui etiam iſtis, qui

quì peccaverant, impetrandæ calamitates ſuffice- 1646.
re poſſent, quas extremas diuturno exilio miſeriisq; jactati pertulerint. Pace Pragenſi, Regibus adeo exoſâ, ſtari non poſſe, ni Remp. non modo labantem, ſed prono caſu ruentem, adſpicere lubeat. Errore aut proprii affectus fraude decipi d. Pro-
Pontificios, qui, ſolis Evangelicis Amneſtiam ne- toc.
ceſſariam putantes, cuncta recte atq; ex ordine ſe feciſſe exiſtiment, quæ ab Anno M. DC. XIIX. non in hos minus, quàm ipſas Imperii leges, commiſerint. Certe Evangelicos, ab adverſariis perpulſos, fortunam belli experiri. Duraſſe aliquandiu Proceribus patientiam. Tandem continuis fermè hoſpitiis, rapinis, aliiſque paris calamitatis generibus agitatos vexatosque, cum alia remedia non ſuppeterent, defenſionem circumſpectaſſe, irritamentum quidem potius acerbioris belli, quam medicinam eam expertos, adhuc tanta malorum mole fatiſcere. Ipſum Cæſarem, multa Reip. inſtitutis contraria hactenus eveniſſe, & neceſſitate tantum temporum excuſanda, fateri, quæ quidem pacis amori impendi poſſint, modo idonea Amneſtia cuncta ab Anno M. DC. XIIX. acta æquali oblivione diluantur. Neque initium belli à Regibus ſumti, ſed cauſas ſpectandas eſſe, qui Palatinos poſt Bohemicos motus perpetuo damnatos exilio, Proceres prævalidi Cæſaris potentia ſoli ſibi armorũ Jura arrogantis, ac infeſtæ Pacis pariter belliq; malis oppreſſos, & cum Edicti Ferdinan-

1646. dini rigore ad arma acti tuendæ ſalutis conſilia Lipſiæ capeſſerent, atrocius afflictos, jamque ſuam rem agi cernentes, ſi Germaniæ libertas periret, minantem ex proximo ignem reſtingvere aggreſſi ſint.

Seſſ. 4. 30. Jan. ad Artic. 6. Fœdera cum Exteris.

IX. Minori contentione, non tamen integro inter Catholicos atque Evangelicos conſenſu, quæſitum, ad quem modum Imperii Proceribus cum externis Principibus fœderum ineundorum facultas permittenda? iſtis tam Oſnabrugenſibus quam Monaſterienſibus debitum obſequium abſoluto ſermone Imperatori iis conſervandum, & pernicioſam publicæ quieti Svecorum ſententiam arguentibus, qui Cæſarem, poteſtatis ſuæ fines ſupergreſſum, exterorum fœderibus atque opibus compeſcendum conſuluerant. Suam Cæſari Religionem Jurejurando confirmatam, ſuas Imperio leges atque vires ſuffecturas, ne peccare ille contra Remp. velit, aut, ſi velit, multum poſſit. Eſſe Septemviros publicæ libertatis cuſtodes vindicesque, eſſe reliquos Principes Ordinesque, rerum ſuarum ſatis providos, ſuum Cæſari officium in memoriam revocaturos, ſi ipſe oblivifceretur. At „ Evangelici adjectam Svecorum exceptionem „ approbabant, ne ſcil. contra Imperatorem fœ- „ dera pangere fas foret, quatenus Imperatoris „ munus obiens dignitatem ſuam retinere mereatur; quanquam difficilem & in patriæ exitium efficacem quæſtionem plurimi agnoſcebant, quibus deli-

delictis Cæſar ſibi regnandi Jus, Imperii Civibus obſequii patientiam, excuſſiſſe cenſendus ſit. 1646.

X. De eo etiam relatum, quid Gallis reſpondendum, *An ſine Hiſpano, quem inter ſocios Cæſar numeraverat, de Imperii pace tractari aut conveniri non debeat?* rogitantibus. Quæ quanquam quæſtio præmatura omnibus, ſuoque tempori ſervanda videbatur, monuit tamen Auſtriacus, ſi omnino de illa ſententia promenda eſſet, Hiſpani cauſam à Cæſaris atqve Imperii rebus divelli, neminem, niſi iniqvum, flagitaturum. Regem Catholicum, Burgundiæ Principem, inter præcipuos Imperii Cives hactenus habitum, melioribus officiis præſtitisque contra Turcam auxiliis illud coluiſſe, quam ut abdicari deſerique mereatur. Non aliam Hiſpanicam Domum ab Auſtriaca eſſe, cui ſe reconciliatos velle ipſo Pacis Tractatu Galli fateantur, quem *Generalem* eſſe debere inter partes placuerit. Neque abnuit Herbipolenſis, qui nullius iniquæ ſententiæ ſponte auctor, & quotiens neceſſitas ingrueret, ſapienter moderans, merito Hiſpaniæ rationem in conficiunda Pace haberi affirmabat, cujus igne Germania correpta ſuis poſtea flammis atrocis incendii furorem aluerit, ſecuro remedio non ſiſtendis, ni ſcintilla, unde clades orta, reſtincta ſit. Neque Evangelici multum Hiſpanorum quietem ſe adverſari oſtendebant, modo non Germaniæ pacem moraretur. Ceterum non ideo *Generales* dici hos Tractatus,

Seſſ. 7. 3. Febr. ad Repl. Gall. Artic. I. Hiſpanus an Pacificationi Germanicæ innectendus?

1646. ctatus, qvod omnium etiam externarum nationum bella iis tranſigenda ſint, ſed quod omnibus Germanici belli cauſis tollendis deſtinati. Miſerrimam alioquin fore Germanorum conditionẽ, ſi quietem iſtorum ex peregrinarum gentium Pace ſuſpendi oporteat. Vix ſeculum integrum cum dimidio effluxiſſe, ex quo inter Gallos atque Hiſpanos plusquam vigeſies ſive Pax ſive induciæ initæ, & aliqvando matrimonii religione firmatæ, non tamen duraverint. Qvam infelices ergo Germanos, ſi tranqvillitatem ipſorum ex tam infeſtarum ſibi invicem nationum arbitrio atque qviete nunquam ſtabili pendere neceſſum foret? Non de remedio reparandæ Germaniæ, ſed de mortuæ exeqviis cogitandum, ſi poſt extinctas demum Galliæ atque Hiſpaniæ lites de pacanda iſta ſermo inſtitui debeat. Cum cura igitur habendum, ne externæ cauſæ, internis Reip. negotiis innexæ, Imperii Proceres bellis peregrinorũ fœderibusve illigent, qvorum metu Belgicis atque Burgundicis motibus Majores prudentiſſime abſtinuerint. Ipſo rerum uſu deprehenſum, hac præcipua occaſione Germaniæ Principes tantam bellorum molem ſubiiſſe, quod ii, qui armorum arbitrium ſibi vindicantes, neque cum Proceribus conferentes conſilia, quam ubi de centum & viginti *Romanis menſibus* atq; milite alendo qvæſtio inſtituenda eſſet, inſciis invitisve iſtis exterorum litẽ ſuam Imperiiq; effecerint. Non incognitã eſſe Hiſpani-

Protoc. Monaſter. 26. Feb.

cæ

cæDomus cumAuſtriacâ neceſſitudinem,quorum 1646.
inter ſe fœderibus nullas leges ſtatuant; neque ignorari, Hiſpaniarum Regem, Burgundiæ ſcilicet Principem, Germanicæ Civitati adſcriptum, tutelam ejus ſuo Jure expetere, modo non in ipſiusReip. fraudem damnaq; vertentem. At Imperii Proceres Hiſpanicis, Luſitanicis, Catalaunicis, Navarrenis, Italicis, Belgicisque tumultibus involvi, extremo patriæ interitu conſtiturum. Neque intempeſtive huc transferri poſſe, quæ in cauſa Luſitanica Auſtriacus nuper pronunciaverit, nunquam Tractatuum finem futurum, ſi cuncta, qvæ à tempore turbatæ Germaniæ exorta ſint bella, ad hanc Pacificationem trahenda forent. Ea certè ratiône etiam de Turcarum cum Venetis litibus atq; inteſtinis Angliæ diſcidiis deliberationem Germanis ineundam fore. Proprias ædes ab incendii clade ſervandi ex ipſo Naturæ dictamine primam curam eſſe debere, cui ſecunda ſit, qvæ medendis aliorum calamitatibus occupetur.

XI. Lotharingo quoque, cui non futuræ tantum Pacis beneficium, ſed & Legatorum Monaſterium atque Oſnabrugam mittendorum facultatem Galli denegabant, tractatuum horum gratiam faciendam Catholici ſtatuebant, non Imperii tantum Civem, ſed & Cæſari armorum ſocium, & Pragenſi pace innexum memorantes, ad qvem, non exiguâ qvippe belli Germanici partê, haud

Seſſ. 8. 4. Febr. ad Prop. &Repl. Gall. art. 1. & 16. Cauſa Lotharingica.

1646. haud parum attineat, quibus illud conditionibus ſopiatur. Iniquos eſſe Gallos Svecosque, ſi foederatos ſuos pace hac comprehendi efflagitent, excluſis iſtis, qui Cæſaris atque Imperii ſalutem tutati ſint, (cui rationi pondus ineſſe etiam Evangelicorum quidam fatebantur.) Neque ob pacta cum Gallo inita Germaniam Jure ſuo in Lotharingum, neque hunc Patrocinio Germaniæ excidiſſe, & moleſtiſſimæ ſervitutis ſpecimen fore, ſi Imperii tutelâ cadere oporteat, qui Galli auxilium imploraſſent, in Treviri aliorumque Germaniæ Principum exitium evaſurum. Et afferebatur exemplum Cæſaris, Ducis cujusdam Lotharingiæ cum Virodunenſium Antiſtite pacta irrita pronunciantis, quod ad detrimentum Imperii pertinuerant. Eoq; magis Provinciæ iſtius curam habendam, quod propugnaculum hucusq; adverſus Gallos, ſi deſeratur, ſuo quoque præſidio Germaniam nudatura ſit. Ideo tantùm Hamburgi negatum Lotharingo commeatum, quod proprios tunc cum Gallo atque à re communi diverſos tractatus agitaverit. At à Cæſare iis quoque tutum iter præſtari, qui ſeorſum à ceteris ſecum concordiam tentaverint. Evangelici, quibus Herbipolenſis accedebat, eadem fere, quæ de Hiſpano cenſebant, quamvis Marchionatûs Nomeniaci ratione, quem ab Imperio habet Lotharingus, tractatione hac eum arceri, ne ipſi quidem æqvum putarent.

XII. Res

XII. Res poſcere videtur, quia iterum in mentionem incidimus Principis ſæpius memorati, variisque ſortis caſibus clariſſimi, ut vitam ſtudiaq; ejus, & quali fortuna ſit uſus, altius repetamus. Natus is Franciſco Valdemontio Comite, ex antiquiſſimâ Lotharingiæ Ducum proſapia, non virtutibus magis quam vitiis ſeculo noſtro innotuit; ingenio acer, audax, promptus, &, prout animum intendiſſet, pravus aut induſtrius, luxuriâ, parſimonia, comitate, truculentiâ, malis bonisque artibus mixtus; neque pacis diu neque belli tolerans, &, ut congruum erat tantæ morum diverſitati, ſecundis adverſisque juxta famoſus. Præcipuè avaritiam ejus plerique inſectantur, ut qui neque fas, neque fidem penſi habens, & habendi ſolum affectui obnoxius, unde utilitas oſtenderetur, illuc officia transferre ſveverit, adeo famæ, ad quam alioquin cuncta Principibus diriguntur, prodigus, ut cum Copiis ſuis iſtorum partem (o) ſe ſecuturum, ex quibus plurimum emolumenti ſperaret, diverſis vicibus publicè profeſſum eſſe, gravibus auctoribus memoretur. Hic igitur, privatorum eſſe, matrimonia ex amicitiæ inſtinctu, vel morum concordia deligere, eamque ſvavitatem Principibus exuendam cenſens, Nicolaæ (p) nuptias ambierat, Lotharin-

1646. Caroli Lotharingi conſilia & actiones.

(o) *Galeat. Guald. Hiſt. Pac. Pyren. (p. m. 68.)* (p) Freyb. *de Stat. perturb. Franc. & Germ. Part. IV. Diſc. 3. Ludov. d. May, du l' Eſtat de l' Empire, Part. I. Dial. 5.*

1646. ringiæ magis quam virginis amore, & præſertim æmulatione accenſus, ne Ludovico Gviſio Salzburgio, eadem quidem gente, at impari matre, neque juſto matrimonio prognato, (cui eam pater Henricus Lotharingiæ Dux cum tam ampla terrarum dote deſtinaverat,) ipſe legitimorum natalium Princeps parêre cogeretur. Et dedit tandem Henricus Ludovici Galliæ Regis precibus, ut Carolo filiam, tot Principatuum heredem, iis tamen legibus deſponſaret, ut Lotharingiam non ſuo Jure, ſed dotis loco, acciperet, & communi tam Nicolaæ quàm Caroli nomine, Edicta, Mandata, monetæque ſignarentur. Quæ ſpondens Carolus, non præſtandi animo, ſed ut cum uxore Ducatum adipiſceretur, poſt obitam à ſocero mortem, pactis ſtare recuſavit, à neglectæ fidei facinore novum Principatum auſpicaturus, quam, ut adverſarii criminabantur, nunquam colere animo propoſuerat, Henrici Angli exemplum, (*q*) at non eadem moderatione fortunaque, imitatus, qui, ne per muliebre beneficium inrepiſſe, non ſuo Lancaſtriæque familiæ Jure regnare videretur, & faſtigium Eliſabethæ uxoris, ex Eboracenſium Domo patre Eduardo oriundæ, cum qua dotale Angliæ Regnum iisdem, quibus Carolus Lotharingiã, conditionibus obtinuerat, in diminutionem ſui accipiens, occultioribus artibus effecit, ut ſolus & abſque conjuge, thalami potius quàm regni ſocia, illa.

(q) *Verulam. Hiſtor. Henrici VII. R. A. ſub princ.*

illaque non adverſante, rerum potiretur. Atquo 1646.
violati pacti crimen aliquo prætextu velaret, ad ſupremas Renati Lotharingiæ quondam Ducis tabulas, Procerum quoque conſenſu firmatas (r), provocabat, quibus proviſum dicebat, ne Lotharingiæ, Barri, Pontis Muſani, & Valdemontis hereditatem alii, quam maſculi & virili ſtirpe editi, cernerent; aliis contrariam huic Teſtamento Lotharingiæ Barriq; conſvetudinem, & iſtorum, quibus terræ iſtæ, Feudi ac ſupremi dominii nexu obſtrictæ, Jura allegantibus, quibus Renatus, vaſallus quippe, obeſſe non potuerit. Inde frigidiori quotidie inter conjuges amore, ſimultates, rixæ, aperta deniq; odia extitere, mutuis invicem publicisq; ſcriptis vulgata; & Carolus Gallum, auctorem infauſti matrimonii auſpicemque, ac ſi ſperneretur, vindicem metuens, ad Auſtriacos confugiturus videbatur, non ſine motuum in Gallia periculo, quibus averruncandis Rex Marilliacum miſit, qui Viroduno, cui Imperator imminere putabatur, arcem adjiceret, tutandæ Urbi, & ſubmovendis hoſtium pariter inſultibus, ac amicorum inſidiis profuturam. Cui cum novum opus fruſtra nunciaſſet Virodunenſium Antiſtes Franciſcus, Caroli propinqvus, neque ſacrorum interdictione operarios, quo minus incepta perficerent, abſterreri videret, & vim quoque Regiorum timens, Nancejum ſe cum Carolo contulit,

P 5 qui

(r) Freyberg. d. Diſcurſ.

1646. qui Agnati hortamentis, & ſuopte ingenio vehemens, varia egit, unde Ludovici offenſam magis incurreret. Atq; is ulciſcendæ injuriæ, Carolum (*s*) Lutetiam accuſandis Regiis Virodunenſium Magiſtratibꝰ, & impetrandæ Barrii *inveſtituræ* adventantem, levi cultu habitum, irritumq; dimittens, acrius irritavit, qui manifeſtam jam vim parans, & XIICIↃ. exercitu Galliam incurſaturus, at majori Gallorum Svecorumq; vi cohibitꝰ, ad Ludovici gratiam vertit, Marſaliæ tamen, tanquam fidei pignore, & qvorumcunq; cum aliis fœderum ejuratione exorandam. Verum Carolus (*t*) pacti ſimul noviſſimiq; periculi immemor aut incurioſus, aut quod eo ſe haud teneri putabat, excepto hoſpitio Aurelianenſi, à fratre Rege diſſidente, & conciliato inter hunc ſororemque matrimonio, quod Galliæ Principibus, inſcio Rege, contrahere nefas ducitur, ac profeſſo deniq; Cæſareanarum partium contra Svecos ſtudio, novas turbas moliri
20. Jun. 1637. deprehenſus; Nancejo, Stenaco ac Jamitſio mulctari meruit, quibus damnis ad iram magis quam pœnitentiam ſtimulatus, & inanem ſpem advertens, quam de nuptiis ſuis, repudiata Nicolaa, cum Beatrice Eugenii Leopoldi Santacrucii Comitis vidua celebratis, Pontificis Decreto firmandis Richelius injecerat, rurſus ad deteriora conſilia provolutus, totâ Lotharingia excidit, Gallis pervica-

(*s*) *Id. ibid. & Diſc. 6.* (*t*) Ult. *Dec.* 1631. *Eſclair ciſſem. ſur les Affair. de Lorraine. Caraff. Pars. 2. pag. 438. 493.*

vicaciã ejus cum gaudio habentibus, occaſionem 1646.
ſcil. juxta cauſamq; ſuppetentem, qua provinciam, rebus ſuis adeo opportunam, aut belli aut pacto- rum legibus, ſemper ex Ducum terris Juribusque aliquid decerpturis, ſuam efficerent. Ita terris ſuis ejectus, cum propius ab exule quam Prin- cipe abeſſet, Imperii atque Auſtriacorum fidem, ut Lotharingiam redderent, implorabat, cujus eripiendæ non aliam Gallo cauſam fuiſſe videri volebat, quam quod Cæſarum Domum tam con- ſtanti plus quam trium luſtrorum obſequio colu- iſſet; Gallorum ex adverſo curâ eò maxime verſâ, ut, Lotharingi rebus à communi pacis tractatio- ne avulſis, quibus vellent, conditionibus, cetero- rum patrocinio deſtitutum adſtringerent. Atq; is, oblato Monaſterii codicillo, Cæſarem Proceres- que Imperii neglectæ fidei, acerbè qvidem magis, quàm falsò, perſtringens, ſatis ſe mirari (u) poſ- ſe negabat, qua ex cauſa ipſe, ceteris qvibuscun- que pejꝰ habitꝰ, tractatione ſemoveatur, ad quam admitti, Cæſarei honoris, munerisque, & publici præſertim boni ratio expoſcat. Certè, commea- tum Gallis ab Imperatore præſtari, quem niſi pa- ria Lotharingo iſti faciant, ſeſe præſtiturum, Tra- ctatu Hamburgenſi conſtanter negarit, Cæſari indecorum; clientem derelinqvere, injuſtũ; de- niq; exemplo pernicioſum fore, Principem Cæſa- ri atq; Imperio fidum, neque alio, quam retentæ per-

Declaratio Lotharingi, circa Episc. Met. Tull. & Virodun. 19. Jul.

(u) *Lundop. Tom. VI. Lib. 3. c. 42.*

1646. pervicaciter fidei crimine, ſuis terris proturbatũ, pacificationis conſortio amoveri, qua ne ii quidem arceantur, qui; ſumtis in Cæſarem atque Rempublicam armis, optimo Civi ſi æquari, certè non præferri debuerint. At parum viſum fuiſſe, pacem ſine ipſo tractare, nî & in præjudicium illius damnumque ſanciretur. Verùm, non aliter ſcilicet publicæ quieti conſuli potuiſſe, niſi hoſtium libidini objectus, ſuisque in Metenſi, Tullenſi, & Virodunenſi ditione juribus ſpoliatus, propitiandæ Galliæ, ipſe victima immolaretur. At, ſi omnino pro Imperii ſalute quenquam cadere oportuerat, alium quendam alterius notæ Principem quærendum fuiſſe, cujus damno patria exitio defungeretur. Indigna nimiùm præmia exſolvi Domui, tot ſeculorũ officiis de Republica optimè meritæ. Meminiſſent Cæſar Proceresq; Gothofredi Bullionæi, priusquam in Palæſtinã proficiſceretur, Henrici IV. Imp. caſtra varia per bella ſecuti; Matthæi pro Friderico Rufo decertantis; obitæ à Rulfo in pugna Cretii pro Imperio mortis; meminiſſent pacatæ ab Antonio, cæſis & profligatis plus XXX cIↃ rebellantium agreſtiũ, Alſatiæ & Wirtembergiæ; pacis, Franciſci induſtriâ inter Carolum Imp. & Franciſcum Gallum Niceæ procuratæ, parisq; poſt officii à Joanne & Carolo præſtiti; Aut ſi omnino veterũ beneficiorum recordari moleſtum foret, non ſaltem eorum memoriã perderent, quæ noviter in Cæſaris Imperii-

periiq; emolumentum ipſe patrarit, qui tenerio- 1646.
rib9 adhuc annis jam ſuum in iſtos obſequiũ egregiis documentis teſtatus, adepto mox Principatu, milite proprio ære conſcripto, cohibito à Germaniæ limitibus Gallo, etiã Sveco, jam interiora aggreſſo, palmam extorſerit, inter Nordlinganæ victoriæ Authores atq; Actores anteſignan9, victorisq; ad Rheni & Danubii ripas inſignis; neq; aliã ob causã jam provinciis ſuis extorris, quam quod communem Imp. rem, innumeris hactenus ſumptib9, & plusquam CCIↃ. hominum impendio adjuverit. Verùm, ſi non officiorum Domûs Lotharingicæ, & ſingularium in Remp. meritorum, Juris tamen communisq; cauſæ hactenus ſaltem rationẽ haberent Imperii Ordines, ne in hoſtes prodigant, quæ illæsâ juſtitiâ, atq; integro honore, " & ſine præjudicio Sedis Apoſtolicæ, ſine perditi- " one Burgundiæ, magnoq; periculo Lucembur- " genſis Ducat9 toti9q; Belgii, & aliorum Imp. Sta " tuum, ſine manifeſta violatione publicarum le- " gum atq; Conventionum, extirpatione Domûs " Lotharingicæ, ſine deniq; evidenti certiſſimaq; " Reip. ruina alienari non poſſint. Juri certè Juſti- " tiæq; adverſari talem de alieno largitionem, ipſos Procerũ Legatos agnoviſſe, terras ad certos dominos ſpectantes absq; ſum̃a injuria auferri ipſis non poſſe, diſertè profeſſos, nunc tamen, cũ ad Lotharingũ deventum eſſet, ſuæ ipſorũ regulæ oblitos. Turpe quoq; Cæſari atq; imperio futurũ, Imperii

Jura

1646. Jura, legitimè ab ipſo poſſeſſa, ſine cauſa tolli, nominatim in Epiſcopatu Metenſi, cujus vaſallus ſit; Virodunenſi, cujus protector; in Tullenſi, ubi maximos reditus habeat; in omnibus, ubi titulo & dignitate Marchionis gaudeat. Neque id abſque Sedis Romanæ & Catholicæ religionis periculo fieri poſſe, cujus jam exemplum, invaſis à Senatu regio (*Parlamento*) Metenſi, Epiſcopatûs ſacrique ordinis juribus, Galli oſtenderint.
NB. Præſertim verò, qui ſitum & amplitudinem Metenſis Epiſcopatus non ignorent, facile æſtimaturos, Gallis illo potitis, etiam Burgundiæ, Lucemburgii, totiusqve Belgii commeatus, commercia, ipſas denique terras ceſſuras. Neque in leviori multum damno, damnive metu, ſi liberalitati iſti robur maneat, alios etiam non poſtremæ
NB. conditionis Proceres verſaturos, Bipontinum nempe atqve Birckfeldenſem Palatinos, Comites Naſſavios, Hanovios, Eberſteinios, Leiningios, Rheingravios, Salmenſes, alios, ægerrimè, nec ſine ultionis, quacunque occaſione expediundæ, ſtimulo toleraturos, ſi demptâ imminutâve, qua adhucusq; gaviſi ſint, libertate, Gallis addicantur, duriſſimæ ſervitutis jugum ſubituri. Ceterum, neminem facile latere, Conventione Norimbergenſi mutui auxilii neceſſitatem non Imperio minus atque Lotharingo impoſitam eſſe, Pragenſi poſtea Pace, & Comitiorum Ratisbonenſium Decreto magis adſtrictam, quibus nul-

lam

lam pacem accipiendam fore ſtatutum ſit, niſi & 1646.
Lotharingi incolumitati commodaturam. At
hiſce omnibus neglectis, extremum in caſum Ducem
dari, voraciſſimo Gallorum ſtomacho deglutiendum,
quorum ſcilicet potentiæ illum ſolum
ſuisq; tantum viribus relictum concedere neceſſum
ſit. Legem enim, ſi ad particulares tra-“
ctationes res rejiciatur, à validiori ſubeundam “
potius, qvàm tractationem pacis cum illo in-“
eundam fore. Cujus nempe pactio lex ſervitutis
futura ſit. Verùm, utcunq; Lotharingi perniciem
facile ferrent Germaniæ Ordines, ſui ſaltem
totiusque Imp. curam gererent, cui ſupremum
excidium intentent, qui Gallis iſtum terrarum
tractatum permittant. Epiſcopatum Metenſem
ad Rhenum usque protendi, cujus ſi ripam
Galli poſſideant, ipſum flumen, ubi occaſio tulerit
ſvaſeritve, tranſituros, occupandis vicinis
provinciis, quarum cupiditate jam diu laborarint.
Exſtructis nimirum, quæ jam animo chartaque
deſignarint, munimentis, non magis Electoribus
Rhenanis, ac aliis, quorum ſupra mentio facta,
Proceribus, ſuam libertatem illibatam manſuram,
arctiſſimis Gallicæ dominationis vinculis
conſtringendam. Inde ad ulteriora faciliorem
tranſitum fore. Neq; enim prius deſtituros Gallos,
qvàm nova ſemper acceſſione auctiores, cuncta
pervaſerint. Atque adeò, ſi publica ſalus
Ordinibus curæ ſit, de ejusmodi ceſſione iſtorum

NB.

Epiſ-

1646. Epiſcopatuum non cogitandum, ut potius recuperandis iis totidem in media Germania locupletiores provinciæ offerendæ, quam illi derelinquendi forent. Verùm Pacta Lutetiæ conventa à Gallis objici, quibus tamen, vi quippe atque metu expreſſis, vis ſua conſtare non poſſit, ſi Juri legibusque locus detur. Ducem quippe Regis literis, atq; Richelii blanditiis, & promiſſâ veniendi abeundique libertate illectum, Cæſare tandem atq; Cardinali Infante annuentibus, Lutetiam ingreſſum, iniquiſſimis conditionibus non concordiam, ſed ſervitutem paciſci, intentato libertatis ipſiusque vitæ periculo, atq; interclusa remeandi via, adactũ fuiſſe; quibus tamen, quamvis ſibi adeò commodis, ne ipſi quidem Galli paruerint, Marſaliam retinentes, quam ex legibus iſtis Duci reſtitui oportuerat. Hinc redintegrato bello ad novæ tractationis neceſſitatem rem rediiſſe, cui non alibi, quã Monaſterii in iſta Europæ celebritate, commodior locus, Neq; enim conſultum fore Duci, Legatos in Galliam mittere, ſuo exemplo edocto, quam ſecuri nihil aut tuti pro ſuis ſperare debeat, à quo ne ipſo quidem violentiam abſtinuerint, minorem certe Legatorũ, quam Domini, rationem habituri, ut adeo minus ad contractum ineundum, quam ad Judicium ſubeundum ituri iſti videri poſſent, hoſtium libidini atq; poteſtati objiciendi. Sinerent, niſi iniquiſſimi eſſe velint Galli, Carolũ eo ſaltem jure frui, quo Wirtembergio Duci, Marchioni

Anno 1641.

chioni Durlaceno, Landgraviæ Caſſellanæ, aliiſque Imp. ſuarum partium Proceribus, non in Cæſaris Aula, ſupremi quidem, & cujus imperio illi teneantur, Principis, ſed hoc in Conventu, rei ſuæ ſatagendæ facultatem dari flagitarint impetrarintque. Ceterùm conventionem quoque Hamburgenſem obtendi, at ejusdem cum Pariſina, cui innitatur, roboris; quamvis iſtâ ſilentio potius præteritus, quam expreſſa pactione excluſus ſit Carolus, hactenus ſaltem, quicquid etiam Hamburgi de ea re actum, ad commune Pacis negotium admittendus, ne inauditus indefenſusque terrarum juriumque ſuorum damno afficiatur. Nullam certè conventioni pacive vim eſſe poſſe, absque iis tractatæ confectæque, ad quos res ipſa, de quâ agatur, pertineat. Alioquin turbandæ perrumpendæque quieti, cuicunq; lubuerit, cauſam materiamque futuram. Addita commixtaq; Franciſci Virodunenſium Antiſtitis, ejusdem proſapiæ Principis, querela, inviti atque immerentis bona in alios transferri, arguentis, aliam quidem, ut dicebat, ſuſceptis pro conſervandis Cæſari atq; Imperio in iſto Epiſcopatu Juribus tot itineribus, periculis, ſumptibus, gratiam meriti, ſi aut juſtitiæ, aut gratitudinis cura eſſet. Sed non ideo à tractatione ceteri deſtitere, quam tamen, ne Duci Præſulique fraudi noxæve foret, Anthonius Rouſſelotus, utriusque Legatus, (u) publicâ con-

1646.

Querelæ Epiſcopi Virodunenſis.

(u) *Lundorp. d. Lib. 3. c. 45. & 46.*

1646. conteſtatione, inutilem, irritamque pronunciavit. Et quanquam eò benignitatis proceſſerant Galli, ut Duci (x) Lotharingiam offerrent, modo Nancejum deſtrui pateretur, ſprevere tamen Hiſpani conditionem, Gallis haud ſibi integrum eſſe regerentibus, locum præter cetera etiam ſitu adeò munitum homini committere, qui fidei nunquam conſtans, & offenſo in Gallos animo, altera mox, poſt quam recepiſſet, die, in ipſorum fraudem inimicorum uſui permiſſurus foret. Verùm hæc poſtea contigere. Nunc ad reliqua Gallorum deſideria, & de iis publicatum conſultationum ordinem, revertor.

Proteſtatio Lotharing. 2. Nov. 1646. Epiſcopi Virodunenſis.

XIII. Poſtulaverant iſti inter alia, *ut, qui in poſterum eligendi in Reges Romanorum, deſumi non poſſint ex familia Imperatorum regnantium.* Id quod, tanquam Septemvirorum eligendi libertati noxium, adverſum Aureæ Bullæ, & regnanti præſertim familiæ injurium, Catholici Evangelicique uno ore improbabant. Quàm enim injuſtum fore, Auſtriacæ Domus Principes, cujus odio atque imminutioni Gallorum petitum Pomeranus publico Senatu imputabat, Imperatoria dignitate ideo tantum ſubmoveri, quod per tantam annorum ætatem optime de Republ. merita, Turcarum impetum ſua fortitudine, cura, impenſis, Germaniæque Majeſtatem, conſiliis, ſolertia, opibus ſuſtinuerant? Neque eligendi libertati, aut anti-

Seſſ. 5. & Seſſ. 9. 1. & 5. Febr. ad Artic. 5. Svec. & Replic. Gall. Art. 9. Electio Regis Rom.

(x) *Memoir. de Monſ. D. p. 121.*

antiquo mori contrarium eſſe, ex una gente plures rei Romanæ imponi. Sic Henrico Aucupi Ottonem, Ottoni Primo ſecundum, ſecundo Tertium, poſt Conrado II. Henricum III. Tertio Quartum, Quarto Quintum, Quinto Lotharium ex Saxonicis Principibus, Friderico Rufo Henricum filium, Friderico II. Conradum IV. ex Sveviæ Ducibus; ex Habspurgiis Rudolpho filium Albertum, ex Bohemiæ Regibus Carolo Wenceslaum, mox Sigiſmundum ſubrogatos. Ponerent igitur Galli inutiles curas, neque libertatem eligendi interverterent, libertatis Germanicæ reſtituendæ & ſtabiliendæ plauſibiles voces jactitare ſoliti; præſertim cum de his negotiis melius atque rectius olim proviſum ſit, & quæ convertuntur, plerunque in deterius mutentur, præcipue apud Germanos, ubi plus valeant boni & antiqui mores, quam alibi bonæ leges. Scite magis & ad perſtringendum Gallorum ambitum, Cæſareæ dignitati diu jam inhiantium, Corvejenſis, ſi omnino Aureæ Bullæ legibus aliam addi Galli perſiſterent, hanc tanquam ſalubetrimam ſvaſit: *Rex Romanus ex ſolis Germanis eligitor.* 1646. Protoc. Monaſt. 11. 21. Febr.

XIV. Ita hic concordes in eo diſſentiebant, quorum judicium ſit, ſtatuere, quando vivo Auguſto Cæſarem ſuffici Reipublicæ expediat? Comitiorum quippe eam notionem eſſe oportere, Evangelici ex Principū Ordine affirmabant, quæſtionem hanc priori jam ſeculo, cum de Ferdinan- Vivo Imperatore.

1646. do Cæſare creando ageretur, Cadavi agitatam, atq; Pacta, in quæ Septemvirorum Principumque quidam conſenſerint, & Electoris præſertim Saxoniæ Joh. Friderici conſilia referentes, ut de Rege Romanorum ſuperſtite Imperatore deligendo præter Septemviros etiam ſex è Principum curiâ, ætatis veneratione ceteros anteeuntes, conſultationem inirent; acriter obnitente Pomerano, primum & præcipuum Electorum munus eſſe, inſpiciundi, quando novo Rege Germaniæ opus ſit. In TransactioneCadavienſi, utpote imperfecta, nihil momenti. Novam hanc, nulliq; ſive extero Principi ſive Imperii Civi prolatam hucusq; quæſtionem, & collidendis tantum Electoribus Principibusq; idoneam omittendam, aut ad Comitiorum Disquiſitionem ablegandam; increpito ideò à ceteris Evangelicis, Luneburgiis maxime, non inter Electores, ſed Principum Concilio, ſuffragia Pomeranum ferre, adeoque ex hujus dignitate utilitateq; temperanda clamitantibus. Defendit Pomeranum Auſtriacus, cum quo etiam alii libertatem ſuffragantium infringi agnoſcebant, ſi ad Principum libitum ſententiam dicere, ſuaque ipſe Jura impugnare cogeretur Septemvir, cui unius alteriusve terræ poſſeſſio in Senatu iſtorum locum tribuiſſet.

Seſſ. 18. 2. Mart. ad Cl. II. Punct. I. artic. XV. Ita diſceptatis, quæ Imperii Procerum Jura attingebant, ad propria Gallis Svecisq; deſideria proceſſere, accepta ſcilicet ex bello damna ſarciri,

ciri, ſecuritatique ſuæ conſuli expetentibus; ini- 1646.
tiò Osnabrugæ à Svecis capto, in honorem Oxen-
ſtiernii Salviique, qui iſta Urbe hærebant. At illis Svecio
quidquam deberi pernegabat Auſtriacus, damno- Satisfa-
rum potius reſtitutionem ab ipſis depoſcendam ctio Svecica.
dictitans, quorum arma tantam Germaniæ ſoli- Auſtrii
tudinem fecerint; niſi debitorum inopia juſtam ſententia.
alias actionem excluderet, cui integra ſolutione
tollendæ vix totus Septentrio ſufficiat. Infirmam
eſſe Svecorum rationem, quam ex cauſarum, qui-
bus bellum ſumſerint, juſtitia accerſant, majori
efficacia pro Cæſareis pugnaturam, niſi promo-
vendo negotio utilius ducerent, pacem tractan-
tes armorum cauſas ſilendo præterlabi. Non et-
iam decorum Svecis, aut excuſandæ cupiditati i-
doneum eſſe, Regis ſui obitam hoc bello mortem
referre, cui, omnem æſtimationis menſuram ex-
cedenti, nullum pretium ſtatui poſſe ipſi innuant,
neque negare queat, qui cujuscunque liberi, ſæpe
nullius pretii hominis, vitam inæſtimabilem legi-
bus cenſeri, didicerit. Contentos eſſe debere Sve-
cos acerbiſſimæ vindictæ ſolatio, ut qui defuncti
Regis manibus horrendis univerſæ Germaniæ cla-
dibus juſta perſolverint, & pro unius hominis fu-
nere totius fere Imperii funus reddiderint. Etiam
ipſi Guſtavo maximum illud, gloriæ ſcil., præmiũ
ſupereſſe, quam ſolam laborum atq; periculorum
incitamentum ſemper habuerint, quibus nobilior
ſpiritus generoſa pectora inſederit, quiq; famã in

P 3 poſte-

1646. poſteros præmia fortitudinis nunquam non cogitarint pulcerrima, Alexandri Magni exemplo, cujus optimam partem, proſperam nempe virtutum, rerumq; fortiter geſtarum memoriam, fatorum ſævitiæ ereptam, Hiſtoriæ æternitati tradiderint. Quin potiſſimum belli impenſæque operæ pretium ſe relaturos Svecos præ ſe tuliſſe, ſi Proceres recepiſſent, quæ adempta ſibi aut imminuta querantur. Deſtituros igitur immenſa iſta petitione, ſi conceſſo vexatis levamento, malis horum ſubventum fuerit. Quanquam poſtulati immanitas vix deliberationem admittat. Oram maritimam ad LXXII. milliaria ambitu ſuo porrectam, Sileſiam præterea ultra LX. milliaria protenſam, aliaque atq; adeo tertiam fere Germaniæ partem in mercedem victoriæ exigi. At toti Europæ periculoſum fore, ſi Balthici maris dominium Svecis, majora molientibus, permittatur. Nullam bellum incuſandi illis materiem eſſe, cujus occaſione non reſpublica tantum, ſed & privati milites, ad pingviorem fortunam per Germaniæ ærumnas pervenerint. Non ſe quidem inficiari, Tractatu Schœnbeckiano oblata eſſe Svecis, quæ pecuniæ impenſæ nomine redderentur, at aliam jam rerum conditionem, aliã Germaniæ faciem eſſe, cui, ſpretis iſtis conditionibus, tantam vaſtitatem induxerint, ut divitiis nummisq; prorſus exhauſtam eſſe ipſi fateantur, loco auri Provincias flagitantes. Darent Germaniæ Pacis uſus, cui pacem concedant,

imo

imo cujus quieti bellum hoc deſtinaſſe videri velint, neque armorum reliquias pacis nomine conſumerent. 1646.

XVI. At quamvis vere hæc dici ceteri (inter quos Evangelicorum pleriq; (z) jam Hailbrunnenſi Conventu de ſatisfactione Svecis caverant) non negarent, præſentem tamen Imperii ſortem in conſilio habendam monebant, Bojoarq inprimis, ſive patriæ miſeratione, bello ceteroquin perituræ, ſive Gallicarum partium ſtudio, quas foviſſe jam pridem ſuſpectus erat, Patronum retinendæ Electorali Dignitati & Palatinatui, minori jam in Auſtriacis ſpe, paratur us. Hi igitur novam quidem & inauditam Germanorum Comitiis, infauſtamq; relationem eſſe, qua de Imperio aliqua ſui parte mulctando rogetur, fatebantur; at Patriæ interitū quocunq; etiam iniquo pretio redimendum. De æquitate cauſæ tum quæſtioni locum futurum, ſi alio, quam armorū, Judicio lites iſtæ diſceptarentur: at bello agentibus Juſtitiam atq; æquitatem nomina validioris eſſe, & optimum judicari, pro quo Victoria pronunciet, à qua ex primo Decreto immiſſionem Sveci jam impetraverint. Majores eſſe illorum vires, quam ut inviti Germaniâ exigi queant. Parcendum ſangvini, nimiâ prodigentia plus ſatis effuſo, neq; cadaver Germaniā faciendam, cui aliqua adhuc vivendi ſpes ſuperſit, modo cum cura atq; apta manu tractetur. Con- Ceterorum.

 ſer-

(z) *Caraff. pag. 486.*

1646. ſervandam navim, quanquam luctuoſo, ſalubri tamen, quorundam bonorum jactu, quæ ſine certo vectorum naufragio retinere non liceat. Jam in Comitiis Ratisbonenſibus viſum fuiſſe, labantem impari bello Rempublicam oneri ultra ferendo non ſuffecturam. At quam deteriori conditione jam eam uti exiſtimandum? continuis integri luſtri miſeriis ex tempore iſto laceratam, auctis contra Svecorum rebus, unam victoriam alterius inſtrumentum habentium. Pacem reduci, potentiori expedire, imbecilliori neceſſum eſſe. Imperium Romanum corporis imaginem commoda nimiũ ſimilitudine referre, cui nervi inciſi omnem repugnandi potentiam adimant. Illuc modo curam vertendam, ut conditionibus, quantum queat, mitiſſimis tranſigatur, iis tamen auditis, quorum in cedendis Sveciæ Provinciis damnum verſetur.

Brandenburgii. Seſſ. 19. 1. Mart. XVII. Hos inter Brandenburgius, Pomeraniam Svecorum aviditati deſtinari deplorans, indignũ vociferabatur, tanquam belli Jure captam ab iis retineri, certa pactorum lege, certos in uſus, non in proprietatem, à Pomeraniæ Principibus permiſſam, Brandenburgios verò regione ſubmoveri, in quam ſuccedendi Jura multis bellorum laboribus impenſisq; Majores eorum paraverint. Turpe fore atq; ignominioſum, Nominibus atq; Inſignibus privari, quæ per tot ætates ſuo Jure uſurpa-rint. Neq; in ſolius Electoris Brandenburgii arbitrio ſitum, terris renunciare, in quas non agnatis tan-

tantum, ſed & Saxoniæ atque Haſſiæ Principibus 1646.
ſucceſſionis Jura competant, invitis non ſine injuria motuumq; periculo auferenda. Non etiam Pomeranos in commercio eſſe, ut retinentes alienari queant, ſui quondam Juris populum, & Germaniæ obſequium ſua ſponte eaq; lege indutum, ne invitus Republicâ abſtraheretur, cujus imperium non coactus ſubierit. Præberi occaſionem invadendæ Germaniæ, quisquis externorum Principum eam Provinciam, clauſtraq; terræ ac maris inſediſſet. Nunquam ceteris Brandenburgii aliorumq; Imperii Procerum terris fidam ſecuramq; quietis poſſeſſionẽ futuram, toties excutiendam, quotiescunque Svecis, Pomeraniæ Dominis, cum propinquo Polono Danove bellandi aut libido aut neceſſitas fuerit. Quin ipſam, ut expoſitum vicinorum contentioni Eridos pomum, continuam tumultuum materiem ſibi aliisq; præbituram. Ablatâ Electori Pomeraniâ, munimentum ſuæ ſecuritatis deſtrui, cujus ruina & ipſum concidere neceſſum foret. At ingratum divinæ benignitati futurum Septemvirum, ſi conceſſum à Numine beneficium abdicaret. Et quanti huic in eo momenti ſit, Oderæ fluvium atq; ipſum mare liberum ſibi ſervari, neminem dubitaturum, cui fluminum navigia patientium marisq; commoda nota ſint. Satis jam damni per viginti annorum clades, ereptum Ducatum Jegerndorffium, translatum aliam in domum Magdeburgi Archiepiſcopatum,

Q 5 &

1646. & detentas alieno Poſſeſſori Pomeraniæ terras perpeſſos Brandenburgios, malorum iſtorum tolerantiâ non meruiſſe, ut totâ & duraturâ Pomeraniæ jacturâ plecterentur. Neque belli Jura titulosve valide à Svecis allegari, fœderis (*y*) inter Guſtavum atque poſtremos Pomeraniæ Duces initi beneficio illâ receptis, quod in Brandenburgiorum necem protendi non debeat. Securitatem Svecorum, poſtulato prætextam, mutua vicinorum benevolentia firmiſſime muniendam, in contrarium ceſſuram, ſi ablatis legitimis Dominis integris regionibꝰ, perpetuo eorum metu agitentur, quos nulla Juris honeſtatisque cura tam proterve offenderint. Ceterum non eam ſibi mentem eſſe, Svecis, ſatisfieri ſibi petentibus, omnino adverſari, modo non ſolius Brandenburgii impendio tranſigatur. Si navis levandæ cauſa jactus faciendus ſit, ad L. Rhodiæ præceptum non unius alteriusve tantum vectoris damno reliquorũ merces ſervandas eſſe. Ne decernerent igitur Procerũ Legati, quod in ſe ſtatui iniquum putarent, eamq; peregrinorum curam haberent, qua non ſocium atque popularem peſſundent.

Fœdus, Stettin. 10. Jul. 1630.

Satisfactio Gallica.

XIIX. A Svecis ad Gallos tranſitum, quibus non magis ac iſtis quidquam dandi obligationem Imperio impoſitam Auſtriacus diſſertabat, nulla neque promiſſione neque delicto contractam. Gallos ſuâ ſponte & à nemine laceſſitos belli diſcri-

(y) *Cujus leges exhibet Caroff. p. 415.*

ſcrimen adiiſſe, eorumque Legatum conſternatos 1646.
clade ad Nordlingam accepta Evangelicorum animos ea oratione Francofurti erexiſſe, quod Regem ſuum promiſſas pecunias, nullo ipſorum diſpendio exſolutorum diceret, retento tantum in belli opportunitatem Philipsburgo, & ipſum tamen, ut & alias quasq; Urbes locaq;, inter quæ Briſacum nominatim compellaverat, nullo ceſſionis pretio redditurum, qvàm primum bellorũ curas reductæ pacis tranqvillitas ſubmoviſſet. Et ſuo quidem, quem obtendant, timori optimè conſulturos illos, ſi Germanorum animos beneficiis ſibi atq; amore devinciant, quos ereptarum Imperio terrarum dolore infeſtos habituri ſint. Vulgo Gallorum Annalibus ſermonibusque ferri, ſola gloriæ cupidine ſe accenſos, quotiescunque Italiæ Principibus opem præſtitiſſent, pace nullâ refundendorum ſumptuum conditione oneratâ gratisque reſtituiſſe, quæ armorũ virtute occupaverant. Pari igitur humanitate erga Germanos quoque, Italis non indigniores, uterentur. At Tirolenſibus Principibus, ipſo impuberis ætatis favore miſerandis, adimenda Gallis depoſci, nullum ob crimen, ſed Auſtriaci nominis invidia, & Cæſarum propinqvitate monſtratis. Ita Prædones audituros, qui Defenſorum nomen ambierint; dato ſemel exemplo, Germaniæ libertatem prætendi, intendi ſervitutem. Et quidem ſecuritatẽ hanc Gallis quæſitam ſummo Germaniæ periculo conſtituram,

1646. turam, apertis conceſſa Alſatia foribus, quibꝰ eâ, quoties lubeat, incurſent, docti ſtruere cauſas, aut forte oblatas arripere. Argentorato præſertim terrore ſuo incubituros, poteſtate adepta, qua Rheni, Ileræ, Preuſchiæ atq; Kizingæ fluviorum uſu, illam prohibeant, ſi petitis ſæpe immodeſtis annuere recuſet. Libertati quoq; urbium Hagenavienſis Præfecturæ ſuprema imminere, ſi Gallum vicinum ſortiantur. Neq; Electores Principesq; Rheni præcipue accolas, â metu aut ſollicitudine vacuos, & Belgas tantam ambitioſæ gentis potentiam cum formidine habituros, quibus domitis fractisve univerſæ Europæ nimias illorum vires moleſtasq; futuras. Coalita ſcil. tot incrementis potentia, diſpecturas Gallias, quem virium ſuarum terminum velint. Et quidem quo evaſuræ ſint, ni cohibeantur, vaſtæ Gallorum cogitationes, è verbis conſpici, quibus ad oblatos Metis, Replic. Gall. art. 19. Tulli, atque Viroduni Epiſcopatus, *illa ab antiquo jam ad Galliæ Regnum pertinere*, aſſeverare auſi ſint. Non Franconiã ſcil. modo Tractumq; Rhenanum, ſed totum Imperiũ, Carolo magno regnatum, *antiqui iſtius Juris* prætextu olim vindicaturos. Iſtiq; fundamento inniti, quod Lotharingiæ Ducem tractatibus his, atq; Cæſarem & Imperiũ res ejus curandi facultate excludere pergant.

XIX. In eundem fere ſenſum Monaſterii Wolkenſteinius Comes nullas Gallis irarũ cauſas fuiſſe affirmabat, Pace quippe Ratiſbonenſi, Clæraſci po-

poſtea confirmata, ſublatas. Neq; Galli operâ implorâſſe Germaniæ Proceres, obtrudi ſibi eam tantum paſſos fuiſſe. Feuqvierium Galli Oratorē publico ſermone Francofurti conteſtatum, nunquam recuſaturum Regem ſuum, quo minus Pace revocatâ redderet, quæcunq; ex Trevirenſi Spirenſiq; ditione, atq; Alſatia inſediſſet, neq; aliud, quam gloriæ libertatis Principum *regio & heroico animo* protectæ, præmium petiturum. Secuto proximè anno, cum ob cæſum ad Nordlingam exercitum militem ſuum Alſatiæ tuendæ impoſitum revocare cogerentur Sveci, loca, qvæ iſthic tenuerant, Colmariam nimirum, Scletſtadiū, Turkemium, Cæſareomontem, Monaſterium S. Georgii in valle, ſuperius Ebenhemium, urbes Imperii quidē libertate gaudentes, Auſtriacæ tamen Domui Præfecturæ Provincialis ratione aliquo modo obnoxias, ut & Enſishemium, Terrium, Polvilleriam atq; ſuperius Landsbergium, cuncta Auſtriacis ſubjecta, ea lege Gallis tradidiſſe, ut compoſito bello ad ſuum quæque Dominum reverterentur. Eodemq; anno novo fœdere (z) Lutetiæ cum Rege conventum fuiſſe, ut bellū Imperatori movendum ſuis ſumtibꝰ ille toleraret, abolita obligatione,

1646.
11. Jun. 1634.
8. Oct. 1635.

(z) *Art. 12. Le Roy promet de bonne foy, de retirer ſa gvarniſon de Briſac, & d'autres lieux ſurdits de ſa & de la du Rhin, ſan ſaucune reſtitution des frais, pour en eſtre diſpoſe, ſe lon qû l'en ſera contenu de la Paix generale.*

1646. ne, quâ in ſingulos menſes certam pecuniæ ſummam Proteſtantibus expendere tenebatur, &ut Briſacum aliaq;, non penſatis ſumptibus, ad Germaniæ obſeqviū, reſtitutâ pace, redire pateretur, quæ Gallorum armis domari contingeret. Oblatam conditionem cedendorum in Metim, Tullum & Virodunum, tum Moyenuicum & Pignerolam Jurium ad Imperium ſpectantium, adſpernatos Gallos, tanquā concederentur, quæ jam ab antiquo obtinuiſſent, quibus tamen *non alia poſſidendi cauſa ſit, quam quia poſſideant,* illæſis Germaniæ Juribus, quæ vel pactorum, cum Galliæ Regibus initorum, cautione retinuerit. Et comprobaſſe ea nuperis Comitiis Franciſcum Lotharingum, Virodunenſium Epiſcopum, non ſe minus, quam Anteceſſores ſuos, Imperii Majeſtatem in *civilibus* conſervare teſtatum. Fruſtra quippe fuiſſe Franciſcum II. Carolum IX. & Henricum III. Galliæ Reges, civilia iſtius Epiſcopatus Jura ſibi acqvirere, modo aperta vi, modo occul-
Anno tis artibus conatorum. Qvin qvòd Legatis quon-
1559. dam, ab Imperatore atq; Imperio hac de cauſa ad ſe miſſis, Gallus Epiſcopatus hos Germanici Juris, neque animum ſibi retinendi eſſe, aliquando fuerit profeſſus, animum ſuum proximis Comitiis apertius ſe expoſiturum pollicitus. Ludovicum demum Virodunum armis aggreſſum, arcemqve ibi molitum, precibus tamen Epiſcopi, ut cœpto deſiſteret, ſe daturum promiſiſſe; at mox tempo-
rum

rum opportunitate abuſum, reſumto perficiundi 1646.
munimenti conſilio, Imperii inſignia, quibus qvaliscunque Majorum modeſtia ad eam usque diem abſtinuerat, portis urbis detracta, pedibus proculcari paſſum, reditus Epiſcopo debitos fiſco addixiſſe, conſtituto quoque Meti Tribunali, cujus notioni ſubjacerent, quæcunque tribus iſtis Epiſcopatibus judicationem expoſcerent. Eadem tamen, quæ in Svecorum cauſa plerosque Legatorum Oſnabrugæ commorantium cenſuiſſe memoravi, iisdem hîc quoque repetentibus, decretū, ut omiſſa de obligatione quæſtione, (quam Monaſterienſes omnino adverſantes ultra conceſſa quid largiendum negabant,) quàm commodiſſime poſſet, negotium perageretur.

Satisfactio Caſſellana.

XX. In Regiorum appendicem de Caſſellanæ Landgraviæ votis conſultatum eſt, cujus Legatus Reinhardus Schefferus, exhibito ſupremis prætetiti anni diebus (*a*) libello, communem reducendæ pacis, qua reliqua Germania pacanda eſſet, fidem ſibi non ſufficere cauſatus, peculiari modo à Cæſare atque Republica ſibi caveri flagitaverat, non Domum tantum Caſſellanam, ſed & qvavis de causâ ipſi ſociatos, ſecurè gaviſuros quibuscunq; beneficiis, Imperii legibus, atq; Auguſtana præſertim pace, quam ad Reformatos quoque pertinere affirmabat, cuique conceſſis, & præſenti Tractatu largius explicandis. Aſſenſum præterea

28. Dec. 1645.

(a) *Lundorp. Tom. V. Lib. II. c. 116.*

1646. terea ab Imperatore commodandum Primogenituræ Juribus inter Haſſiacos Principes placitæ, aliisque ſucceſſionum fœderumque pactis, iis reſciſſis, quibus cum Darmſtattina Domo de Marburgenſi ditione conventum eſſe iſta vulgaverit. Et quoniam omnia ad principia Anni M.DC.XIIX. revocari æqvum cenſeatur, juſtum quoque fore, ut terræ, ad Ludovici Senioris hereditatem ſpectantes, aliaque iſto adhuc tempore Caſſellanis poſſeſſa, penes eos maneant, quibus nullo Jure aliquando erepta fuerint; reddendis etiam perceptis fructibus, illatisque damnis penſandis. Liberandam contra Caſſellanam Principem fori moleſtiis, quæ à Waldecciis Comitibus aliisque, inflicta ſibi ab Haſſiacis militibus mala ſarciri petentibus, illi impendeant. Cetera notum eſſe, quibus Ligiſtarum injuriis irritata Caſſellana Domus tuendæ ſaluti capeſſiverit arma, quam ſummis ſumtibus expedire coacta fuerit, ſupremo jam caſui propinquam, tanta adverſi militis populandi vaſtandique cuncta ſævitiâ, ut, præter Caſſellam atque Ziegenhainium, nulla fere in inferiori Haſſia urbs reperiatur, quam non ignis militari petulantia immiſſus extremam in cladem adflixerit, quibus in Moguntinenſi, Colonienſi, Paderbornenſi, Monaſterienſi, Fuldenſi atque Corbejenſi diſtrictibus reponendis, quanquam viribus non defecerint, humanitate tamen abſtinuiſſe. Immoraturam igitur Landgraviam

hoſti-

hoſtium locis armis ſuis occupatis, donec militi ſuo ſtipendia ſolvantur, ſibique de damnis toleratis ſatisfiat, quæ ad multarum myriadum ſummam accedant. 1646.

XXI. His Cattorum poſtulatis in Senatu Principum Oſnabrugæ expoſitis, omnibus fere viſum, ex communi partim tractatu ea ſuſpenſa eſſe, partim peculiari conventione indigere. At militi ob navatam Imperii civi contra ſummum Principem atque Rempublicam operam ſtipendia præmiaque ex publico perſolvi, indecorum. Neque Darmſtattinus adverſabatur, quo minus communi quiete etiam Caſſellani donarentur, aliaq; adipiſcerentur, commoda illis, modo Darmſtattinæ Domus incolumitati non adverſa. At juratam pactorum inter utramque Haſſiæ Principum familiam conventorum fidem perrumpi, & contra illorum formulam agrum Marburgenſem in Caſſellanos transferri, non iniquitate magis probroſum, quam exemplo noxium clamitabat. Quantæ enim impietatis, violatâ ſacramenti religione, quæ tot Principes, iisque feudi conditione obnoxios Comites, Barones, aliosque Haſſorum Principatui ſubjectos obligaverit, Dei, quem ſervandæ fidei teſtem, &, ſi fallerent, vindicem acciverint, Majeſtatem illudere? quam irreverentiam integrarum ſæpe Rerumpublicarũ interitu expiatam multis nimium exemplis doceri. Neque inultam ſe paſſurum nominis ſui ſanctitate abuten-

Procerum de ea ſententia.

Darmſtattini.

1646. tium proterviam, congrua ſeveritate acerbisque interdictis ipſum minatum; cujus flagitii ſocietatem etiam iſti contrahant, qui admittant exemplum, & quieſcendo crimen efficiant. Caſſellenſium exceptionem, vi metuque iſti transactioni ſe adactos objectantium, ipſa rerum geſtarum luce refelli. Neque enim vi Darmſtattinis opus fuiſſe, ipſo Teſtamenti Jure ſatis inſtructis, ex quo terræ iſtius hereditatem adierint; qva poſtea injuſta Mauritii Caſellani poſſeſſione detenta, legitimam Juris viam ingreſſos, ad Cæſaris, ſolius harum litium Judicis, Tribunal qveſtus ſuos tuliſſe, qvi poſt quatuordecim annorum moras
Anno 1623. Comitiis tandem Ratisbonenſibus unanimi Procerum ſuffragio pro æqviore cauſa pronunciaverit, mandata Colonienſi Septemviro executione, ad modum Imperii Legibus præſcriptum, nullo fuſi ſangvinis aut uſurpatæ violentiæ incommodo eà perfuncto. Tum demum militem Cæſaris imperio immiſſum, cum fructuum liquidorum executioni vim ſuam Mauritius oppoſuerat, externasq; opes moliri deprehenderetur. Gvilielmum tamen regimini poſt Mauritium admotum, animadverſa Darmſtattinæ cauſæ juſtitia moderatiora meditatum, ſumpto petendæ transactionis conſilio, poſtquam impetraverat, ut Cæſaris etiam conſenſu ea firmaretur, viginti & trium Principum precibus tandem obtinuiſſe. Accitum poſt ab eo Georgium Darmſtattinum, Caſſellam nullo

lo milite circumdatum intraviſſe, ubi Jure juran- 1646.
do conventionem tum ipſi Principes, tum ſubditi ipſorum, firmaverint. Iniquiſſimum igitur, bonis fido Imperii Civi atq; obſequii conſtanti ablatis, eos mitigare, qui ſuis non contenti propinqvorum ſpoliis inhient. Injuſtum juxta atq; exemplo perniciosum, neglecta pactorũ religione, quâ ſola fere Reſp. contineantur, ipſam humanæ ſocietatis arcem irrumpere. Accommodaturos ſibi iſtud perfidiæ ſpecimen, quibus conducat, & fore hoc quoq; in his, quæ mox uſurpentur. Advertiſſe id defunctum Brandenburgium Electorẽ, ideoq; Legatis ſuis Francofurtum miſſis ſeverè prohibuiſſe, ne cauſæ huic immiſcerentur; neq; enim ulli contractui robur manſurum, ſi pacta tam religiosè ſancita violarentur. Neq; multum temporis abiiſſe, ex quo arma ſua ab hac re diverſâ profeſſi Caſſellani, transactioni ſe ſtaturos promiſerint. Poſt hæc in lamenta effuſus, ob iſtorum in Darmſtattini ſubditos violentiam, quos ſacramentis invitos & perjurii neceſſitatem deprecantes adigant, fractæ pacis publicæ actionem Landgraviæ intentabat, cui neq; Galliæ neq; Sveciæ Legatos interceſſuros credat, utrisq; teſtatis, nullam ſe Georgio Principi moleſtiam hac de cauſa illaturos, quam ſuam non facere Guſtavus propriâ manu affirmaverit.

XXII. Hæc res admonet, ut de cauſis exorti inter Haſſiacos Principes certaminis, & quo modo illud — Origo Controverſiæ

R 2 illud

1646. illud in tantam acerbitatem duraverit, curatius diſſeram. Philippus Haſſiæ Landgravius, (*b*) geſti cum Carolo V. Imp. belli memoria celebris, retinendæ filiorum, quos quatuor habuit, poſterorumq; concordiæ, familiæ erciſcundæ controverſiis facilime concutiendæ, vitæ conceſſurus ampliſſimarum, quas ſolus à Parente acceperat, Provinciarum hereditatem in XII. uncias, at imparibus portionibus, ita diſtribuit, ut Gvilielmus Caſſelanus ſemiſſem, inferiorem nempe Haſſiæ Principatum, & meliorem Ziegenhaynenſis Comitatus partem, Ludovicus Marpurgius tres uncias, Tractum ſcil. ad Lanum cum Niddæ Comitatu acciperet, Philippo Rheinfelſio atq; Georgio Darmſtattino, utriq; dimidia quadrantis, iſti nempe inferior, huic ſuperior Cattimeliboci Comitatus partes adſignatæ. Adjecta extremis tabulis verba, quibꝰ ad ſucceſſionem coheredũ ceteri vocabantur, ſi qui iſtorum ſine maſcula prole decederent. Primus caſui locum aperuit Philippus Rheinfelſius, qui, absq; ſobole defunctus, parte ſua reliquos auxit. Hunc proximè inſecutus Ludovicus Marpurgius, acerbiſſimæ liti materiem præbuit. Is Mauritio Gvilielmi Caſſellani, & Ludovico, Friderico atq; Philippo Georgii Darmſtattini filiis, utrisq; ex ſemiſſe in ſtirpes partiunda heredibus ſcriptis, hereditate arcendum edixerat, ſi quis ipſorum aut ſupremo ſuo juſſui, aut receptæ religio-

Marpurgenſis.

1567.

(b) Freyberg. *Part. 3. Diſc. 7.*

gioni quid adverſum auſurus foret. Neuter legi paruiſſe videbatur. Mauritius, ejurata Auguſtana Confeſſione, Reformatorũ ad ſacra transgreſſus; Darmſtattini, ſemiſſe haud contenti, dodrantem vindicantes, utriq; hereditate, ſi teſtatoris mandata ſpectarentur, exciderant. Delecti, more domus, utrinq; arbitri, qui de cauſa cognoſcerent. Verùm Darmſtattini, ſpretâ iſtorum ſententiâ, Cæſarem adiere; qui fidam ſibi domum magis obſtricturus, & acuendis Georgii ſtudiis in perſvadendo ſocero Saxone, quo is translato in Maximilianum Electoratui adſenſum commodaret, ſecundum Darmſtattinos litem dedit. At Caſſellani, judicem ſibi minus æqvum cauſati, cùm adverſam partem Imperatoris favore ſubniti cernerent, ipſi externas gratias opesq; circumſpectantes, in Gallos Svecosq; incidêre; qvi omnes, quicunq; Cæſarem odiſſent, obvio affectu amplexi, quascunq; belli in eum cauſas promptiſſimo animo accipiebant. Et pronior faciliorq; in Cattos benevolentia, quos, ut augendæ in Cæſarem magis invidiæ commodos, ita viribus non ſpernendos, eoq; conatibus ſuis opportunos, judicabant. 1646

XXIII. Ceterùm Monaſterii quoq; relatione de his Cattorum poſtulatis factâ, acerbius pleriq; de iis cenſuere; Paderbornenſis imprimis, jactis in Ligiſtarum truculentiã probris, Colonienſem etiam Electorem peti, ægre tolerans, (is tunc Paderbornenſis Antiſtitis dignitate magis, quam emo-

Protoc. Monaſter. 21. Mart. Catholicorũ Monaſterienſium Querelæ contra Caſſellanos.

1646. emolumentis potiebatur, quæ tota fere Catti ſibi rapuerant,) à Bohemicis motibus ſermonem exorſus, Chriſtiani maximè Brunſvicenſis, & qui pari Catholicæ Religionis odio flagraverant, vicinorum violentiâ arma Paderbornæ, Monaſterii, aliisque Septemviro obnoxiis terris illatas memorabat; donec, tota inferiori Saxonia igne iſto correpta, Danicum tandem bellum exarſerit. Nihil tamen moviſſe Septemvirum, tum demum ad arma atque Ligiſtarum opes reſpectantem, cum Chriſtianus Eccleſiaſticorum hoſtem (der Pfaffen Feind) ſe publica nummorũ inſcriptione profeſſus, atq; in omne fas nefasq; avidus, & non ſacro, non profano abſtinens, occupato Paderbornenſi agro, Monaſterii quoque atq; Coloniæ regiones infeſtaret; Mansfeldio præſertim ex Palatinatu profugo, tota belli mole Weſtphaliam onerante. Tuliſſe quidem ſuas quoque moleſtias Cattos, cum Tillius inferiorem Saxoniam atque Weſtphaliam Cæſareo milite inſideret; at exſtare adhuc in Septemviri Tabulariis literas, quibus doceri poſſit, quanto magis Landgravii Gvilielmi, filii loco habiti, quam ſui curâ egerit Elector, hoſpitiorum incommoda ab iſto ſæpius, quam à ſeipſo, deprecatus. Et ſupereſſe adhuc apud Tillium epiſtolas, quibus ob beneficia in ſe collata gratiam Mauritius, Gvilielmi pater, habuerit. Cetera injurios eſſe, qui Haſſiã ulteriorem à ſacri fœderis milite incendiis, ſimilisqve inſolentiæ cladibus ad-

adflictam criminentur, ſanctius plerunque atque innocentius, quàm ſubjectas Septemviro terras, habitam, apud quē ſemper minori ſupplicii metu peccaverit. Qvin fuiſſe ex iſto exercitu Tribunos militum, qui, cum reponendæ Cattis igne flammaque ſævientibus injuriæ pari crudelitate graſſari juberentur, abnuerint, non facularum ſed gladii operam ſeſe addixiſſe, & militia potius abituros, quam incendiis, Prædonibus ſolitis, ſervitium commodarent, dictitantes. Neq; in Ligæ militem eorum invidiam transferendam, quæ à Polonis, Croatis, aliisve, ſolito inter milites agricolasq; odio, inhumana ſatis ſæpe patrata ſint. Et ſi quæ adverſa evenerint, unà cum Ligæ atq; Unionis nominibus Pragenſi pace obliterata, aut amneſtiâ, quam quidem Evangelici maxime Cattiq; urgeant, obliteranda eſſe, quanquam graviſſimis injuriis damnisque Septemvirum ab iis adfectum, vix ipſi inficiaturi ſint, qui terras ejus ab externo Rege, inſigni Reip. Germanicæ ignominia, feudi nomine acceptas, omni crudelitatis genere vaſtantes, tantum non ſolitudinem fecerint, ſpretis ampliſſimis conditionibus, recuperandis illis ab Electore oblatis, adeoque odio pro gratia reddito, quam lætioribus per oras iſtas Cæſaris armis, à quibus ſecuritatem Landgravio non munimenta ejus ſatis præſtabant, incolumitate illius Gœzio, Cæſareis copiis moderanti, commendatâ, meruerat. Sua quoq; mala à Cattis inflicta Ful-

1646.

Anno 1642. 1643.

1646. denſis enarrabat, qui, Cæſareis prælio ad Lipſiam profligatis, Tribuni Uslarii ductu Abbatiā ingreſſi, XLVIIICIↃ. thaleris, redimendis incendiis, eam emunxerint, continuis inde hoſpitiorum ſimilibusque moleſtiis vexatam, donec Anno CIↃ. DC. XXXII. profeſſos hoſtes, nulla Præſulis culpâ, agentes, occupato Fuldenſi Principatu, ſubditos ſacramento ſuo adigerent, ſupellectili quoq; Abbatis multa aureorum millia ſuperante direptâ, atque Caſſellam translata, & ultra ſolitos reditus, ter millibus florenorum ſingulis hebdomadibus Tributorum (contributionen) nomine exactis. Et cum, verſa ad Nordlingam partium fortuna, Cæſareanis loco cedere cogerentur, ne tunc quidem incurſationibus atque populationibus abſtinuiſſe, & iſtis rurſum emigrantibus, tanquam injuriam accepiſſent, ſæviſſe atrocius.

Gravaminum Tractatus.

XXIV. Interea Evangelici, ne alienam utilitatem tractando propriâm negligerent; lites ſuas cum Catholicis convenienti ratione tolli urgebant, non repugnantibus Auſtriacis, qui eos commoda transactione propitiatos pacis à Regis mollioribus legibus impetrandæ conciliatores ſuperabant, in diverſum, qvanquam fruſtra, tendente Bojoaro, externas cauſas prius peragendas prætexente, quibus pacatis facilior de internis tractatio foret; at verâ causâ, (ut publica mala ſingulis in occaſionem gratiæ trahuntur,) quo Reges votis ſuis haberet proniores, quando ſatisfieri ſibi petentes auctoritate ſua Suffragioq; juviſſet.

XXV.

XXV. De mediis igitur, quibus qveſtibus ſuis ſubveniri poſſet, conſultantes Evangelici, in iſta (c) conſenſere, ut ſacra *immediata*, quæ vocant, Bona, ſive Evangelicis ſive Pontificiis erepta, redderentur, quæcunque Anno M. DC. XIIX. pars quæqve poſſederat, illibatâ Canonicis eligendi facultate, & Imperatori precibus primariis, in ſolius tamen Evangelici favorem apud Proteſtantes valituris; ceterum nulla Pontificibus Romanis arrogata Menſium Papalium, Palliorum, aliorũve nominum Jura toleraturos. Præſulibus Evangelicis eadem ſuffragiorum in Comitiis poteſtas aliaque dignationum, quæ Catholicis ipſorum Anteceſſoribus, tribuerentur; Epiſcopo Pontificio, cum toto Collegio aut potiori ejus parte ad Auguſtanam Confeſſionem tranſituro, mutandi publici cultus facultas permitteretur, integris Ordinum cujusq; Provinciæ aut Epiſcopatus hanc in curam priſco forſan more vocatorum privilegiis; ſin ſolus, paucive, integra quidem Epiſcopatui priſtina religione, de dignitate tamen nihil deperderet, ſacra ſua Aulæ cujusque delubro celebraturus, qui ubi fatum expleverit, ſive Lutheranum ſive Catholicum creandi cooptandiq; arbitrium penes Collegium foret; eaque conditione Evangelicorum quoque Epiſcopatus uſuros. Eccleſiis, quas dicto anno utriusque Religionis Canonici coluerint, eandem temporis regulam applican-

1646. Media Evangelicorũ, circa Reſervatum Eccleſiaſticum.

(c) *Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c. 30.*

1646. dam dicebant, ita tamen, ut cuique alterius Religionis eligendæ, nullo muneris honorisve amittendi metu, libertas permitteretur; in demortuorum verò locos adſumerentur eosdem cum defuncto ritus profeſsi. Et ne plurium utilitati proviſa pauciorum avaritiæ cederent, non niſi unius Epiſcopatus aut Beneficii gratiam uni homini faciendam. Quod in Auſtriacæ Bavaricæque Gentis invidiam additum, multis Epiſcopatibus ſibi vindicatis, ad nimias ceterisque ſuſpectas opes graſſantium.

Oblata Svecis. XXVI. Hæc ſcripto comprehenſa Oxenſtiernio atque Salvio primum obtulere Evangelici, (qui, quanquã rerum ſuarũ ſatis providi, Svecicis tamen conſiliis utebantur, augendo favori, & ne poſthabiti iſti contumelia incenderentur,) ut, quæ in rem ipſis viderentur, monerent. Iique abolendo Reſervato Eccleſiaſtico extrema ſvadentes, objecta tamen pacis neceſſitate leniti, placitos Evangelicis modos componendæ huic controverſiæ Catholicis edi admiſere, ut tamen integrum ſibi eſſet, illis inſiſtere, quæ ex lite iſta ſua intereſſe putarent.

Cæſareis. XXVII. Hæc una cum mediis ſcripto, ut diximus, conſignatis Trautmansdorffio ferentes Evangelici, adverſo vultu excepti ſunt, Svecorum vi Proteſtantium conſilia propelli exprobrantis, cui contrarium robur quærendi etiam Catholicis neceſſitatem facturi eſſent. Mollius tamen Svecorum

corum patrocinium interpretantibus iſtis, Trautmansdorffius quoque mitiora reſpondit, ſuam ad conficiundam rem curam iterum pollicitus. Moderata modo conſilia non hac tantum, ſed & reliquis in cauſis, capeſſerent Proteſtantes, neque iis duriora, quæ Francofurti aliquando placuerint. Reverſos quoque, de mente Collegarum in ceteras etiam controverſias remedia promendi relaturos, maturarent cœpta, hortatus eſt, ſibi curæ fore, ut non Paſcha citius, quam aut Pacem, aut proximam ſaltem Paci fiduciam Germania habeat. 1646. Anno 1631.

XXIIX. Paruere Proteſtantes, exhibito alio, adſentientibus Svecis, (*d*) libello, quo modos tollendis, quæ recenſuimus, litigiis complexi erant, eadẽ ferè, quæ nuper, aut, ut multis videbantur, acerbiora. *Mediata Bona* quacunque Anni M. DC. XIIX. parte ſibi poſſeſſa repetebant, prohibita diſceptatione, an Ditioni ipſorum exemta, aut aliorum Procerum obſequio tenerentur. Ea quoque ſibi relinqui poſtulabant, quæ Majoribus ſuis à Cæſaribus pignori data; concedenda contra Imperii Urbibus facultate, nexu eo ſeſe exſolvendi, quo libertatem ſuam aliis obligaverant. Pacis tamen deſiderio Catholicorum ritibus atq; adminiſtrationi Cœnobia ſe relicturos promittebant, quorum poſſeſſionem dicto adhuc anno in Proteſtantium terris illi habuerint, modo non aliarum Religionum ſectatores (Ordens-Leute), Jeſui-

Media Evangelicorum circa 2. Mediata bona Eccleſ. Reichs Pfandſchaften.

(d) *Lundorp. d. c. 30.*

1646. Jeſuitæ præſertim, ea invaderent, quam quorum uſibus à Conditoribus illorum dedicata ſint. Ceterum Electiones in iis rite peragendas, cui officio ſi Cœnobitæ defuerint, Evangelicis Proceribus idoneos in demortuorum locum ſubrogandi fas futurum; Religionem mutantes, eodem, quo in immediatis Eccleſiis, Jure habendos; Mixtorum quoque (ita vocata, quæ Catholici Evangelicique ſimul habitabant) ſimilem cum iſtis conditionem, ſupremâ illorum omnium curâ, inſpectione, atque Jurisdictione Proteſtantibus, quorum in ditione eſſent, ſervatâ.

(3) Avtonomiâ Subditorum. Præterea Evangelicis, Catholicorum regimini ſubditis, templa, ſcholas, aliaque eo ſpectantia reddi flagitabant, à tempore conſtitutæ Auguſtanæ Pacis ipſis ablata. Numinis etiam honori profuturum oſtendebant, religionis uſum iſtis quoque dari, quibus nondum conceſſerint Catholici, crimine ceteroquin impediti divini cultus in iſtos recaſuro, qui denegaverint. Privatis tamen ſacris Pontificios non niſi ſumma impietate interdicturos. De civili etiam iſtorum hominum libertate Juribusque, primis poſtulatis inſtitere.

(4) Reditus. De Reditibus quoque paria prioribus repetebant, adjecto, ne ab Evangelicis ſacro uſui dicata à poſteris ipſorum, ad Romanam forſan ſuperſtitionem redituris, alios ad ritus verterentur. Reliquarum etiam moleſtiarum remedia, quæ jam petiverant, iteraverunt. Denique Concilii flagitati ludibrium adjecere, quod neque gra-

tis

tis ipſis legibus Catholicos, neque aliis celebrari ſe paſſuros pernoverant. Quanquam ſermones de inſtituendo colloquio Cranius jecerat, quo viam Synodo Conciliove, Principibus etiam, aliisque profanæ conditionis hominibus frequentando, eo faciliorem parari poſſe monſtrabat, quod tam *in Juſtificationis materia*, quam *Adiaphoris* pluribus, de priſtino certaminum ardore multum jam utrinque remiſſum ſit. 1646.

XXIX. Hiſce Evangelicorum Poſtulatis alia Pontificii repoſuere. Æterno ſcil. Jure relinquendos ſibi Epiſcopatus (e) Anno M. DC. XXVII. aut inſecutis temporibus poſſeſſos, Evangelicis vero in quadraginta annos permittendos, quos XII. Novembr. die anni iſtius inſederint, niſi qui ad Catholicos poſtea juſta ratione reverſi ſint. Hoc intra ſpatium litis, aut amica conventione, aut legitima ſententia finiundæ, modum ineundum; Catholicis interea neque *Beneficiorum* iſtorum communione, neque religionis in Templis Baſilicis exercitio prohibendis; Evangelicis etiam Præſulibus, Conventus Regionum (Kreiß-Tage) adire hactenus ſolitis, frequentandorum eorum licentiam retenturis. Monaſteriorum etiam aliorumq; ſacrorum bonorum reſtitutionem, & mutandæ religionis ab Evangelicis Nobilibus Urbibusq; Imperii uſurpatã poteſtatem eâdem temporis regulâ definientes iſta bona excipiebant, quorũ poſt

Catholicorum Media (Gegen-Vorſchläge)

(1) Reſervatum Eccleſ.

(2) Mediata bona Eccleſ.

(e) *Londorp. d. Lib. III. c. 31.*

1646. poſt annum iſtum expiraverat titulus, aut quæ vel ſummorum Tribunalium decreto, vel vi pacto-
(3) rum, Pontificiis ex illis obtigerint. Ceterum Ca-
Avtonomiam. tholicorum Procerum arbitrio ſervandum, an ſubditis ſibi, Proteſtantium religioni addictis, manendi licentiam impertiri, an migrandi neceſſitatem injungere malint, ita tamen temperandam, ne domeſticæ ipſorum res nimium inde damnum accipiant. Urbes verò atque Nobiles Provinciales (Land-Stände und Adel/) qui longa poſſeſſione à Pacis Auguſtanæ tempore quaſi uſu captum ſacrorum exercitium obtendant, ea modeſtia habi-
(4) turos, ne querendi his materies ſuppetat. Redi-
Redit9. tus quoque, Catholicis ex Proteſtantium terris exſolvendos, ad XL. iſtud annorum ſpatium, in levamentum etiam Evangelicorum, conſveto hactenus more, erogandos, additis tamen, quibus beneficium iſtud moderabantur. Præterea Catholi-
(5) cis nullam in Evangelicos Jurisdictionem iis in
Jurisd. Eccleſiaſtica. cauſis uſurpandam, quæ ad cultum divinum attineant, at Eccleſiarum Cœnobiorumve res iſtorũ cognitioni merito permitti. Connubiorum cauſas, inter Evangelicos utrinq; controverſas, quamvis earum numero Jure habeantur, quæ Ordinariorum cognitioni ſepoſitæ ſint, Proteſtantium tamen foro agitandas, qui eam in rem Judices hactenus dederint, Ordinariis vero, ubi Jus iſtud retinuerint, iis ſaltem litibus, quæ inter Catholicos aut Catholico cum Evangelico intercedant, ut &

juris

Juris Patronatus, Decimarum, aliisque, rem ipſam 1646.
divinam non ſpectantibus, cauſis Juriſdictionem ſuam conſervandam reſtituendamve. In reliquis iteratis Evangelicorum petitionibus priora reſponſa retulere.

XXX. Tradita hæc à Monaſterienſibus Trautmansdorffio, & ab hoc Oſnabrugam miſſa Lambergius Craniusq; Evangelicis ediderunt, qui dictas à ſe Catholicis concordiæ leges ſpretas ab iſtis, victorum fere in modum indignantes, acribus verbis pervicaciam illorum apud Cæſareanos perſtrinxere, tredecim hebdomadum cunctatione ſe deluſos, mentemq; Pontificiorum paci inimicam exprobrantes. Fixum ideo ſibi, nunquam in poſterum Catholicos in hoc negotio ſcripto convenire. Neq; injuriâ ſubdolas Pontificiorum & quæſitas prolatandis Tractatibus moras Evangelici arguebant, ipſi etiam Trautmansdorffio, ſi ori crederes, improbatas. Et eò quidem impudentiæ Moguntinus atque Bojoarus, Catholicorum nomine disſidiis iſtis tractandis ſelecti, proceſſiſſe narrabantur, ut, Oxenſtiernio præſente, ignorantiam exhibitorum à Catholicis *Mediorum* ſimulare non erubeſcerent, quorum tamen paucos ante dies quosdam ex Principum Collegio certos ipſi reddiderant. Richtersbergius quoq; aliena à ſuffragantium mente SCta Monaſterium transmittere, & iſthic decreta in contrarium verſa deferre incuſabatur, nullo pudore, aut ne inficiandi quidem

7. Maji. Communicata Evangelicis.

1646. dem excuſandive conatu, probrum iſtud coram ingerentes audiens. Quin pleno Senatu fateri auſus, multa à ſe dici, ab animi ſui ſententia longè diverſa, eliciendis ſolum aliorum conſiliis, & ad introſpiciendas ceterorum voluntates.

XXXI. Ita ſuis litigiis diviſi, de pacis tamen inter Imperatorem Regesque reſtituendæ negotio publice interim, ac ubi propriæ utilitatis ratio, aut partiũ amor odiumve, non aliud ſvadebat, in publicum conſulebant. Et de prohibendis quidem Imperatoris contra Gallos cum Hiſpano bellum habituros ſuppetiis deliberantes, in eam fere ſententiam tranſiere; Cæſarem, ut Domus Auſtriacæ Principem, ferendi Agnato auxilii facultate non depellendum, cunctis Imperii Proceribus fœderum cum exteris pangendorum Jure conceſſo, cujus juxta cum reliquis Ordinibus aſſerendi curam patrociniumque Reges ſuſceperint. Vetuſtæ Germanorum, non Principibus tantum atque Optimatibus Imperii, ſed & privatis exercitæ, libertatis eſſe, externorum Principum militiam ex lubitu ſequi; ad leges (*f*) tamen Imperii adſtringendæ, quibus, ne publicæ paci præjudicium inde fiat, majores curaverint. Nec Friderici atque Maximiliani exempla ignorari, ſuo ſolum periculo bella cum Gallis, Carolo Burgundo, aliisque habentium. Neque ex adverſo Regibus defenſionis modum ſtatuendum, ab Imperatore Cæſarei nominis

Seſſ. 10. 6. Febr. Seſſ. 21. 5. Mart. Imperatoris auxilia pro Hiſpano contra Gallos. ad Cl. 3. Repl. Gall.

(f) *Rec. Imp. 1494. 1555. 1570.*

minis præſcriptione laceſſitis. At ne belli Imperio inferendi ſocietatem ineant, eadem æquitatis ratione flagitari, qua Cæſari opi Hiſpano ferendæ interdici contendant. 1646.

XXXII. Attulit eodem Senatu Magdeburgius Evangelicorum, quorum Primicerium agebat, ſuffragiis adjutus, ex conventa jam inter illos formulâ, capita quædam, Pacis validitati, uti ajebant, conductura; ceteris eodem pertinentibꝰ, at odii invidiæqve fœcundioribus Svecorum expoſtulationi relictis, Cæſaris atq; Catholicorum iras minus morantium. Aſſecurationis Punct.

XXXIII. Iſtud plerisqve Monaſterienſium improbabatur, qvod de fœdere, in pacis firmamentum à Proceribus cum Galliæ Sveciæque Regibus ineundo, horum Legati ſvaſerunt, periculoſũ exiſtimantibus, ſi ad cujusvis qverimonias Regibus armatis Germaniam intrare fas foret, prætexto iſtorum patrocinio in rem ſuam abuſuris. Præteriti proxime ſeculi, præſentisqve ætatis exemplis ſatis jam cognitum eſſe, nil aliud peregrinorum auxiliis in Imperio effectum, qvam ut ſua jam ſponte diſcordantes Proceres acerbius diſſiderent, atqve avulſæ Reip. corpore nobiliſſimæ Provinciæ exterorum prædæ atqve avaritiæ cederent. Qvotiens ſcilicet concordes agant Germani, ſperni peregrinos; ubi diſſenſere, dum ſibi qvisqve contra æmulos ſubſidium vocant, accitũ in partes adverſus omnes valeſcere. Satis jam internæ qvieti, pa- De mutuo fœdere pro conſervanda pace Reſplic. Gall. art. 12. & Svec. art.

S cisqve

1646. cisque firmitati priſcis Imperii Conſtitutionibus, Pacis præſertim de Religione ſancitæ, iisque, quæ proroboranda tranquillitate publica latæ ſint, legibus (Executions - Ordnung) conſultum, modo debita cum reverentia habeantur. Atque quamdiu Ordinibus in illas obſequium, tamdiu Imperio ſuum decus atq; robur conſtitiſſe. Eventurum alioquin, quod Franciſcus Olivarius Galli Orator Principes Proceresq; Imperii Comi-

Anno 1542. tiis Spirenſib9 jam olim adverterit: *Absq; concordia res Imperii non poſſe firmas eſſe vel diuturnas. Romanos evaſiſſe Dominos rerum, non tam viribus & armis, quam aſtu quodam & calliditate, quando id operam dabant, ut quam gentem Imperio ſubjicere cogitabant, eam civili bello & diſſenſione diſcinderent, & alterius factionis partes ad tempus defenderent, donec utrosque ſimul opprimerent. Hac ratione circumventos fuiſſe Carthaginenſes, & Aſiaticos, & Gallos, ac Græciam natura facilem & mobilem. Sic etiam ludificatos à Tiberio fuiſſe Germanos, quo tempore bellum in Italia moliebantur. Hac ipſa ratione tandem concidiſſe ipſos Romanos, Ottomannicum quoq; Imperium his artibus penetraſſe in Europam, trecentis ab hinc annis rerum potitos Chriſtianorum diſcordiâ.* Ita Philippum Macedonē, velut è ſpecula quadam, libertati Græcorum inſidiantem, dum contentionem Civitatum alit, auxilium inferioribus ferendo, ſociis pariter hoſtibusq; ſervitutem impoſuiſſe. Præterea cuncto-

ctorum judicio periculoſum atque grave haberi, 1646.
perpetui fœderis nexu aliis adſtringi. Securius igitur compeſcendis intra pacis terminos Proceribus Imperii leges adhiberi; at ſi Cæſari cum Regibus lis oriatur, cogendis in eam rem comitiis, penes quæ belli pacisve arbitrium, quod juſtum atq; Reip. utile decerni; antiquo jam ipſiq; Franciſco Galliæ Regi probato exemplo, qui, quas cum Carolo Imperatore de Inſubrium Principatu aliisq; rebus habebat controverſias, Comitiorum decreto componi, miſſis in eā rem Legatis, flagitaverit.

XXXIV. De Eduardo qvoq; Bragantino quæſitum, quem libertati donare in Cæſaris poteſtate ſitum Auſtriacus negabat, Hiſpanicâ cuſtodiâ detentum. Mirum igitur, ab Imperatore peti, quod non niſi ab Hiſpanis impetrare liceat. Neque ad Gallum captivitatē Ducis quidquam ſpectare, antequam Luſitania Gallico fœderi innecteretur, libertate privati, & nullo ſervitii Galliæ Sveciæve Regibus præſtiti obtentu ad hos tractatus trahendi. Gallum certe Imperatoris precibus vix conceſſurum hominem levioribus ex cauſis ſibi ſuſpectum, & à quo minor formido. Immerito igitur ab eo flagitari, ut libertati Principem reddat, in liberantis moleſtiam illâ mox abuſurum. Qvæ quanquam vera Evangelici no diffitentur, commendandam tamen Hiſpano liberationē Eduardi à Cæſare cenſebant, Catholicis etiam, Bojoaro ſcilicet, Herbipolenſi, atque Baſile-

Seſſ. 21. 7. Mart. Eduardi Bragantini liberatio. Replic. Gall. Cl. 4.

1646. ſileenſi, annuentibus; ad Germaniæ quippe dignitatem pertinere, libertatem Principi reſtitui, adſpiciente coram Imperatore atque Imperio ereptam. Non etiam ullo ſuo delicto calamitatem illam meruiſſe Eduardum, conſilii fratris expertem; quanquam & iſtum in caſum peccantes aliò remitti, Germaniæ moribus inſolitum ſit. Utilitatem præterea Cæſaris Imperiique in conſilio habendam, quibus operam ſuam atque fortitudinem peregrini Principes Proceresque ægrè commodaturi ſint, quando præmii locum libertatis jacturam apud Germanos occupare cognoverint.

Evangelicorum Gravamina Politica. Comitiorum intermisſio.

XXXV. Eodem Senatu relationem iidem egresſi, novas querimonias (*f*) intulere, quibus libertatem civilem, pluribꝰ modis diminutã, ſuæ integritati reſtitui poſtulabant. Et quidem non poſtremã malorum Proteſtantibus illatorum cauſãm, tam diuturno tempore nulla ante Concilium Ratisbonenſe habita Comitia memorabant, ſine quibꝰ ſua Germaniæ quies & felicitas publica durare non poſſit, naturâ magnorum Imperiorum, quæ morbis præ minoribus obnoxia promtiorem & tantũ non continuam curam expoſcant. Salubre igitur Reip. fore, ſi triennio quoq; exacto, aut exigente quandocunq; Reip. neceſſitate, Procerũ Conventus rite peragantur. Et tanquam ſingulare Aulæ arcanum Brunſvicenſis in Evangelicorũ Senatu (*g*) nota-

7. Sept. 1645.

(f) *Lundorp. Tom. V. Lib. II. c. 115.* (g) *Add.* Reichs-Städt. *&c.* Bedencken *ad Propoſ. & Replic. Svec.*

notaverat, intermiſſam ab Anno M.DC. XXIII. ad M. DC. XLI. usq; Comitiorum celebritatem, ita quippe imminuta paulatim libertate dominationem intendi. Neminem enim ſponte paciſci ſervitutē. Carolum V. experiundo didiciſſe, quantum conſiliis ſuis Comitia tam crebra obſtiterint. Palatinū proſcriptionis, atq; Germaniam belli calamitates evaſuram fuiſſe, ſi poſt prælium ad Pragam comiſſum, urgenti morbo Comitiorum medela admota fuiſſet. Electorum Conventibus (Collegial-Tagen) Imperatorē intercedere non poſſe, at minorem iſtam malo medicinam deprehendi. Petiere etiam, ut in eventū belli ab Imperio ſumendi non Imperii tantum Cenſus (Reichs-Matricul) emendaretur, & remitterentur Tributa, Procerum quibusdam ultra modum & terrarum conditionem impoſita, ſed & proſpiceretur, ne aut dignitati iſtorum contumeliis, aut agris oppidisq; peregrini domeſticive militis petulantia, ſtationibus, hoſpitiis aliisve extorſionibus quid detrimenti inferretur, revocando Pacis publicæ aliarumq; Conſtitutionum atq; legū præſertim militi latarum [Reiter- und Fußknechts-Beſtallung] auxilio. Temperandā quoq; nimiam Electorum poteſtatem, in ceterorum damnum atq; injuriam ſumtā. Ex formulis legum, de Cæſarum imperio latarum, nullā fere eſſe, quæ non aliquid mutationis paſſa cum ceteris in totum conſentiat, magno Reip. incomodo, cujus Jura Statumq; ambiguis ſemper perpetuisque

1646. Seſſ. privat. Evangel.

(2) Defect. Matriculæ, & Militaris Diſciplinæ.

(3) Electorum nimia poteſtas in Capitulatione formanda.

1646. que fluctibus agitari neceſſum ſit, niſi certô *Capitulationis* æternoq; tenore compeſcantur, ex Imperatoris cunctorumq; Procerum conſilio ſanciendæ, ac non, niſi ubi ſalus Reip. temporumque conditio juſſerit, immutandæ. Et quanquam bonâ reliqvorum Ordinum gratiâ Conventibus ſuis non de iis tantum rebus conſultent, quarum peragendarum Jus ex Aurea Bulla priſcove more adepti ſint, ſed iſtas etiam pertractent, quæ ad Comitiorum diſqviſitionē pertineant, ita tamen licentiam iſtam mitigandam, ne omnino Procerum Jura abſorbeant Septemviri, omniaq; Senatus munia in ſe trahant, eave decernant, quæ ad præjudicium aliorū aut perniciem ſpectent. Mori quoq; antiquo adverſari arguentes, quod Septemvirorum Legati in Delectorū Imperii conventu ſeparatos cœtus inſtituant, etiam querelam de illorum faſtu adjunxere, *Excellentiæ* titulum nova ambitione, principum dignationi minuendæ, & inſigni pacis tractatuum impedimento captantium. Tentatum etiam ajebant, an Civitates Imperii ſuffragio in Comitiis curiatim ferendo depelli poſſent. Præterea translata ſolius Cæſaris nutu in alios Ordinum Jura terrasq; referebant, Præſidii Jus cū duobus oppidis Archiepiſcopatui propriis Magdeburgo â Fridlandio Duce, & poſtea â Ferdinando II. Superioritatem in Geckſheimium & Senfeldam Imperii Pagos (Reichs-Dörffer) Herbipolenſi conceſſa allegantes; & contra, exemtos obſe-

Conventibus Electoralibus.

(4) Delectorum Imp. Conventu (auf Reichs-Deputations-Tagen) Excellentia Electoralium.

(5) Voti Civitatum Imp. impugnatio.

obſequio in Principes ſuos quosdam, Civiumque 1646.
Imperii numero adſcriptos; Archiepiſcopi Bremenſis queſtus eam in rem memorando. Rurſum (6)
eſſe inter præcipuos Imperii Principes, qui Juriſ- Exemdictioni atq; oneribus Imperii ſe ſubjectosq; ſibi tiones
ſubducentes, aliorum quoque libertatem invaſe- illicitæ.
rint, ſoli alioquin Cæſari Imperioque obnoxiam. Multis etiam palam tributorum gratiam atque remiſſionem fieri, quibus poſtea alii onerentur. Elataque in vulgum vox Archiepiſcopi Biſantini, *Se in poſſesſione nihil dandi eſſe*, profeſſi. Et li- (7)
cet poteſtatem Dignitates atq; Nobilitatem con- Collaferendi Imperatori propriam nemo inficietur, eas tiones
tamen in homines ſæpe indignos, ipſius tribuen- Dignitis dedecore, Nobilitatis Germanicæ, integritatis tatum
ſuæ maxime ceteroquin retinentis, opprobrio, & in immeritos.
honoris rari quondam & non niſi virtutis pretii vilipendio, ſæpius collatas, juſtas pro corrigendo abuſu preces ſuppetere, ipſius Cæſaris auctoritati atque venerationi, ſi exaudiantur, profuturas. Adjectæ appendicis loco Wetteraviorum Comitum querelæ, quæ aut veteres ſine remedio manſere, aut antiquis recenter acceſſerant. Et tabem hanc veram nimium, ſuisque indiciis plus ſatis cognitam, non ſtatim, quæ ejus indoles ſit, in ſingulis, ſed in ſummâ rerum apparuiſſe, & latenti incremento veluti alluvione auctam Rempubl. afflixiſſe, indicantes, non ideo hæc à ſe afferri monebant, ut pacis negotio inde afferrent moram, ſed ut

1646. conventu hoc ſaltem detecta, futuris Comitiis medicam manum acciperent.

De Electoraliũ ſecundariorũ Præcedentia præ Principum Legatis. 27. Februar.

XXXVI. Interea novæ liti materiem Electorũ ſecundæ dignationis Legati, (*ſecundarii*) dedere, quoscunque etiam primarios Principum anteire cupientes, eandem Electoralis Legationis, qua quisq; Septemvirum referat, dignitatem, Cæſaris atque Regum Oratores omnes pari veneratione cultos, ac jam Auguſtæ Tiberii & Francofurti, cum ſupremis erga defunctos quosdã Legatos officiis fungerentur, eum ſibi honorem habitum referentes. At refragabantur ceteri, unum eſſe tantum reponentes, qui Domini majeſtate præfulgeat, reliquos curæ magis ſocios quam dignitatis adjungi. Vetuſto more apud ipſum Septemvirorum Senatũ receptum eſſe, ut primarius ſolum, ſi plures ab uno mittantur, Domini locũ capeſſat, ceteris ſeorſum (auf der Adjuncten-Banck) alioq; ſubſellio ſedere juſſis; idq; exemplum Principum quoq; Curiam imitari, qua promiſcuas ſedes Prælati, Comites Principumq; Legati occupent, quibus ſcil. numerum egreſſis Senatus magis quam ſuffragii Jus ſit. Ipſos Principes Auſtriaco atq; Salisburgio Curiam ſuam præſidentibus (den Fürſtl. Directoriis) loco concedere, quos ſcilicet Electoraliũ Secundarii quoq; præituri ſint, ſi quoscunq; Principum Legatos dignatione præminerent. Aliena eſſe, quæ de Imperatoris Regumq; Oratoribus afferantur, ad Electorum Principumq; Legatos non

pro-

producenda, quanquam & Naſſavium Comitem cum Memmio, neſcio quibus ſolemnibus, ut primarios, poſt, Volmarũ atq; Servientium ut minores proceſſiſſe, narrent, qui tunc temporis Monaſterii egerint. Nec præjudiciũ ex eo univerſo Principũ Ordini inferri oportere, ſi una alterave vice Electorales nimia ac indecora ſuperbia honorem ſibi indebitũ ſumpſerint, iſtorum forte civilitate conceſſum. 1646.

XXXVII. Hæc inter Pontificii animos intendebant, ut quas ipſis lites Evangelici inteptaverant, minimo rei Catholicæ diſpendio finirentur, horum conſtantia anxii, quibus Svecorum favor, atq; Cæſaris & Pontificiorum deplorata fere fortuna non fiduciam modo, ſed & audaciam fecerat, plurimis ceſſuros ſperantibus, & beneficii loco merito habituros, ſi pacis indulgentia retinerent, quorum bello amittendorum non periculum tantum ſed certum & inevitabile damnum imminere videbatur. Aut benevolentiam igitur Svecorum ſibi paraturi iſti, aut moderaturi ſtudia, quib9 ad promovendas res Evangelicorum illi ferebantur, Oxenſtiernium Moguntino & Bojoaro internunciis adiere, precati, ut conciliandæ concordiæ munus ſuſcipientes Evangelicis modeſtiora ſvaderent. Relata hæc ab Oxenſtiernio Brunſvicenſi, & ab hoc Evangelicorum Senatui. Intelligebantur artes, Svecos medias ad partes vocantium, quas ſi acciperent, Evangelicorum tutelam ponere

Tractatus Gravaminũ Eccleſ.

Catholici Svecorum operam in componendis eis exquirunt.

1646. cogerentur, quorum litem ſuam facturos ante promiſerant. Quidã diverſi interpretabantur, Catholicos, ornandæ verſus Pontificem excuſationi, tuendoq; honori, conſilium id cepiſſe, ut, ſi omnino jacturam pati neceſſum foret, Svecis ceſſiſſe, non Evangelicis, aut ſuæ obligationi id dediſſe viderentur, honeſtius forſan exiſtimantes, peregrinorum potentiæ quam popularibus æmulisque concedere, tanquam tolerandi vilitas augeſcat, ſi ſe notis ſubmitterent, & ſublevetur peregrinitate duriora imperantiũ. Omnibus tamen viſum, ſapienter habendam fortunæ ſeſe offerentis opportunitatem, orandosq; Svecos, officium iſtud, ea tamen conditione ſubire, ut cauſam Evangelicorum non tanquam alienam, ſed ſuam ſe acturos profiterentur; integro ſibi ſervando præſidio, quod unicũ à Svecorum autoritate armis prævalida inermes ipſi expectabant. Conſultatũ præterea, quid Svecis reſpondendum, qui, quantum Jure ſuo in ſupremæ neceſſitatis caſum decedere Evangelici vellent poſſentve, interrogaverant. At metuentibus, ne Pontificiorũ auribꝰ allaberentur ſolenni Evangelicorũ Senatu decreta, non ſincera ſatis ſilentii fide cuſtodita, ea ſententia placuit, ut, nullo adhuc in rem ſummam reſponſo, Catholicorum Monaſterienſium hanc ob cauſam Oſnabrugam adventum opperiundum obtenderent, cum quibus tamen nihil, niſi Svecorum præſcitu conſiliove, tractaturi forent.

12 Mart. Evangelicorum eam in rem ſententia.

XXXIIX.

XXXIIX. Perferentibus reſponſum Altenburgio, Vinarienſi, Meklenburgio, Wetteravio, &c, qui civitatum nomine additi fuerant, Lubecenſi atq; Eslingenſi, repoſuere Sveci, ſibi quoq; angvẽ in Catholicorum herba latere videri, grates tamen Evangelicorum fiduciæ, & honorificis, quas attulerint, precibus habere, non tamen integrum ſibi, fœderis formula adſtrictis, absque Gallorum aſſenſu, provinciam iſtam accipere. At quod cauſis quibusdam ſe attineri Evangelici dixerant, ne ultimas, in quas abire tandem poſſent, conditiones exponerent, quamvis in diffidentiæ argumentum à ſe trahi non omnino diſſimulabant Sveci, non tamen refragaturos ſe dicebant, quo minꝰ ſuo in eam rem ſeníu judicioq; illi abundarent. Ceterùm anxiis ſibi, ne Catholici *Poſſeſſorio* Bonorum ſacrorum immediatorũ abdicari ſe non permittant, illud liti expediundæ non inutile videri, ut eorum reſtitutione ad A. M. DC. XIIX. aliusve non incommodi temporis ſtatum exigenda ad unũ, duove aut decem deniq; ſecula iſta remanerent, quæ illo anno poſſeſſa poſtea amiſerit quisq; vel retinuerit; ad æquale ſpatiũ prorogan-da toties poſſeſſione, quoties per tanti temporis otium *Petitorii* cauſa nondum vel judicio deciſa, vel transactione compoſita fuerit, retento interim cuivis Poſſeſſori Senatus Jure, quod ipſorum quondã Anteceſſores in Comitiis habuerant. Emigrandi non neceſſitatem ſed licentiam ſubditis faci-

1646.

Svecorum.

Sveci Catholicorũ mediũ de temporaria ſacrorũ Bonorũ poſſeſſione aliquatenꝰ probant.

1646. faciendam, ab imperantium religione diſſentientibus. Cetera, æquali omnibus in rebus ſorte Pontificii atq; Proteſtantes uterentur. Quæ licet minꝰ ſibi grata, (ipſisq; forte Svecis explorandæ potius Procerũ menti, quàm ex animi ſententia propoſita,) ad conſilium tamen Evangelicorum ſe relaturos, ii, quos recenſuimus, reſpondere, quanquam in motum ſibi plurimisq; Collegarum eſſe ſcirent, conditiones iſtas non accipere, niſi extrema neceſſitate adacti, cujus ſubeundæ ſortē Catholicis potiꝰ pro temporum iſtorum fortuna deſtinaverant.

Minus grati Evangelicis.

Tractatio Oſnabrugæ cum Monaſterienſibꝰ inſtituta.

XXXIX. Advenere interim Monaſterio, urgente maxime Trautmansdorffio, belli Turcici metu occupato, Oſnabrugā Buſchmannus Colonienſis, Coberlinus Canſtantienſis, Corvejæ Abbas Prælatorũ vicem ſuſtinens, & Leuxelringius, acerrimus Proteſtantiũ hoſtis, Svevicorum Comitum Urbiumq; Catholicarũ nomine, juncta cum Pontificiis Oſnabrugæ jam hærentibꝰ opera controverſias ſuas cum Evangelicis tractaturi.

Conſeſ. Deput. I, 2. April.

XL. Conventu igitur eorum, quos retulimus, Catholicorum cum Evangelicorum Delectis Weſenbecio Brandenburgio, Altenburgio, Vinarienſi, Brunſvicenſi, Caſſellano atq; Wetteravio, (his quidem duobus ſtatus quæſtionē primum paſſis,) in Oſnabrugenſi Curia coacto Krebſius Moguntiacꝰ, factionis Pontificiæ Princeps, de concordia, cujus amori ſuſceptā iſthoc loci temporisq; litiũ di-

diſceptationem̃ tribuebat, magnifica atq; ſolita praefatus, Proteſtantes rogavit, mentemne ſuam ſuper iſtis promere vellent, quae reducendae quieti ſalubria in medium jam Catholici attuliſſent. 1646.

XLI. Reſpondere Evangelici, altius ducto exordio Annaliũ fidem iuvocantes, ex quibꝰ cauſas has ſine cura atq; medela habitas diſſidia primũ, inde factiones, bella deniq;, & atrociſſimas, quae bellis ſolennes ſint, calamitates Germaniae intuliſſe, memoria repetebant. Publicis Comitiorum̃ Conſtitutionibus (Reichs-Abſchieden) Vaticinia ſupra Sibyllarum carmina certa contineri, quibꝰ ſuprema inde Imperio ingruitura jam tum praedictum fuerit, veri fidem, triſti nimiũ eventu & plusquam conducat, ſortita. Neq; enim vanum timorem fuiſſe, inſecutis malis probari. Et correptos hujus periculi formidine vicinos Reges pro potiſſima ſanciendae pacis conditione habere, ut tollantur, quae, ſi maneant, ſuo igne etiam alienis aedibus incendiũ minitentur. Ipſum quoq; Caeſarem per Legatos ſuos confeſſum, extirpanda eſſe diſcordiarum ſemina, ne in novam ſimultatũ odiorumq; herbam excreſcant, & fida transactione componendam tantorum tamque diuturnorum tumultuum cauſam. Ceterum laudem Catholicis gratesqve deberi, qvòd profectionis moleſtiam & tractandae rei laborẽ ſumſerint. Inſiſterent modo bene coeptis, & pulcra initia decoro fine perficerent. Oblatum quidem non petentibꝰ ſibi

Confeſ. II. 3. Ap. Lis de objecto Tractationis, an ſcil. Evangelicorum aut vero Pontificiorum media pro eo habenda. Evangelicorum argumenta.

Ca-

1646. Catholicorum libellum, finiendi diſſidii modos rationesque complexum, at ejusdem, cujus ipſi Evangelicorum queſtus, argumenti, cum reſponſum ad eas, quas Trautmansdorffii precibus pacisq; deſiderio permoti protulerint, expectarent, atque etiamnum expectent, ut æquitati non adverſum, ita quieti reparandæ idoneum. Pacem de Religione eo conſilio conſtitutam eſſe, ut æternum duraret; neceſſum igitur, ut tractatus hi acceſſionis vicem functuri naturam illius ſequantur. Quin ipſam morbi indolem non doloris inducias, ſed firmam ſanitatem expoſcere. Pragenſem pacem ſapere, quæ Catholici obtulerint, Regibus exoſam, & infeſtioris belli cauſam ſimul ac materiem.

Pontificiorum. XLII. Renuere Pontificii, quorumcunque tractatuum eam indolem eſſe dicentes, ut alternis vicibus agant partes excipiantque. Præſentia, quæ Rempublicam affligent, mala ex litigiorum iſtorum fonte profluxiſſe, ſeſe fateri, verum extra culpam, & grandi moleſtia Catholicorum. Sua non referre, quo animo Evangelici acceperint, quas poſt oblatas ab iis concordiæ reparandæ conditiones ipſi alias atque æquiores ediderant. Proteſtantium certe remedia ipſo malo graviora, neque ſine acerbitate magis examinanda, quam de Catholicorum modis illi obtendant. Cuivis, nullis diſcordiis partiumque ſtudiis imbuto, judicium ſe permiſſuros, nullone revocandæ pacis amore tenean-

neantur, qui ad certum prolixumque ſatis tempo- 1646.
ris ſpatium cunctis quamvis nullo Jure poſſeſſis Proteſtantibus decedant, nihil recepturi, quo jacturam iſtam ſarciant doloremque ſuum ſolentur. At non ea tantum ab Evangelicis peti, quorum Cōſeſ.
poſſeſſionē invaſerint quondā, ſed & iſtis inhiare, III. 4.
quæ penes Catholicos ad hucusq; permanſerant. April.
Neque inducias, ſed perpetuam pacem conſilium ſuum ſpectare, quo ſolà Juris Judiciique ex partium conſenſu conſtituendi viâ reditum ad ſacra illa Bona ſibi patere velint, controverſiâ inter XL. annos conventione non ſopita. Pragenſem pacem ideo Regibus inviſam, quòd, decreta locorum ab illis occupatorum reſtitutione, tantum non novæ clarigationis ſpeciem prætulerit. Gallum tamen controverſiis his, à Regum cauſa alienis, implicari detrectaſſe. Neque Cæſari unquam animum fuiſſe, Jure ſuo in perpetuum quenquam exuere, ſed ut ea utraque partium conſilia afferret, quæ ſtabiliendæ quieti proficerent. Certum id Catholicis, Bonis ſacris perpetua lege abſcedere ſe non poſſe, niſi ſupremi Numinis animique ſanctiora præcipientis venerationem, non ſine pectoris male admiſſis dolituri ſuppliciis, abjicere aut negligere audeant. Denique ſepoſitis rationibus, tollendis litibus utrinque allatis, ipſas conroverſias tractari ſvaſere. Et de

XLIII. Nec Evangelicis conſilium omnino tollen-
diſplicuit. Verum ita aſſveti, ut ſpes votaque da hac lite cō-
ſua ſilium.

1646. ſua non prius ad Deum quam Svecorum aures conferrent, ab illis, qvid agendum cenſerent? per Altenburgium atque Vinarienſem exquiſivere; Oxenſtiernio Salvioque (quos Catholici, rixas has à Religionis cauſa diverſas, & civilia tantum Jura attinere affirmantes, defendendis illis abſtrahere variis jam modis fruſtra tamen aggreſſi fuerant,) mutata priori ſententia, ne temporaria remedia admitterent, hortantibus. Ad Trautmansdorffii tamen Monaſterii tum degentis reditum rem differri ſvadebant. Verum Evangelici, cunctationis impatientes, habito conſilio accipiendum decrevere, quem tractando negotio Catholici modum obtulerant.

Ab Evangelicis acceptū.

Eorum pro removenda Transactione temporaria apud Cæſareanos, Gallos atque Svecos conatus.

XLIV. Delecti igitur Altenburgius, Luneburgius, Wetteravius, Argentinas, & Noribergenſis, qui Trautmansdorffium atq; Oxenſtiernium, tū Vinarienſis, Caſſellanus, Wetteravius, Lubecenſis, atque Ulmenſis, qui Galli legatum (*Reſidentes* id oratorum minoris dignationis genus vocari mos eſt,) rogarent, hortari ſuaque auctoritate permovere Catholicos, ne momentaneæ Paci inſtare pergerent, utque cuncta cum Evangelicis litigio ſincera manſuraq; transactione ponerent. Iis inſuper, qui Gallum inviſuri erant, mandatū, curam perſvadendo illi adhibere, ut Catholicis conſcientiæ metum eximere anniteretur, quē ſuperſtitio fecerat. Quæ ubiq; benignis auribꝰ accepta, modo extrema Evangelici non tuerentur, qui-

quibus Pontificios quoq; non inhæſuros ſpem faciebant. 1646.

XLV. Ita inſtaurato cum Catholicis colloquio, priusquam rem ipſam aggrederentur Evangelici, præmonuere, tractatus hos illuc ſpectare, ut futuræ pactionis vinculo non præſentes ſolum ſed abſentes quoque atque refragantes obligarentur. Neq; enim diuturnam fore concordiam, ex cujusq; libidine & renitendi audacia ſuſpenſam, cujus exempla in promtu haberent, ni inutilem narrandi ea laborem exiſtimarent, quæ nullius notitiam fugiant; Auguſtanum Epiſcopum innuentes, Pacis Religionis legibus ſe ſubjectū negantem, quod illas ſubire Anteceſſor ipſius Otto Cardinalis detrectaverat. Certo præterea fundamento tractationem inniti debere, cujus vicem non Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, non jurata inter Catholicos, quæ jactent, fœdera, nō deniq; conſcientia illorum, ſed conventio tantum Paſſavienſis & Pax Auguſtana ſubire poſſint, cujus etiam formulæ, cum conſcriberetur, illud adjici quidā Pontificiorum petiverint, teneri ſe nempe ea ulterius nolle, quā quatenus officio ſuo atq; religioni conveniat. At omiſſum fuiſſe, oſtendentibus Evangelicis, ad ipſam doctrinæ veritatē id pertinere, cui examinandæ non coierint. Et cur arctiore religione jam alligarentur Catholici, quorum Avi illæſa conſcientiæ, quam nunc prætexant, integritate, de Bonis Eccleſiaſticis cum Proteſtantibus in

5. Apr. Conſeſ. IV. 9. April. Tractatio inter Pontificios & Evangelicos reasſumta; & horū Præmonita.

1646. certas leges convenerint? cujus accuſationem ideo minus timendam habeant, quod Bona hæc nonCatholicorum uſui,ſed Evangelicorum dicata ſint. Poſt de neceſſitate transactionis æternum duraturæ priora referentes,Catholicorum conſilium non niſi temporariæ quieti conducere monſtrabant.Viam quippe facti ipſis Imperii legibus ſatis vetitam, ut peculiari pacto prohibeatur,non indigere; At quod Juris Juſtitiæque viam attinet, explicandæ Auguſtanæ Pacis facultatem dandis hanc in rem judicibus tribui, Reip. formæ adverſum, leges vero interpretationis illis præſcribere, longum fore. Neque enim, niſi omnium aſſenſu,ferri poſſe.Nullam etiam vim habitura monebant, quæ conciliandę concordiæ allaturi erant, ſi Catholici extremorum pertinaces pacis ſpem irritam redderent.Tandem, ut id quoq; addam, Leuxelringium Auguſtanæ etiam Urbis nomine inter Pontificios comparuiſſe, ægre ferebant, quã ſuæ religioni ideo vendicabant, quod confeſſionem ſuam Majores ipſorum iſthic ediderint, civiumq; ejus vix decima portio ſacraRomana ſequatur.

Conſeſſ. V. 11. Apr. Reſpõſum Catholicorum. XLVI. Reſponſum à Catholicis, non alium ſibi animum eſſe, quã ut ſancienda hoc loci concordia perpetuo & adverſum omnes valituro robore ſtabiliatur.Pacem Auguſtanã ſibi quoq; fundamenti loco haberi, at ſuis partibꝰ perfectã. Neque enim integrum ſibi, eam in *paſſibus utilibus* à Pro-

Proteſtantibus acceptam illis articulis mutilari, absq; quibusMajores ſui alia potius atq; opportuniora tempora expectaturi fuerant, quam tam moleſtæ pacis & damna ſolū ferentis,leges ſubiiſſent. Quis enim, ſi *Reſervatum* abſtuleris, Catholicis ex pace iſta fructus, in ſolam forſan Evangelicorū utilitatem conſtitutā? Conſcientiæ terminos ſuo quemq; modo ſibi figere,aliorū arbitrio non movendos.Inanem futurum laborem, quem indicando fini inſumerent, cui Religioni,Bona iſta,de quibus contendatur,Majorum pietas ſacraverit,nota quippe in re & ſua luce clariſſima. *Via facti* publicæ quidem pacis Conſtitutione interdicta, at læſis, adeoque ſibi, tantas injurias paſſis, in modum defenſionis conceſſa, ut his tractatibꝰ omnino obſtruatur, à ſe permitti. Senatum Catholicum Auguſtæ Vindelicorum regundæ Urbis, & promendæ in Comitiis ſententiæ Jure præditum, neminem ignorare, eumqve non à Cæſare tantum,ſed & Galliæ Sveciæq; Regibus adTractatus hos vocatum ; Alia etiam in eundem ſenſum afferentes,quibus non Leuxelringio magis,quam SenatoribusAuguſtanis,dignitatem ſuam munusque aſſerebant. 1646.

XLVII. Regeſſere, quæ è re videbantur, Evangelici, ipſosque tandem litium articulos aggreſſi, quanquam alias nova sq; odiorū ſimul cum controverſiis extingvendorum rationes ſe promturos dicerent, ad antiqua tamen relapſi, priora tan- Conſeſ. VI. 14. April. Remedia gravaminum

1646. tantum urſere, iſta ſolum, maximi quidem momenti in re mitiores, quod cuicunq; Præſuli Pontificio, (qua tamen conditione etiam Evangelicus uteretur,) quamvis cum majori Collegii ſui parte Auguſtanæ Confeſſioni ſe addicturo mutandi publici cultus poteſtatem negari concedebant. Illud contra noviter petiere, ut Dinkelſpielæ atq; Biberaco Sveviæ urbibus ante Annum M. DC. XIIX. jam moleſtias, quas adhuc tolerent, perpeſſis, Beneficiũ Reſtitutionis tribueretur, non omnino ad temporis iſtius regulam expendendæ, quam communem ante ſtatuerant.

ab Evangelicis rurſum propoſita.

XLIIX. Relata hæc à Catholicorum Delectis ad Senatum Monaſterienſium, perqvirendæ illorum ſententiæ. Evangelici quoq;, quæ cum Pontificiis egerant, per Altenburgium, Culmbacenum, Wetteraviũ atq; Argentinatem Trautmansdorffio; Servientio, Oſnabrugæ tum agenti, per Vinarienſem, Wirtenbergium, Wetteravium, & Norinbergenſem; per Brunſvicenſem autem, Caſſellanum, Comitum Franconiæ & Lubecenſem Legatos Svecis nunciari curarunt, prolixa apud omnes comitate exceptos, Cæſareanis quoq;, deſideriis illorũ ſe non adverſaturos, teſtantibus, modo refixo, quem ad annum M. DC. XIIX. poſuerant, termino, & permiſſo Catholicis *Reſervato Eccleſiaſtico*, terras etiam Auſtriacas Auguſtanæ Confeſſionis reſtauratione turbare deſinerent, qvã difficilius admiſſuri ſint piiſſimi Principes, ac in

Cæſareanorum eám in rem conſilium.

in ditionum ſuarum partem ad Gallos transferen- 1646.
dam conſentiant. Servientius etiã, Pontificios exi-
lium levius quam *Reſervati* abolendi crimen to- Servi-
leraturos memorando, conſuluit, ut poſſeſſio- entii.
nem LX. vel C. deniq; annorum, ea quidem con-
ditione, gratam haberent Evangelici, ut non Judi-
cis ſententia, ſed transactione partium jurgium
iſtud aliquando tolleretur, tamdiu prorogandis
illis induciis, donec perficiundæ tandem trans-
actionis leges certam poſſeſſionem huic iſtive
parti addicerent. Adſciſci etiam in conditio-
num harum tutelam Galliæ Sveciæque Reges ſva-
debat, compeſcendis, qvi eis obtemperare ali-
quando recuſarent; honeſtiorem nempe obtentũ
parans, quo Germaniã tanto ſuo lucro percurſa-
tam, quando cōmodum foret, novo inſultu Galli
irrumperent, facile habituri, inter partes, nunquã
fida amicitia coalituras, diſſidiorum bellorumque
cauſas aut arripere aut comminiſci. Ceteris in
cauſis, de Judiciis præſertim ad Proteſtantium vo-
tum conſtituendis, nullam Catholicis obſtinandi
animos rationem eſſe, affirmabat, quibus admini-
ſtrationẽ Juſtitiæ plura in Tribunalia ſparſam, & Cham-
æquali Catholicorum atq; Evangelicorum Judi- bres
cum numero temperatam tanquam, ſaluti atque Mipar-
tranqvillitati Reip. utiliſſimam, ipſi domeſtico ties.
exemplo edocti commendaverint.

XLIX. At non ita propitio Germaniæ fato, ut Conſeſ.
civium animi, adeò diuturnis diſſenſionibus in VII. 18.
April.

1646. contraria abſtracti tam cito pacari ſuſtinerent, negavere Pontificii, proximo inde, quod ex partium delegatis habebatur, concilio, nova remedia fuiſſe, quæ nuperrimè Evangelici nomine iſto operta attulerint, ſed prima, *tranſpoſitis tantum vel mutatis hinc indè verbis vel titulorum numeris*, in alium vultum, non tamen ita conficta, ut deprehendi non poſſint. Articulum de adimendâ Pontificio Præſuli, Auguſtanam confeſſionem quandoquam cum univerſo Collegio aut potiori ejus parte profeſſuro, immutandæ publicæ Religionis facultate, quo ſolo à prioribus poſtulatis recedentes, multum ſe Catholicis beneficii conferre exiſtiment, extra *Reſervati*, caſum eſſe, quo non peregrinæ religioni prohibendæ, pactis inter Catholicos jam ſatis excluſæ, ſed ne Deſertores Eccleſiæ Bonis ejus honoribusque fruerentur, Majores providerint. Bona hæc à Catholicæ pietatis hominibus ſacro cultui devota eſſe, probatione non indigere, quam non ex dedicationum ſolum formulis, ab Evangelicorum inſtitutis omnino diverſis, ſed & Scriptoribus (*h*) Lutheranis arceſſere promtum haberent. Petere Proteſtantes, ut collata à Confeſſionis ſuæ hominibus in pios uſus bona,

Pontificiorum de iſtis Evangelicorum mediis ſententia.

(h) *Luther. Explic. Daniel. XII. 38.* §. und wir verſtehen erſtlich ꝛc. & §. denn was ſind die Stiffte ꝛc. & *Præf. ad Apoc. Joan. ad c. 13.* §. was aber für Greul. *Tom. 2. J. G. fol. 5. b. Tom. 7. fol. 430. b. 431. 432. b. Seckendorf. Hiſtor. Luther. Part. 1. §. 130.*

bona, quanquam mutata ab hæredibus ſucceſſoribusque religione, cultui, cui nuncupata fuerint, maneant: eodem erga Catholicos Jure uti paterentur, neque involarent, quibus ex Conditorum mente legibusque, ab iis præſcriptis, ſubmoveantur. Ultimi tandem remedii loco, & ultra quod progredi, non Numinis tantum atq; Eccleſiæ reverentiâ, ſed & Mandatorum religione ſe attineri dicebant, illud promſere, ut Bona ſacra ſive *immediata* ſive *mediatæ* conditionis, Anno M. DC. XXVII. à Proteſtantibus poſſeſſa, ad LX. annos iisdem, quas ſupra memoravimus, legibus reciperent illi aut retinerent. 1646.

Et oblata alia media, ratione bonorũ Eccleſiaſticorum. Ab Evangelicis itidẽ rejecta. Conſeſ. IIX. 20. April. Conſeſ. IX. 28. April.

L. At Evangelicis Svecorum, Hœxteram tum atq; Paderbornam milite ſuo urgentium, ſucceſſibus, & augeſcente indies Pontificiorum calamitate ferocioribus, antiqua jurgia queſtusque nova narratione exorſis, poſt mutuas Jura ſua allegantium altercationes, cum aliter convenire non poſſent, in id denique utrinque conſenſere, ut Cæſareani atque Sveci rogarentur, tentarent modos litibus expediundis idoneos, cum partibus tamen prius communicandos, quas utilitatis ſuæ amor multo, ut ſolet, tenacius imbuerat, quam ut altera alteri, de æquitate ſuæ cauſæ peroranti, credere vellet poſſetve.

Conventio de negotio per Cæſareos ac Svecos tractando.

LI. Dum ita Oſnabrugæ pro aris Pontificii, pro focis Evangelici, quanquam togati, militaribus tamen animis decertant, Electorum Legati,

SCtum Electorale in Propoſ. Pac.

1646. peractâ Monaſterii de conditionibus pacis conſultatione, quæ hic cenſuerant, iſthic quoq; expoſuere, ejusdem cum Catholicis ſenſus; omnes quippe Romanis Sacris addicti, præter Brandenburgium, qui ex Collegis Proteſtantibus ſolus ibi morabatur, cujus ideo in Amneſtiæ cauſa diverſam & Evangelicorum menti congruentem ſententiam appendicis loco Moguntiacus adjecit.

Seſſ. publ. 25. 16. April.

Civitatum Imp. Seſſ. 26. 27. Apr.

LII. Civitatum etiam, ut ex Catholicis Evangelicisq; compoſitarum, ita in duas factiones ſciſſarum, placita ab Argentinenſi ceterarum Curiarũ Senatoribus recitata, ex Urbium ſtylo prolixis querelis moleſta, eoq; præſertim nomine utriusq; Religionis Electoribus Principibusq; improbata, quod non novis tantum in Procerum terris munimentis extruendis præſidiove firmandis interdici, ſed & poſt Annum M. DC. XIIX. ædificata, & vel ſubditorum immunitati vel ſecuritati vicinorum infeſta ſuſpectave, demolienda ſtatuerant, indignantibus Urbicorum arrogantiæ Principibus, vile putantibus, leges à Civitatibus accipere, quas obſequio factas in aliquam Imperii ſocietatem ex benignitate adſciverint. Illud præterea objurgatione dignum viſum, (adſvefactis jam fermè Urbium Legatis, ceterorum convicia nimiâ & incongrua ſtatûs dignitati patientiâ audire,) quod Anſeaticas Civitates Collegio ſuo adlegerant, excuſante id Argentinenſi, neque ad Principum, quibus urbes iſtæ regnentur, præjudicium id pertine-

ro,

1646.

re, neque aliis contra munimentorum minas injuriasque proſpectum voluiſſe, aſſeverante, quam quorum timori id dari ex privilegiorum formulis aut pactorum conveniat.

Curiarum Concluſa de Propoſ. Pacis Cæſareis exhibita.

LIII. His trium Senatuum Conſultis ad Cæſareanos per Moguntiacum, Brandenburgium, Auſtrium, Herbipolenſem, Prælatorum unum, Bojoarum præterea, Altenburgium, Brunſvicenſem, Wetteravium, Franconium, Argentoratenſium deniq; & Ratisbonenſium Legatos allatis, additisque precibus, ſeligerent ex iis, quæ Paci promovendæ viderentur, & reſumpto cum Svecis negotio, quantum profeciſſent, ad Legatos Ordinum, ſive monitis ſive conſenſu ipſorum opus eſſet, referrent, non diu cunctati Cæſarei, novo (i) libello, quibus legibus pacem accepturi forent, Svecis ſignificarunt, cujus ea ſumma: Novum eſſe, quod Luſitanis ſecuritas flagitetur, & extra Conventionis *Præliminaris* tabulas, quibus de plurimis publica fide ad pacis negotium admittendis, nihil de Luſitano conventū ſit. De Cauſis, cur Sveci arma in Imperium ſumſerint, diſceptandi locum non eſſe, ubi de bello ſedando, & revocandâ pace agatur. Ceterum ex literis, jam (k) An. M.DC.XXVI.

Duplica Cæſar. ad Svecor. Replic. 21. Apr. 1. May.

Ad Proœm De Salvo Conductu pro Luſitanis.

Cauſis belli Svecici.

T 5 à Sve-

(i) *Lundorp. Tom. V. Lib. II. c. 120.* (k) *Magis id probatur ex literis Sveciæ Regis ad Palatinum tum Bohemiæ Regem d. 8. 18. Sept. 1620.* in der Anhalt. Cantzeley *p. 327. verb.* Soll er (Pfaltz-Graf) kecklich glauben/ daß er (*Guſtavus Adolphus*) zu aller Zeit mit Rath und That/ ſo lang er werd eine Ader rühren können/ dahin befliſſen ſeyn wolle/ damit gedachte Span. Macht und unerträglicher Ehrgeitz vielmehr geſtürtzt und *profligirt* werden möchte. ꝛc.

1646. à Sveciæ Rege ad Transſylvaniæ Principem exaratis, probatu non arduum fore, jam tunc adeoque ante latas Polono ab Imperatore ſuppetias, ante promulgatū de reddendis ſuis uſibus ſacris Bonis Edictum, ante Mekelburgios terris ſuis ejectos, atque ante oppugnatam Stralſundqm, quæ Sveci ſuſceptæ inimicitiæ obtenderint, de bello Auſtriacæ Domui, Proceribusq;, fidei in Imperatore constantibꝰ, conſilia agitata fuiſſe. Et quamvis hoſtilia, non contra Auſtriacos ſolum, ſed univerſum Imperium, poſt Pragenſem ſaltem pacem, à Svecis exercita, vel ſolis locorum monumentis ſatis probentur, quorum, absque amicitiæ religionisve diſcrimine occupatorum, optimā jam partem tanquam belli Jure ſibi vindicent, non tamen adverſaturos ſeſe ajebant, ut *adverſus Germaniam* arma cepiſſe dicantur, quæ *contra Imperium* induiſſe videri nolint. Hiſpaniæ Regem ſociorum numero à Cæſare merito vel hac ex cauſa relatum, quod terras Auſtriacæ Domus, cujus iſte alterum columen ſit, Sveci invaſerint, vaſtaverint, & ſuo milite partem earum adhuc detineant. Qvin ipſos Svecos (*m*) inter Cæſaris fœderatos illum recenſuiſſe, eaq;, Luſitanis nempe commeatum, atq; Bragantino libertatem expoſtulare, quæ profeſſi Hiſpanorum hoſtes, Galli nimirū, efflagitent. Schœnbeckianos, tractatus An. M. DC. XXXV. inter Electorē Saxoniæ Sveciæq; Can-

Bellum Svec. an cont. Imperium.

An cōtra Hiſpaniæ Regem.

Schœnbeck. Tractat.

(m) *Art. 7. Prop. Svec.*

Cancellarium Oxenſtierniũ cœptos, Svecos latere non poſſe, qui conditionum ab ipſis dictatarum exordio primi eorũ mentionem injecerint. Amneſtiæ utriq; partium profuturæ terminos non alios pangi poſſe, qvã quos priori reſponſo ſtatuerint, non tamen difficiles ſeſe præbituros, ſi in majoris ſecuritatis firmamentum earum quoq; actionum temporumq; oblivione, quibus arma damnaq; Auſtriacæ Genti paraverint magis, quam intulerint, aut aliorum in cauſis proprios tractatus Sveci poſtularent, modò ſummæ rei, legibusq; publicis non adverſos. Cauſas, qvibus Ordinum Imperii Jurium defenſionem ſe ſuſcepiſſe jactitent Sveci, ad belli Juſtitiam ſpectare, quibꝰ expendendis ipſi abſtineant, paci tractandæ delegati. *More ab antiquo recepto*, ad cujus modũ Rempubl. regundam Cæſarei dixerant, non ad priſcorũ Imperatorum formam rem Romanam reducendi animum ſibi fuiſſe, ſed quo conſvetudinem atq; inſtituta deſignarent, ex quibus munia Imperii noſtris adhuc temporibus inter Cæſarem Proceresq; dividi ſoleant. Fœderum cum exteris pangendorum licentiam ex uſu Reipublicæ Legumq; præſcripto merito iſtis limitibus coërceri, ut non alia rata ſint, quam quæ Imperator atq; Ordines ſuo permiſſu probaverint; neq; Proceres, terminos hos ſibi poni, ægrè laturos, qvos ſummo Principi ipſi ſignaverint, cui fœderum ſuo lubitu ineundorum poteſtas Regiâ Lege negata ſit. Evangelicorum

1646.

Ad Cl. I. membr. I. Amneſtia.

Membr. 2. Jura ſtatuũ.

Jus fœderum.

1646. rum queſtibus ex tranſactione levamentum fore, cujus perficiundæ laborem jam aggreſſi ſint ipſi, qui conquerantur. Formulam, qua Pacis uſum etiam Reformatis, *ſi ipſi velint* & *quiete vivant*, indulſerint, ſatis quidem perſpicuam, clarius tamen explicari poſſe, ſi mentem in eam rem ſuam, & quid in iſta obſcurum deprehenderent, Sveci indicent. Commercia tam mari quam terra priſtinæ libertati reddenda eſſe, & abolenda vectigalia aliaque quorumcunque vocabulorum onera, quæ bellorum turbis invaluerint, mutuamque negotiatoribus tam Germanis quam Svecis ſecuritatem ſanciendam ſervandamque.

Membr. 3. Gravamina Evangelicorum. Reformati. Commercia.

Claſ. II. membr. 1. Satisfactio Svecica. Haſſiaca. Et quanquam optarent, ut, quod de Amneſtiæ ad Annum M.DC.XIIX. revocandæ tempore Jus Sveci ſtatuerint, eodem in reddendis Imperii locis ipſi uterentur, paci tamen recuperandæ ea ſe Svecis relicturos dicebant, quæ habito cum illis ſermone nominaverint, de quibus Conventio peculiaribus tabulis conſignanda foret. Landgraviæ Caſſellanæ Pacis beneficio ſatisfieri poſſe, ſi obſequium in Imperatorem reſumat. Marburgenſis etiam controverſiæ commode ſopiendæ curam ſeſe habituros. Militi ſtipendia ab iſtis perſolvi æqvum eſſe, à quibus conducti ſint.

Militiæ.

Cl. III. Auxiliũ Svecis à Gallo, ut Hiſpanis Ipſam denique æqualitatis rationem expoſcere, ne bellis, inter Imperatorem atque Imperium Regnumq; Speciæ olim oriundis, ſeſe ingeratGallus, ſi Hiſpanum Cæſaris ſuppetiis excludere pergat.

gat. Bragantini libertatem Hiſpanorum arbitrii eſſe. Addita alia exequendæ atque roborandæ Paci, in cujus firmamentum fœdus *pro jungendis cum parte læſa conſiliis & armis*, quod Sveci ſvaſerant, ſibi non diſplicere ajebant; At Ordines, quod iidem urgebant, in illo nominari inutile atque veteri mori adverſum, quo cuncta Reip. negotia ſummi Principis nomine expediri ſolenne ſit. Illud vero abſurdum eſſe, Imperii Proceres mediarum velut partium officio fungi, quos non minus Cæſari ac Galliæ Sveciæque Optimates Regibus ſuis juvandis ſacramenti fides obſtringat.

1646. à Cæſare non ferendum. Bragantini Liberatio.

LIV. Paria ferme Gallis relata, illudque inſuper additum, de concilianda inter Catholicum atque Chriſtianiſſimum Regem Pace neceſſario Monaſterii tractationẽ ſuſcipi oportere, niſi conventionem violare velint Galli, qua in præparandi negotii conditiones utrinque conſenſum fuerit, tanti primum à Gallis habitâ, ut aſſenſu Cardinalis Infantis non ſatis ſecuros ſe rati tum demum acquieverint, cum à Regis approbatione robur aſſumſerat; Et cui fini tuti itineris fidem præſtitam, cui mandata utrinque edita, emendata, acceptata, niſi ut de pace ageretur? Certè Gallicis Legatis tranſigundi cum Hiſpanis belli munus injunctum, expreſſis mandati Regii verbis oſtendi; quin ipſos quoque poſtulaſſe, Imperatorem auxilio contra Gallum Hiſpanis ferendo prohiberi, ſi poſt ſancitam his tractatibus Pacem eos novis aliquando

Duplica Cæſar. ad Replic. Gall. Pax inter Gallum & Hiſpanũ tractanda.

1646. do bellis collidi contingeret. Lotharingum belli ſocium pacis communione non arcendum, neque quibuscunque pactis, Imperii, cum quo inimicitiam ſibi eſſe negent Galli, Juribus præjudicium fieri oportere. Electores creandi, quem dignum Imperio cenſeant, libertate non privandos. Tandem præter Epiſcopatus jam oblatos etiam de ſuperiori atque inferiori Alſatia in præmium, quod Galli petant, geſti belli, aut pacis potius concedendæ pretium relinquenda, cœptos tractatus peragi poſſe.

Lotharingus.

Electio Regis Rom.

Satisfactio Gallica.

LV. Secutæ non multo poſt tabulæ pacis, à Trautmansdorffio compoſitæ, in easdem, quas Svecis oblatas modo memoravimus, leges. Nova etiam partim ſibi petiit, partim hoſti conceſſit. Relinqui ſcilicet Auſtriacæ Genti Blaubeyram, extinctâ in Ludovico Wirtenbergiæ Duce Proſapiâ, ad quam *Feudi* Jure ſpectaverat, ad iſtam domum reverſam, ut & Dynaſtias Hohenſtauffæ atque Achalmiæ, pignoris nexu, quo iſtius familiæ Ducibus obſtrictæ fuerant, exſolutas. Reddi Palatino, ad obſequium reverſuro, inferiorem Palatinatum, non immutatis Romanæ Eccleſiæ ritibus, viâ quam Montanam vocant (die Bergſtraſſe) Moguntiæ Archiepiſcopo, Imperiali Præfectura Germersheimenſi Leopoldi Archi-Ducis liberis, aliisque Ludovico Haſſiæ Landgravio, Joanni Schœnburgio Comiti, atque Baroni Bræmſero debitis donatisve reſtitutioni eximendis. Bojoaro

Inſtrumentū pacis primum Trautmansdorffii.

Art. 3. Anno 1595.

Art. 9.

Art. 10.

joaro totique Proſapiæ Gvilielmianæ Electoralem dignitatem cum ſuperiori Palatinatu conſervari, Palatino octavum infimumq; inter Septemviros locum occupaturo, expuncto XIII. myriadum nomine, quas Maximiliano Auſtriaci debebant. 1646.

LVI. Hæc non majori Evangelicorum quam Svecorum moleſtia audita, conſiliorum diligentiam intendere, quibus deſtinata ſibi perficientes Cæſaris atque Catholicorum proſtratas jam bello res Pacis tractatibus ita affligerent, ut ſi aliquando vellent, nocere non poſſent: nullā quietis conſtantiam ab iis ſperandam rati, quibus in officio retinendis nunquam modeſtia, ſola neceſſitas ſufficere queat, ideoque inſtrumenta rerum turbandarum eripi oporteat, cum animus non poſſit. Et Sveci, quo vim ſcilicet ſuam, atque Sociis Religionis curam oſtentarent, ſive emolumentum ex eo ſperantes, ſi bellum continuaviſſent, hortabantur Evangelicos, inſtarent poſtulatis, neque cederent Catholicorum pertinaciæ, pœnæ formidine accipiendis conditionibus ſubigendorum, ſi æquitatis amore duci renuere pergant; exponerent modo ſua amicorumq; & Clientium ſuorum vota. Faciles ſe, quando de ſuis commodis agatur, contumaciam induere, ubi de Proteſtantium utilitate quæſtio ſit. Neque ſegniter hæc Evangelicorum auribus illabebantur, quos, ſua ſponte alacres & percellendis Pontificiis promtos, tanti

Svecorum & cæterorum Evangelicorum de eo ſententia.

Con-

1649. Conſultores in majorem fiduciam erigebant. Hi igitur ſemper odio tũ & metu atroces, ne Catholicorum rurſum vis ingrueret, aut Sveci inclinatione Gallorum, votique compotes, mutarentur, & quando cupita obtinuiſſent, ſegregati ab Evangelicis dividere cauſam inciperent, qvi donec ambigua tractatuum ſpes, ſocios ſe cujuscunque fortunæ, & ſi ita ferret, comites exitii promittebant, nihil reliqui faciebant, quo adverſæ partis potentiam atq; auctoritatem infringerent.

Evangelici diviſi in Zelotas.

LVII. Non tamen eodem animorum impetu omnes ferebantur, quanquam cunctorum, aut plurium ſaltem proſperiori amore Sveci erant, cum Auſtriacorum nomen inviſum apud populares, iſtos pro libertate bellantes favor haberet. Et (l) fuere, qui, Religionis licentiam Evangelicis in Auſtriacis aliisq; Catholicorum Provinciis degentibus aſſerendam, Epiſcopatus non ſolũ Pontificio cultui jam ſubductos, ſed & in iſtos Jura ſervanda, quos ſuperſtitio iſta adhuc teneat, & reddendam Bohemiæ Proceribus eligendi Regis facultatem, Auſtriacorum ambitione ereptam, diſſertantes, egregium reſumendæ libertatis ſuasque injurias adverſariis reponendi tempus illuxiſſe clamitabant, quo exturbata aut imminuta ſaltẽ Pontificia Religione Evangelicã ſolidius firmandam præſenti fatorum felicitate monſtretur. Auſtriacam Domum, vi dominationis convulſam, &

(l) *V. Chr. Forſtn. Epiſt. ad Scip. Scalig. 7. 17. Aug. 1646.*

& diuturnitate Imperii in ſuperbiam mutatam, 1646.
eaq; in pace auſam, quæ vix bello evenirent, malis domandam, ut modeſtiam votorum edocta non dominationem & ſervos, ſed Rectorem & Cives cogitet, æquitatemque ac juſtitiam idonea Germaniæ capeſſat. Cæſareos cladibus ſubactos magnifica de ſtabiliendis Procerum Juribus ſpargere, ſcil. quo plura, eo magis falſa, & quanto majore libertatis imagine tegantur, tanto eruptura ad infenſius ſervitium, niſi virium imbecillitate cohibeantur. Non ignota eſſe Imperatori, quæ Evangelici conventu hoc egerint, at gravi & diſſimulata offenſione abdere, promptu-rum, ubi facultas incideret. Longam apud Præpotentes injuriarum memoriam Cæſari quoque manſuram, ideo ſe læſum exiſtimanti, quia ex lubitu non regnaret. Nihil lætius accipi poſſe, quam exempla ſua in conſultores recidere, & propriæ ſalutis periculum experiri Catholicos, Proteſtantibus extrema meditatos. Ita ſua ruina foveam merito implere, quam aliorum lapſui deſtinaverant. Inſtandum fractis, ne priſtinam potentiam recipiant, infenſaq; & infida pax non Evangelicis, non ſociis requiem permittat, detractisq; armis componendos, qui ſuis opibus relicti bellum inter & pacem ſemper dubitaturi eſſent. Neque enim tantam horum moderationem ſperandam, ut qui pacem belli amore turbaverant, bellum pacis caritate deponant.

1646. Fortioribus remediis agendum; nihil modicum in Catholicis, terrere nî paveant. Neqve enim benevolentia contineri poſſe, arma reſumturos, ubi metus abſceſſerit. Benignitati divinæ ingratos, & injurios in poſteros futuros Evangelicos, ſi obviam ſibi felicitatem repudiarent, vim, libertatem, opes, cuncta in Svecorum victoria, modo velint, habituri. Oſtenſam à Numine Proteſtantibus proſperitatem meliora ſecula polliceri, modo ſint, qvi debitis gratibus ea admittant. Cuncta vi ſua tracturos, qvibus minoribus adhuc ac invalidis Cæſaris atqve Pontificiorum vires maxime tum florentes impares fuerint. Panderent modo ſinus Evangelici, & venienti fortunæ occurrerent. Qvacunqve acerbitate uterentur, nunqvam Pontificiorum crudelitatem æqvaturos, qvi, ubi ferro, igni, crucibus, aliisqve Gentilium in Chriſtianos ſolitis, in Evangelicos ſæviant, majoribus victimis Numini feciſſe videri velint.

LIIX. Hæc aliaqve in eandem indignationem prolixius effuſa, qvanto mœſta, ubi ſemel prorupere, difficilius reticentur; Magdeburgicis præcipue Autoribus, novis adhuc & in Senatum nuper adſcitis, fortibus conſiliis clareſcere properis. Eorumque vehementiam juxta cum aliis Luneburgii maxime imitabantur, ut qvorũ Domini propinqvis Svecorum armis protecti vim Imperatoris minus horrerent, Legati autem in mate-

materiam gloriæ id traherent; rem Evangelicam 1646.
ſuis conſiliis non reſtitutā tantum, ſed & auctam
ornatamqve, pulcerrimum proſperæ ad Poſteros
memoriæ monumentum habituri, inſtigantibus
ultro Svecis, qvorum favor atqve congreſſus
ſocietate conſiliorum parabatur. Eaqve Cæ- Dat. 14.
ſari comperta, literas ſuo dedecori hominumqve 4. Jun.
iſtorum audentiæ indolenti expreſſere, qvibus
ad Saxones atqve Luneburgios Duces conſcriptis,
nimia Legatorum in Svecos ſtudia & conſilia plurimis Proteſtantium aut incognita aut improbata, increpans, ut præruptam illorum temeritatem mandatis ſuis cohiberent, monuit, ſermone, ut Cæſarem decet, molli, & tanqvam rogaret. Qvæ ſolenni Procerum Germaniæ more, Imperatori non niſi ex libidine parere ſolitorum, excuſatione ſuorum, qvi tractandis gravaminibus delecti congrediundi cum Svecis partes effugere non debuerint, & Einſidelii Magdeburgii atqve Langerbeckii Cellenſis contemtu eluſa, qvi cum Saxonici Cæſareæ dignitatis non omnino obliti, in publico Evangelicorum Concilio de crimine hoc in ſuam invidiam conficto qveſti, ceterorum teſtimonia expeterent, cuncta ex communi Proteſtantium ſententia à Delectis acta fuiſſe, ſe qvoqve iisdem criminationibus petitos referebant, at turbandis meliorum conſiliis repertas ſpernere ſe, neqve innocentiæ documentum

S 2 deſide-

1646. deſiderare jactitantes; laudante Milagio Anhaltino, & de Cæſaris irâ, velut virtutis præmio, gratulante, tantâ quorundam proterviâ, ut ſe quoq; Viennenſi Aulæ inviſos, quanquam falſi gloriarentur, ſive minores ſe exiſtimantes, ni & ipſi Cæſareæ indignationis honore præfulgerent, ſeu probandæ in rem communem induſtriæ, cui non certius argumentum, quam à Cæſaris atque Catholicorum invidia.

Remiſſos. LIX. In contrarium iis, quæ retulimus, alii, inter quos Saxones Electorales præcipui, diſſertabant, rumpendas moras & celerandã pacem pertendentes, unicum afflictis Germaniæ rebus ſubſidium. Præſentibus pro ſolatio fruerentur Evangelici, neque pro certis, & cum ſecuritate parandis, nova, ambigua, ancipitia mallent. Nimium Svecorum potentiæ fidere, qui debellandos ab iis Cæſarem Catholicosq; augurentur. Auſtriacorũ fundatam longo imperio Domum, & quatuor fere ſeculorum fortuna cöalitam, convelli ſine exitio convellentium non poſſe, & quo majore mole procideret, plus formidinis in alios diſperſurã. Nondum adhuc eo ventum, ut certamine extremo opus ſit. Multa Svecis ſecunda, quædam Cæſari, utriſqve adverſa eveniſſe, documento adverſus ſuperbiam. Eſſe adhuc ſuum Imperatori exercitum, provincias ſuas, Bajoari auxiliũ, & Catholicorum favorẽ, apud quos Ferdinandi memoria & penitus infixus in Cæſares amor prævaleat, miſera-

ſeratione tantæ Domus acrius ad ultionem exarſuros. Qvin & alios Auſtriacæ Domus, quoquo modo meritæ, gravem caſum miſeraturos, ut florenti haud concordes, ita ſupremis ejus neceſſitatibus ad pietatem evincendos, inſitâ mortalibus naturâ, ut quos injuriæ exoſos faciant, gratioſos calamitas reddat, & ſuprema invidiæ miſericordia occupet. Brevibus momentis ſumma rerum verti poſſe, uniusq; prælii eventu totum ſæpe bellum mutari. Secutam quidem hactenus Svecorum caſtra fortunam, at, quæ ambigua bellantium conditio ſit, cito forſan verſuram, eoqve majori reverentia atque cautione habendam, quo prolixiori benignitate ipſorum auſa hucusq; extulerit. Plus impetus, majorem conſtantiam penes miſeros eſſe, & acriori plerunqve diſciplina victos, quam victores agere, cum iſtos ira, odium, ultionis cupiditas ad virturem accendat, illi per faſtidi[illegible] & contumaciam hebeſcant. Acerrimam fortitudinem eſſe, quam ultima neceſſitas extundit, quæ, ignaviam quoque acuere ſolita, ſæpe victoriæ, & deſperatio ſpei cauſa extiterit. Nullum ſcilicet pernicioſiorem hoſtem, quam quem audacem anguſtiæ faciunt, longeque violentius ſemper ex doloris impatientia, quam ex virtute, inſurgi. Et ſi alii Catholicis deſint, Gallos adfuturos, uti Proteſtantibus religione diverſis, non niſi ex comodi ſui ratione hactenus propitios, ita quando caſus tulerit, Pontificiorũ tutelam 1646.

1646. ſuſceptutos, non minori rerum ſuarum utilitate, & honeſtiori defendendæ Eccleſiæ ſpecie obeundam. Qvantamcunqve rei Evangelicæ promovendæ ſollicitudinem ſimulent Galli, per ſincera magis in Catholicos inclinare, qvos extinctos aut ad ultima redactos velle, nemo crediturus ſit, non Cæſari magis inimicos, qvam nimiis Proteſtantium incrementis anxios, qvos in Condæorum, Coligniorum, aliorumqve Galliæ rebellium partibus auxiliisqve ſæpe fuiſſe, qvantumvis ſileant, nondum tamen dememiniſſe putandum ſit. Bojoari certè conſiliis magis jam illigatos eſſe, qvam ut jactato in Evangelicos candori conveniat. At qvantam rerum converſionem exorituram, ſive Ludovicus in partes, fluxâ, ut eſt Gallis, fide, tractus, ſive Cæſar proſperiore fortuna uſurus, nimiam jam Proteſtantiũ contumaciam duriori dominatione ulciſcatur? trucuſentior qvam antea, tanquam adverſus defectores, & in tempore rebellaturos. Et qvanto intolerantiorem ſervitutem iterum victis? fruſtra tum deſideraturis Evangelicis, qvæ prævalidi nunc, & nimiis Svecorum opibus ad injurias Pontificiorum elati, ſuperbè rejiciant. Manſurum tum penes Imperatorem arbitrium, qvid dare, qvid adimere velit, neqve alium Judicem, qvam ſe ipſum, paſſurum. Serviliter clementiam ejus imploraturos, cujus Majeſtati tam inſolenti pervicacia inſultent; & Pontificios præſentem iſtorum

rum

rum duritiem majori acerbitate penſaturos. Satis 1646.
jam Reipublicæ mala, peregrinis in occaſionem prædæ tracta. Ponerent tandem Germani odia, in perniciem communis patriæ itura, atqve admitterent qvietem, tanta diſſidentium noxâ excuſſam. Neminem adeo in arma promtum, ut non pretium qvietis qvam periculi malit. Potentiam atqve libertatem cautis qvam atrocioribus conſiliis tutius haberi. Securitati igitur ante, qvam vindictæ, conſulerent, contenti iis, qvæ Juribus ſuis roborandis ſufficiant. Qvomodo peſſimis Imperatoribus ſine fine dominationem, ita quamvis egregiis modum libertatis placere, & ſæpe honeſtas rerum cauſas, nî judicium adhibeas, pernicioſos exitus conſeqvi.

LX. Erant deniq; , qvi inter abruptam contumaciam, & deforme obſeqvium iter ambitione ac periculis vacuũ perrecturi, concordiam cum adverſariis neceſſariam, equidẽ at cunctatione & trahendi artibꝰ largiores conditiones eliciendas cenſebant. Iſti apta temperandis animis diſſerentes, in tantum ultioni indulgendum monebant, ne Imperii legibus atqve publicæ fidei ſua auctoritas pereat. Pacem Auguſtanam, in utriusqve Religionis incolumitatem ſancitam, neqve abrogari poſſe, neqve temperamentum admittere. Iniqvam nimis ejus interpretationem futuram, qva cuncta, uni Parti ademta, in alteram transferrentur. Ex Catholicorum atqve Proteſtan-

 tium

1646. rium Ordinibus compoſitum Imperii Corpus, ſine eminenti ipſamq; ſanitatem tractura deformitate, dimidia ſui parte truncari non poſſe. Nimium affectui ſuo tribuere, qvi præſentis belli clades ſolis Pontificiis imputent, qvibus tamen fœderis *(Ligæ)* cauſam nimia qvorundam Evangelicorum in ſacra bona cupido præbuerit, Auguſtana Pace vix excuſanda, cujus ſanctione approbatum dici neqveat, qvod Catholici, altera majorqve Comitiorum portio, continuo diſſenſu impugnaverit. Suſpicionibus etiam ultra, qvam oporteat, indulgere, qvi Pontificios in exitium Evangelicorum, non tutandis Juribus ſuis intentos fuiſſe exiſtiment. Deniqve bellorum, civilium præſertim, egregios fines, qvotiens ignoſcendo tranſigantur. Atqve hos inter Jo. Mullerus Culmbacenus, & Burcardus Wirtembergius, Catholicorum, Koberlini præſertim Conſtantienſis convictu atqve familiaritate ſuſpectus, à Zelotis ad iſta omnia ſurdis, variis probris differebantur, privato uſui publicum bonum poſtpoſitum, ambitionem, vanam formidinem, & tantum non proditionem arguentibus, ex qvibus Langerbeckius, cum de novis finiendarum litium modis, à Catholicis propoſitis, relatum eſſet, *Evangelicorum diſſidia Pontificiorum Præſidia* horum confeſſione jactari qveſtus, increpito etiam Saxone Electore, qvod, allatis in eandem materiem rationibus, Proteſtantium fines turbaſſet, periculoſam in

Malè ideò à Zelotis habitos. Protoc. apud Magdeburg. 14. Jul.

in publico de rebus his conſultationem iniri a- 1646.
jebat; Collegarum fide atque taciturnitate non obliqueperſtrictis. Burcardus etiam, Delectorum ad componendas has cum Catholicis controverſias numero, quanquam inſeri anxiè ambiverat, excluſus; ſuſpicione eorum, quibus, quanto quis audacia promtior, tanto magis fidus, rebusq; promovendis potior habebatur, contra ſinceri minus, qui conſilia moderata capeſſerent.

LXI. Ita in ſuas factiones ſciſſis Evangelicis, conveniens erat, ne cum Pontificiis faciliori concordiâ coaleſcerent, cui procurandæ neq; Trautmansdorffii ipſo partium Catholicarum nomine, quarum Principem Cæſar agebat, ſuſpecti, neque Gallorum hortamenta, quorum major apud Proteſtantes reverentia, proficiebant.

LXII. Autor fuerat Trautmanſdorffius, ut, induciis largioribus ſacrarum poſſeſſionum in tempus acceptatis, proximis Comitiis Cæſaris atque Regum auſpiciis alia & perpetuum robur ſumtura transactio iniretur. Quæ, ut haud omnino iniqua, reſpuere non auſi Proteſtantes, infra tamen votorum magnitudinem ſubſiſtentia, ſine Svecorum præſertim aſſenſu, approbare intutum rati ambiguo reſponſo, poſt ſilentio eluſere. Trautmansdorffii conſilium de componendis Gravaminibus.

LXIII. Minori applauſu Galli, ſinceræ caritatis fidem alias quoque nondum aſſecuti, auditi ſunt, ex quibus Longavillanus Pomerano atque Caſſellenſi, totius Evangelicorum ordinis vice roganti- A Proteſtantibus neglectum Gallorum. 8. Maji.

1646. gantibus, ut Catholicis perpetuam de ſacris Bonis conventionem perſvaderent, Evangelicis, ſi conſulere ſibi velint, transactioni tali non perſiſtendum reſpondit. Certiſſimi atq; manifeſti apud Catholicos Juris eſſe, ſacra Bona, commercio quippe hominum exemta, in alios æterna alienatione transferre ſibi non licere, ni Pontificis Decretum accedat, quem tam inſigni Eccleſiæ damno conſenſum adhibiturum, credi non debeat. Inutilia ita fore Proteſtantibus, quæ tanta contentione urgeant, Pacta, legitima contrahendi poteſtate deſtituta, adeoque à Catholicis, *absq; perfidiæ probro*, ubi caſus daret, rumpenda. Acciperent Evangelici ea, quorum concedendorum facultas ſit penes Catholicos, cum rationi adverſetur, ea petere, quæ dare alter non queat. Se ipſum, ſi inter Proteſtantes Germaniæ Proceres naſci aut cooptari ſibi contigiſſet, ea tamen, quâ nunc polleat, de Catholicorum *principiis* cognitione inſtructum, talia ab illis, niſi Pontifice aſſentiente, neutiquam flagitaturum, quorum nunquam tutam ſibi poſſeſſionem pernoſceret. Inducias potius ad LXX. vel LXXX. annos prolatandas pangerent, iis quippe Catholicos, etiam non rogato Pontifice, obſtringi poſſe, & conceſſis interim ſecurè Evangelicos fruituros.

Sans fauſſer leur foy.

LXIV. Repoſuere Proteſtantes, invalidam hanc Pontificiorum excuſationem ipſis pacis (*n*) Au-

Itidẽ ab Evangelicis rejectũ.

(n) *Pac. Relig.* §. 19. dieweil aber.

Auguſtanæ articulis argui, quibus in æternam Sacrorum Bonorum ceſſionem, nullo à Pontifice Romano metu, conſenſerint. At ab iſto tempore neque Religionis Catholicæ dogmata mutata, neque aut auctam Papæ in Imperii Proceres poteſtatem eſſe, aut iſtorum diminutam. Ita inter exempla jam eſſe, quod tum exemplis tueri nequiverint. Obtendi tantũ defectum facultatis, jam aliquando exercitæ, ab iis, quibus tempori inſidiantibus nulla ſinceræ concordiæ cura, omne in turbido conſilium, quique, ſemina odiorum relinqui cupientes, per diſcordias atq; tumultus nova incrementa meditentur. Et quanquam de *mediatis* tantum Bonis Pace Auguſtana conventum, objiceret Servientius, nihil tamen id ſibi obeſſe Evangelici regerebant, cum æque ſacra ſint ſive Proceribus ſive Imperatori ſolum atque Imperio ſubjecta. Addidit Servientius, Catholicos, ſi Proteſtantibus lubeat, eas in leges transacturos, ut, ſtatuto induciarum ſpatio, vetito armorum Judiciorumve præſidio partium tantũ pacto controverſiæ iſti finis imponeretur, quo non obtento, ad novas inducias redeundum. Ita cupitis, at ſecurius, potituros Evangelicos, iisque incommoda ſibi pacta nunquam inituris recentes ſemper inducias tribuendas fore. Sic aliis poſt alias cumulandis, *interea periturum mundum.* Neq; omnino induciæ Proteſtantibus etiam acrioribus diſplicebant, perpetuæ pacis vim habi- 1646.

1646. habituræ; Potius tamen videbatur, iis inſtare, quæ Catholicos, extremi periculi formidine perculſos, conceſſuros tandem, haud absque ratione exiſtimabant.

Der Catholiſch. hauptſächliche fernere ſumariſche Erklärung über die Religions-Gravamina. 11. Jun.

LXV. Quanquam neq; his ea facilitas erat, ut tam opimas concordiæ leges offerrent, aliis multo, & anterioribus aliquantum durioribus per Trautmansdorffium editis, (o) quibus integri quidem ſeculi poſſeſſionem Bonorum Eccleſiaſticorum Evangelicis proponebant, at absq; Comitiorum ſuffragiiq; facultate, atq; ſalvis Pontifici *menſium* ſuorum Jure, & *precibus* Imperatori *primariis*, ſibiq; judicii experiundi copia, poſtquam induciæ iſtæ finierint, & perſolvendis Cæſari, *Annatarum Palliorumq;* nomine, Papæ alioquin à Metropolitis atq; Epiſcopis vetuſto more pendi ſolitis, atq; ut amneſtia Ratisbonenſi contenti Proteſtantes aliam non flagitarent, ſuamq; pactis, ſive ante Pacem Religionis ſive poſt eam inter Catholicos atq; Evangelicos Proceres conventis, vim, ſuam rebus judicatis autoritatem relinquerent.

Der Evangel. fernere Gegen-Erkläungs-Puncten.

LXVI. At Proteſtantes Pontificiorum duritiē alia contumacia relaturi, ex veteri rigore (p) reſpondere, hoc tantū faciliores, quod Præſuli, Religionem mutaturo, dignitate ſua abeundi neceſſitatem imponi admittebant, dandos tamen vitæ uſus,

(o) *Apud Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c. 32.* (p) *Lundorp. d. Lib. c. 33.*

uſus, cui honor non concederetur. Illud durum ſupraque modeſtiam æqualitatem jactantium etiam ex Evangelicis quibusdam viſum, quod reſponſo iſto addiderant, ut ſcil. in Canonicorum Evangelicorum, qui fato obituri eſſent, locos, non niſi Evangelicos, at Catholicis demortuis etiam Evangelicos ſubrogari fas foret, ipſo Magdeburgio atque Palatino Simmerenſi nimium id agnoſcentibus, & contra illud natæ ſcriptæque legis præceptum, ut quod quisque in alium ſtatuerit, eodem Jure ipſe utatur. Privatô etiam Trautmansdorffii cum Saxonicis Electoralibus colloquio, utrinque conditiones propoſitæ, nulli partium gratæ.

1646. menſe Jun. Art. 12. Art. 16. Protoc. 20. Jul. 13. Jun.

LXVII. Pontificii (q) igitur, de litis exitu anxii, Cæſareanos iterum aggreſſi, ut tractationem perſeqverentur, rogabant, ita tamen, ut ad ipſos, eosq; præſertim, quorũ præ aliis intereſſet, prius relatio fieret, quàm de quocunq; controverſiarum articulo tranſigeretur; adfuturos ulterius ex ipſis, qui Cæſareanos operâ ſuâ conſilioque juvarent. Et quoniam plures ex Proteſtantium ordine Collegarũ pervicaciam ſibi haud adeò placere, aperte ſatis ſæpiusq; teſtati ſint, aliis mitioribusque mandatis iuſtructi, è re futurum, à ſingulis exquirere, quæ ipſorum de ſupremo Evangelicorum reſponſo ſententia eſſet, Catholicæ Religioni, paucos intra annos excidium, ſi acciperetur,

Der Cathol. Erklärung auf der Evangel. eingebr. Artic. 30. Jun.

(q) *Lundorp. d. Lib. c. 34.*

1646. retur, laturo. Neqve enim credi debere, Evangelicos pleroſqve non minus ac Pontificios, bellorum moleſtiis preſſos, concordiam averſatutos, unicum finiundorum malorum, & declinandi exitii communis remedium. Regum qvoqve Legatos, Gallos præſertim, monendos, potiorem Dei Eccleſiæqve, qvam qvaliumcunqve, ſi qvæ Proteſtantes præſtiterint, officiorum reſpectum habere, id unicè agentes, ut, qvam Catholicæ rei moliantur perniciem, non Svecorum modo, qvos votis ſuis paratos habeant, ſed & Gallorum ope procurent. Ceterum celerando negotio, & maturandæ, ſi per adverſarios liceat, paci, ultima tandem Cæſareani promerent, qvæ retenta ad eam usq; diem, ſuprem æque velut neceſſitati ſervata, parandæ tranqvillitati condonare ipſi ſtatuerint. Atqve hiſce inſtigati Cæſarei, & velut novo mandato aucti, alias conditiones edidere, (r) qvibus utut non omnino poſtulatis Evangelicorum aſſentirentur, multum tamen ex priſtina auſteritate remiſiſſe videbantur, Amneſtiæ & reſtitutionis ſacrorum bonorum terminum ad An. M. DC. XXIV. refigentes, permiſſo etiam Præſulibus Evangelicis, legitime electis poſtulatisve, atqve Cæſaris conceſſu confirmatis, ſententiæ in Imperii Senatu dicendæ Jure, electorum poſtulatorumve in Archiepiſcopum, Epiſcopum, Abbatemve (Erwehlt-oder Poſtulirten zum Ertz-Bi-

Der Kayſ. Plenipotentiariorum endl. Erklärung. 12. Jul.

(r) *Apud Eund. d. Lib. c. 36. & 37.*

Biſchoffe &c.)nomine compellandis, at ſedem à ceteris diſtinctam occupaturis. Halberſtadienſem tamen, Verdenſem, Oſnabrugenſem, atque Mindanum, Epiſcopatus ſibi ſepoſuere. Cetera ex priori formula ferè adjecta aut repetita. 1646.

LXIIX. Hæc à Trautmansdorffio, præſentibus Naſſavio atque Volmaro, Culmbaceno, Cellenſi, Franconico atque Colmarienſi, quanquam Catholicorum nomine tradita, non tamen omnibus ex iſtis probabantur, reparato tum exercitu & Vrangelii copiis imminenti, elatis, & ſi fortuna prælianti annueret, fortiora conſilia reſumturis. Acceſſit forte aliud melioris fati argumentum, ex quo proſperiorem rebus ſuis ſucceſſum præſumebant, interceptæ ſcilicet à Cæſareis Grotio Wezlaria ad Turenium Gallicæ militiæ Præfectum tendenti, Brienniі Comitis, atq; Avantcurtii ad Turenium literæ, quorum iſte ſufficere Regibus à Cæſareis oblata faſſus, Oxenſtiernii atque Salvii contumaciam incuſabat, quod petitas armorum inducias, quamvis Gallorum ſuffragiis commendatas Cæſari atqve Bojoaro denegare pergerent, hiſce aliisque ex cauſis non injuria, bellum malle, credendi. Eo igitur vertendam curam, quo Torſtenſohnius, meditata Danubium verſus expeditione abſtractus, Bojoaro requiem permittat, quem Regum deſideriis promtum, tam immerita calamitate obrui, inhumanum foret. Dediſſe quidem exemplum Svecos, cum Electore

Non omnibus Catholicis probata ſpe nova auctis.

Minus ſincera Gallorum in Svecos fides, ex interceptis literis detecta.

Dat. 16. Maji.

Saxo-

1646. Saxone abſq; fœderatis pactos, cuique ſociorum res ſuas ſeparatis conventibus promovere fas eſſe; at aliam jam temporum faciem eſſe, quam ut Svecos offendere Gallis conducat. Prudentia igitur ſecretisq; artibus perficienda, quæ palam tentare incommodum eſſet. Avantcurtius verò inanem operam fuiſſe, Svecis in ſententiã hanc trahendis à ſe impenſam, ad Tureniũ perſcribens, illorum prudentiæ ſuccenſebat, quod inanium incurioſi, verborum ſpecie ſibi imponi non paterentur. Hæc ſive ſerendis inter amicos ſuſpicionibus conficta, ſive ex vero vulgata, tanquam haud ambigua levioris Gallorum fidei erga Svecos documenta, & facili credulitate ad gaudia pronis auribus à plerisq; excepta, in majorem fiduciam, erectos jam novi militis robore Pontificiorum ſpiritus validius animabant.

Dat. 14. Jun.

Satisfactio Regũ.

LXIX. Neq; interea, Catholicis Evangelicisque ſuis litibus temporumque momentis intentis, ſuarum utilitatum memoriam Galliæ Sveciæque Legati perdidere, pacem non daturi, niſi conceſſione ampliſſimarum Provinciarum redemtam. Præviderant jam Cæſareani, ſuam imbecillitatem hoſtiumque vires reputantes, non aliam pacandis victoribus rationem fore, quam ut concederentur, quæ negata reliqvorum periculũ traherent. Danda eſſe quædam, ne omnium jacturam paterentur. Imminentem ergo neceſſitatem ſponte præventuri eo animum flexerant, ut mini-

Cæſareorum in ea re conſilia.

minimo ſuo incommodo paciſcentes, etiam ſi 1646.
poſſent, damna ſua in lucri occaſionem verterent; illud potiſſimum ſpectantes, ut, objecto hoſtium aviditati unius alteriusve terræ præmio, atq; illis eo delinimento Procerum partibus abſtractis, integrum Cæſari arbitrium maneret, quem Germanis, iſto præſidio exutis, libertatis modũ præſcriberet. Quo tamen minori invidiâ agerent, Evangelicos etiam in conſilium advocarunt, rogatos, ut, quæ è re videretur, ſententiam dicerent; ita compoſito dolo, ut, ſive tribuendũ quid Regibus, ſive denegandum illi cenſerent, aut horum odiũ, aut Germaniæ, tanquam imminui eam conſulerent, indignationem incurrerent. At illi intellectam Phariſaicæ atque Herodianæ quæſtionis calliditatem alio aſtu eludentes, & Gallorum replicam ad Cæſareorum reſponſum opperiundam prius, quam in eam rem quidquam ultra decerneretur, dicentes, laqueo inſidioſæ interrogationis ſeſe exſolvêre.

LXX. Neque tamen ſumtis ſemel conſiliis deſtitere Cæſarei, Bojoaro, ut ferebatur, præcipuo auctore, qui Galli amicitiam ambiens, procurandis ejus utilitatibus certius obtinendam, non adeo magno (s) Auſtriacis detrimento conſtitutum aſſeverabat, ſi Alſatiam in pacis pretium Gallis relinquerent, transferendo ſimul grandi, quo tunc onerata erat, ære alieno, non adeo vili vendendã, Satisf. Gallica, Bavari in eam rem conſiliũ.

X &

(s) *Forſtner. Epiſtol. ad Scalig. 7. 17. Aug. 1646.*

1646. & retinendis Aſchbergio, Hohenſtauffa, atque Blaubeyra, Wirtembergio ereptis, abunde penſandam. Ita ſuſtineri labantem jam Auſtriacæ Domus potentiam, meliori fortunæ & compeſcendis aliquando Evangelicis, ſuis quoque malis laborantibus, ſervandam. Neque pro perdita omnino habendam Provinciam, mutata temporum ſorte ad priſcos forſan Dominos redituram. Quam facile enim bellum volentibus, cauſas comminiſci? ex litibus finium, uſurpata latius, quam deceat, jurisdictione, aliisque inter vicinos ſolitis arceſſendas, quotiescunque ſpem, ablata recuperandi propriarum virium conſcientia, aut propinqui ignavia vel calamitas ſuggeſſerit. Potirentur hoſtes malè partis, dum inviſi, infames; quando id magis ex uſu, quam ſi cum gratia adipiſcerentur.

A Cæſareis acceptum.

LXXI. Ita Alſatiæ Gallis cedendæ certi Cæſareani, ne tamen præcipiti promtitudine aut pretium liberalitati ſuæ detraherent, aut cupiditatem Gallorum, atque ubi prima proveniſſent, plura poſcendi accenderent libidinem, fictâ obſtinatione poſtulata eorum, (utramque (*t*) Alſatiam cum Suntgovia atque Briſaco, & præſidii Philipsburgi, Benfeldæ, & Tabernis Alſaticis jure noviſſimè repetierant, reſtitutionem Urbium Sylvaticarum cum reliqua Brisgovia repromittentes,) durius accepere. Et jactata in eum ſenſum, quanquam pauciſſimis credita, Trautmansdorffii verba

Primò id diſſimulantibus.

(t) *Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c. 24.*

ba affirmantis, re infecta potius ſe abiturum, quam vel minimum ex Auſtriacorum Patrimonio Gallis concederet. Rogati quoque Evangelici, Gallis ſvadere, ne anteriores Auſtriacæ ditionis terras Imperio atque Archiducum Domui auferre pertenderent, unde ingentia contra Turcas præſidia, tum vivendi pugnandique inſtrumenta in totius Reip. Chriſtianæ ſaltem promerentur, & contenti eſſent Epiſcopatibus, aliisque, pacis veneratione oblatis. 1646.

LXXII. At Gallis, ſive hæc non ſufficere, ſive majora extorqueri poſſe credentibus, & evulgato Cæſareanorum arcano audacioribus, ampliora (*u*) promittere Trautmansdorffius, totam ſcilicet ſuperiorem atque inferiorem Alſatiam, (exceptis in ea iſtis, qui ſoli Imperatori atque Imperio parentes, ſuæ libertati linquendi ſint,) cum Suntgovia, eodem, quo hactenus Auſtriacis, Jure atque Landgravii Alſatiæ nomine, iis tamen legibus poſſidendam, ut tributorum Imperii Comitiis indicendorum æqualem Electoribus ſecularibus, certamq; ſuſtinendo contra Turcam bello, aut tuendæ Imperii ſecuritati ſummam dependerent, & in imminuti Leopoldi Archiducis filiis patrimonii ſolatium, quinque Thalerorum myriadas intra duorum annorum ſpatium perſolverent, integro Auſtriacis Alſatiæ recipiendæ Jure, quandocunque ex Ludovici XIV. Proſapia Succeſſores legiti-

Cæſareorū oblatio. 1, & 16. April.

(u) *Lundorp. d. Lib. c. 25.*

1646. & retinendis Aſchbergio, Hohenſtauffa, atque Blaubeyra, Wirtembergio ereptis, abunde penſandam. Ita ſuſtineri labantem jam Auſtriacæ Domus potentiam, meliori fortunæ & compeſcendis aliquando Evangelicis, ſuis quoque malis laborantibus, ſervandam. Neque pro perdita omnino habendam Provinciam, mutata temporum ſorte ad priſcos forſan Dominos redituram. Quam facile enim bellum volentibus, cauſas comminiſci? ex litibus finium, uſurpata latius, quam deceat, jurisdictione, aliisque inter vicinos ſolitis arceſſendas, quotiescunque ſpem, ablata recuperandi propriarum virium conſcientia, aut propinqui ignavia vel calamitas ſuggeſſerit. Potirentur hoſtes malè partis, dum inviſi, infames; quando id magis ex uſu, quam ſi cum gratia adipiſcerentur.

A Cæſareis acceptum.

LXXI. Ita Alſatiæ Gallis cedendæ certi Cæſareani, ne tamen præcipiti promtitudine aut pretium liberalitati ſuæ detraherent, aut cupiditatem Gallorum, atque ubi prima proveniſſent, plura poſcendi accenderent libidinem, fictâ obſtinatione poſtulata eorum, (utramque (*t*) Alſatiam cum Suntgovia atque Briſaco, & præſidii Philipsburgi, Benfeldæ, & Tabernis Alſaticis jure noviſſimè repetierant, reſtitutionem Urbium Sylvaticarum cum reliqua Brisgovia repromittentes,) durius accepere. Et jactata in eum ſenſum, quanquam pauciſſimis credita, Trautmansdorffii verba

Primò id diſſimulantibus.

(*t*) *Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c.* 24.

ba affirmantis, re infecta potius ſe abiturum, quàm vel minimum ex Auſtriacorum Patrimonio Gallis concederet. Rogati quoque Evangelici, Gallis ſvadere, ne anteriores Auſtriacæ ditionis terras Imperio atque Archiducum Domui auferre pertenderent, unde ingentia contra Turcas præſidia, tum vivendi pugnandique inſtrumenta in totius Reip. Chriſtianæ ſaltem promerentur, & contenti eſſent Epiſcopatibus, aliisque, pacis veneratione oblatis. 1646.

LXXII. At Gallis, ſive hæc non ſufficere, ſive majora extorqueri poſſe credentibus, & evulgato Cæſareanorum arcano audacioribus, ampliora (*u*) promittere Trautmansdorffius, totam ſcilicet ſuperiorem atque inferiorem Alſatiam, (exceptis in ea iſtis, qui ſoli Imperatori atque Imperio parentes, ſuæ libertati linquendi ſint,) cum Suntgovia, eodem, quo hactenus Auſtriacis, Jure atque Landgravii Alſatiæ nomine, iis tamen legibus poſſidendam, ut tributorum Imperii Comitiis indicendorum æqualem Electoribus ſecularibus, certamq; ſuſtinendo contra Turcam bello, aut tuendæ Imperii ſecuritati ſummam dependerent, & in imminuti Leopoldi Archiducis filiis patrimonii ſolatium, quinque Thalerorum myriadas intra duorum annorum ſpatium perſolverent, integro Auſtriacis Alſatiæ recipiendæ Jure, quandocunque ex Ludovici XIV. Proſapia Succeſſores legiti- Cæſareorũ. oblatio. 15 & 16. April.

X 2

(u) *Lundorp. d. Lib. c. 25.*

1646. gitima maſculaque prole carere contingeret, reddendis præterea iſti Domui quatuor ſylvaticis, quas appellant, urbibus (die Waldſtädte) Rheinfelda nempe, Seckinga, Lauffenberga, atq; Waldshutto, tum Brisgovia quoque, aliisq; cis Rhenum Auſtriacis Principibus ſubditis. Adjecta de neceſſitate Pacis inter Hiſpanos Galloſque Monaſterii ſanciendæ conditio, & ut proſcriptionis nexu exſoluto Palatino, inferiori Palatinatu contento, ſuperiorem, dignitatemque Electoralem Bojoarus retineret, Auſtria ſuperiori, pignoris vinculo, quo ob navatam adverſus Fridericum Palatinum operam obſtricta tenebatur, liberanda.

Spreta à Gallis. Ab Auſtriacis adjectis conditionib9 reſtricta 29. Maji.

LXXIII. At neque hæc Gallis ſatis viſa, & Auſtriacos ſpe, de Proceribus Regum patrocinio deſtituendis, concepta falſos, facilitatis ſuæ pœnitentia ſubiit. Cum tamen ſponte oblata ſine dedecore reſcindi non poſſe perſpicerent, conditionũ anguſtiis conſtrinxere, quæ in totum revocare non poterant. Ita jam conceſſis (x) Briſaci quidem urbem, integris, quæ deſtrui primum voluerant, munimentis adjunxere, at iis, ultra jam memoratas, conditionibus adjectis, quas obtineri non poſſe ipſi credebant: Ut ſcilicet Amneſtiæ Ratisbonenſi ſuam vim relinquentes Galli, neque Evangelicis Catholicos durioribus, quam quas hi jam propoſuerant, legibus adigundi, neque Svecis invadendorum vel retinendorum Epiſcopatuum

tuum

(x) *Apud Lundorp. d. Lib. III. c. 26.*

tuum Oſnabrugenſis atque Mindani, aut Meppæ 1646.
& Vechtæ, Urbium Monaſterienſi Præſuli ſubjectarum, facultatem permitterent, atque Halberſtadio, ſacro tamen ſtatui non eximendo, Brandeburgio in Pomeraniæ redhoſtimentum oblato, Imperator obligatione ſua perfunctus cenſeretur; nimiis Landgraviæ Caſſellanæ poſtulatis rejectis. Lotharingo ablata, & Spirenſi Epiſcopo Philipsburgum redderentur, Acholmiæ vero Comitatus, & Baronatus Hohenſtauffenſis atque Blaubeyræ Auſtriacis manerent, Arx Hohentwielæ in Landgraviatu Nellenburgenſi Auſtriacæ ditionis ſita, & ex antiquis novisq; pactis iſtis reſtituenda, flagitantibus id quoque Helvetiis, deſtrueretur, ſimulque permitteretur Auſtriacis Principibus, Lindaviam ad Lacum Acronium præſidio ſuo firmare, quamdiu Briſacum una cum Alſatia atq; Suntgovia, Imperii obſequio ſolvendis, poſſeſſione ſuâ, ad univerſam Borboniorum Gentem porrigenda, Galli tenerent.

LXXIV. Reſponſum ab his: Amneſtiæ Procerumq; cauſas ulteriori diſquiſitioni ſeponendas; Palatino inferiorem Palatinatum, nullis donationum religionisve conditionibus truncatū, reſtituendum; Svecorum emolumentis intercedere, ſuū non eſſe, aliter tamen, quam Oſnabrugenſi Mindanove Epiſcopatibus, eos placandos, ad quos etiam de Brandenburgii compenſatione quæſtio pertineat; Landgraviæ, fœderis fide ſibi commendatæ, (Gallorū ad eas declaratio.)

 cum

1646. gitima maſculaque prole carere contingeret, reddendis præterea iſti Domui quatuor ſylvaticis, quas appellant, urbibus (die Waldſtädte) Rheinfelda nempe, Seckinga, Lauffenberga, atq; Waldshutto, tum Brisgovia quoque, aliisq; cis Rhenum Auſtriacis Principibus ſubditis. Adjecta de neceſſitate Pacis inter Hiſpanos Galloſque Monaſterii ſanciendæ conditio, & ut proſcriptionis nexu exſoluto Palatino, inferiori Palatinatu contento, ſuperiorem, dignitatemque Electoralem Bojoarus retineret, Auſtria ſuperiori, pignoris vinculo, quo ob navatam adverſus Fridericum Palatinum operam obſtricta tenebatur, liberanda.

Spreta à Gallis. Ab Auſtriacis adjectis conditionibꝰ reſtricta 29. Maji.

LXXIII. At neque hæc Gallis ſatis viſa, & Auſtriacos ſpe, de Proceribus Regum patrocinio deſtituendis, concepta falſos, facilitatis ſuæ pœnitentia ſubiit. Cum tamen ſponte oblata ſine dedecore reſcindi non poſſe perſpicerent, conditionũ anguſtiis conſtrinxere, quæ in totum revocare non poterant. Ita jam conceſſis (x) Briſaci quidem urbem, integris, quæ deſtrui primum voluerant, munimentis adjunxere, at iis, ultra jam memoratas, conditionibus adjectis, quas obtineri non poſſe ipſi credebant: Ut ſcilicet Amneſtiæ Ratisbonenſi ſuam vim relinquentes Galli, neque Evangelicis Catholicos durioribus, quam quas hi jam propoſuerant, legibus adigundi, neque Svecis invadendorum vel retinendorum Epiſcopatuum

(x) *Apud Lundorp. d. Lib. III. c. 26.*

tuum Oſnabrugenſis atque Mindani, aut Meppæ 1646.
& Vechtæ, Urbium Monaſterienſi Præſuli ſubjectarum, facultatem permitterent, atque Halberſtadio, ſacro tamen ſtatui non eximendo, Brandeburgio in Pomeraniæ redhoſtimentum oblato, Imperator obligatione ſua perfunctus cenſeretur; nimiis Landgraviæ Caſſellanæ poſtulatis rejectis, Lotharingo ablata, & Spirenſi Epiſcopo Philipsburgum redderentur, Acholmiæ vero Comitatus, & Baronatus Hohenſtauffenſis atque Blaubeyræ Auſtriacis manerent, Arx Hohentwielæ in Landgraviatu Nellenburgenſi Auſtriacæ ditionis ſita, & ex antiquis novisq; pactis iſtis reſtituenda, flagitantibus id quoque Helvetiis, deſtrueretur, ſimulque permitteretur Auſtriacis Principibus, Lindaviam ad Lacum Acronium præſidio ſuo firmare, quamdiu Briſacum una cum Alſatia atq; Suntgovia, Imperii obſequio ſolvendis, poſſeſſione ſuâ, ad univerſam Borboniorum Gentem porrigenda, Galli tenerent.

LXXIV. Reſponſum ab his: Amneſtiæ Procerumq; cauſas ulteriori diſquiſitioni ſeponendas; Palatino inferiorem Palatinatum, nullis donationum religionisve conditionibus truncatũ, reſtituendum; Svecorum emolumentis intercedere, ſuũ non eſſe, aliter tamen, quam Oſnabrugenſi Mindanove Epiſcopatibus, eos placandos, ad quos etiam de Brandenburgii compenſatione quæſtio pertineat; Landgraviæ, fœderis fide ſibi commendatæ, — Gallorũ ad eas declaratio.

1646. cum ſacris bonis ipſi flagitatis Eccleſiam fraudari impium foret, aliunde damna ſarcienda. Lotharingi rem aliò ſpectare. Hiſpanis pacem dari poſſe, at ne Germaniæ quies inde tardetur. Quæ de pecunia Tirolenſibus Principibus numerandâ, & præſtando contra Turcas auxilio, debitisque, (id enim quoque poſtulaverant Cæſarei,) in ſe ſuſcipiendis allata ſint, ejus naturæ eſſe, ut niſi accuratiore ratione inita reſponſionem recipere non poſſint. Spirenſis Epiſcopi negotium nihil Imperatoris intereſſe. Ceterum Auſtriacorum votis, retinere cupientium, quæ Wirtenbergiorum quondam fuerant, non ſeſe repugnaturos. Poſt hæc petita, admiſſaque, etiam Alſatiæ Nobiles Urbesq;, Cæſari tantum atque Imperio parentes, in acceſſionem Provinciæ illius Galli flagitavere, non impetrandi ſpe, ſed ut urbes Sylvaticas, Briſaco alioquin incommodaturas, elicerent, in-

28. Jul. curiâ inter prima poſtulata omiſſas; difficilioribus jam Cæſareis, Amneſtiæ maxime Ratisbonenſi, Paci Hiſpanicæ, & Lotharingi reſtitutioni inſtantibus, ſine quibus pacem ſibi non placere, palam oſtentabant.

Satisf. Svecica Cæſareorum oblatio.

LXXV. Iisdem ferè artibus, nec meliori ſucceſſu cum Svecis egere Cæſarei, largitione Pomeraniæ affectum iſtorum in Evangelicos corrupturi, ſi cum dedecore hi habere maluiſſent, quæ ab hoſte fracto jam, omnemque in pace ſalutem poſituro, majori honore, nec imminutâ fidei gloria, ex-

extorqueri poſſe, non absque ratione ſperabant. 1646.
Vulgata jam fuerat, & à plurimis reprehenſa feſti- Protoc.
nantis Trautmansdorffii liberalitas; ipſique Sveci, Evan-
haud quaquam ſui detractores, ſermones de in- gel.
demnitate Regno præſtanda iſti fini à Cæſareanis 28. Dec.
injectos narrabant, ut cetera, quibus Ordinum 1645.
libertati proſpiciebatur, nulla aut minori cura haberentur; à ſe, à belli ſcopo non deflexuris, tutandis illorum Juribus ſuſcepti. Atq; ipſe Trautmansdorffius non ſine dolore Brandenburgiorum auditus eſt; Pomeraniâ cedendum eſſe, nec neceſſitatem hanc effugiendi viam fore, ſatis pro imperio & auribus Germanis inſveto pronuncians; citeriori ſaltem parte facilius deceſſuros, cujus adipiſcendæ ſpem benignitate Auſtriacorum nacti, nondum tamen poſſeſſionem intraverint. Tribuerent hoc Patriæ ſaluti, hac una ratione reſtaurandæ, cui totam Alſatiam atq; Præfecturam Hagenavienſem Cæſarum Domus impendat. Maturando ergo pacis, rebus ſuis adeo neceſſariæ, negotio Trautmansdorffius Pomeraniam citeriorem primum, mox totam, ſub Imperii tamen clientela permanſuram, iis præcipuis conditionibus obtulit, ut extincta Reginæ tum imperantis, aut qui poſt ipſam Rei Svecicæ imponeretur, maſculisve heredibus defecta familia ad Brandenburgios reverteretur, Halberſtadienſi interim Epiſcopatu gaviſuros, & quibuscunq; fœderibus renunciarent Sveci, in Cæſaris Domusque Auſtriacæ de-

 tri-

1646. mentum hactenus initis. Bremenſis quoque ac Verdenſis ditionis terras, ſacra tamen dignitate non privandas, conceſſit, Svecorum auſpiciis ab iis regendas, quos *Adminiſtratorum* nomine Epiſcopatibus illis iſti præfecturi eſſent, Canonicis, quanquam Romanæ ſedis reverentiam retinentibus, Nobilibꝰ atq; ſubditis, Jurium ſuorū ſecuris, & ſalva Bremæ Urbi libertate, ſolius Imperii Majeſtatem venerante, Friderico etiam Holſato ſede certâ, ſumptibusque dignitati congruis ex Archiepiſcopatu Bremenſi, cujus Præſulem hactenus egerat, adſignandis, iſtoque ad priſtinum ſtatum una cum Pomeraniâ redituro, cum maſcula Reginæ aut Succeſſori heredibusve ejus ſoboles defuerit. Petita etiam in remunerationis vicem contra Turcam, ubi neceſſitas popoſcerit, auxilia, & ut operam perſvadendis Gallis, Palatinis, atq; Wirtembergio, commodarent; iſtis, ut oblatas jam ſatisque opimas conditiones acciperent, illis, ut inferiori Palatinatui acqvieſcerent; & huic, ut Comitatum atq; Baronatus ſupra memoratos penes Auſtriacos manere pateretur.

LXXVI. Hæc quanquam ſecretè primum habita, mox tamen, ut in urbe ſermonum avidâ, evulgata, omnium ferè indignatione, eorumq;, de quorū corio ludebatur, conviciis proſcindebantur; Brandenburgiis præſertim totis in lamenta profuſis. Iiq;, dato ad Legatos Evangelicos libello, Cæſareorum facilitatem, & de alienis prodigen-

Brandenburgio.

digentiam acerbè inſectati, iniquum eſſe ajebant, 1646.
aliorũ ambitionem innocentis Principis calamitate piari. Novi atq; in poſterorũ perniciem abituri exempli eſſe, Dominum immerentem, neq; auditum, tota Pomeraniâ, ad LX. milliaria protensâ, ſuoque ambitu CCC. nobiles familias atque XXX. oppida, ſuis muris circumdata, complexâ, tantisque maris portuumque commerciis opportunorum emolumentis ornata, Cæſaris tantũ Decreto mulctari, tantam jacturam ſolo Halberſtadenſi Epiſcopatu penſantis, quã vix quintâ decimâ ſui parte reſarciat; ea quidem Cæſareorum arrogantia, ut id Brandenburgiis nunciantes, rem amplius integram eſſe negaverint, ne ſcilicet aſſentiendi diſſentiendive libertatem ſalvam putarent, cedendi neceſſitate invitis impoſita. At ſi ſapiant, ex injuria aliis facta ſibi caverent Proceres, in eaque re ita cauſam atque calamitatem Septemviri verſari noſſent, ut fortunam alienam, periculum autem commune agi arbitrarentur; quod ad omnes, nî provideatur, pertineat. Neq; enim ibi ſubſtiturum exemplum, ubi inceperit, & fore hæc quoq;, quæ aliquando uſurpentur; nec de aliorum Procerum bonis, reparatis olim viribꝰ, timidius ſtatuturos, qui de Septemviri rebus, fracti jam, tanta libertate diſponant. Et quem dignitas ſua defenderet, cum Electoralis non proſit? qvem numerus amicorum tueretur, cum Fridericum Gvilielmum non protegant? cui

rum eã in rem querimoniæ. 4. Maj.

1646. leges opem ferrent, quæ ne præcipuæ quidẽ dignationis Principis pericula advertant? Vix perſvaderi ſibi, Svecos approbaturos exemplum, in ipſorum aliquando, ut futurorum Imperii Civium, damnum recaſurum, aut accepturos, quorum poſſeſſionem, adverſantibus priſcis Dominis, perpetuam quietamve ſibi polliceri non poſſint. Pontificios certè cum lætitiâ habituros, ſi belli, cujus ipſi auctores extiterint, malis in Evangelicos translatis, horum impenſis pacem recuperent. Meminiſſent Proteſtantes caritatis Chriſtianis mandatæ, æqvitatis, juſtitiæ, atque præcepti, ipſius Chriſti autoritate approbati, ut nobis cupita etiam aliis ne denegemus, neq; permitterent, tam iniqua in Electorem Principem decerni, atq; Svecos rationibus, auctoritate, precibus denique ad mitiora permoverent.

Evangelicorum intercesſio apud Svecos, & de ea re ſententia.

LXXVII. Neque tamen apud hos quidquam profecere, quos flectendæ iſtorum auſteritati aut cupiditati minuendæ delegaverant Evangelici, pleriq; exemplo magis, quam Brandenburgii anguſtiis anxii, Legatorum ejus faſtu inviſi, honores ſibi cumulari contendentium, cum Domini opes minuerentur. Etiã alia memorabantur: Brandenburgium ſpem ſucceſſionis Pomeranæ à majoribꝰ adeptum, quam una cum Electoratu Marchiaque non majori pretio, quã ab iſtis Norimbergenſes Urbis ſuæ arcem, cum quinq; oppidis pagisq; eò ſpectantibꝰ comparaverint; nunquã Pomeraniæ poſ-

poſſeſſionem ingreſſum, & Svecorum armis protectum ſua ſervaſſe; Juliacas ditiones Saxonibus, Pruſſiâ Imperio à Gentis iſtius Principibus ademtam, tresq; Epiſcopatus (Havelburgium nempe, Brandeburgium & Lebuſienſem) in unius familiæ velut hereditatem converſos. 1646.

LXXIIX. Inſtitere tamen Brandenburgici, Collegarũ opem implorantes, ut repetita Legatione cognati ſangvinis Jura, & prætextam armis Procerũ ſalutem Svecis in memoriam revocando Gallorũ quoq; exempla oſtenderent, qui ab Auſtriacis læſi, inde ſatisfieri ſibi expoſcant, unde injurias ſibi illatas querantur, Ne gloriam bello partam iniqua pace inqvinarent. Et delecti à Proteſtantibus (quanquam temporum infelicitatem Meklenburgius, ſuo quoque periculo perculſus, doleret, qua iſtorum avaritiæ deprecandæ talis legatio decernenda eſſet, qui Evangelicarum partium tutelam armis ſuis præſcripſerant,) quo pluribus major auctoritas ineſſet, Magdeburgius, Altenburgius Vinarienſis, Luneburgius, Darmſtattinus, Wetteravius, Argentinas, Ratisbonenſis, Lubecenſis, atque Norinbergenſis, illiqve Oxenſtiernium ac Salvium adeuntes, poſtquam de ingentibus in rem Evangelicam Svecorum meritis favorabili oratione quædam præmiſerant, ut poſtulatorum acerbitatem mitigarent, oravere; placido excepti vultu, mollibusque reſponſis dimiſſi, cum Brandenburgiis in æquas conditio-

Protoc. Evang. 17. 18. 20. Jul.

Interceſſio Evangelicorum iterata pro Brãdeburgio apud Svecos.

1646. ditiones, modo ab iis offerrentur, ſe coituros ſignificantibus. Batavi etiam, exaratis ad Reginam Sveciæ literis, Brandenburgii incolumitatem commendabant, cognationis nexum, quo proxime Chriſtinæ jungebatur, nullis inimicitiis temeratum, ſuumque in eo dolorem, imò periculum referentes, ſi Principis ſalutem, conſtanti fœderis atque amicitiæ cultu ſibi cari, tanto diſcrimini expoſitam conſpicerent, in ſui quoque ſtatus incommodum deflexuro.

Judicia quorundam ex ipſa domo Brandenb. pro Svecis.

LXXIX. Neque tamen in ipſa Brandenburgiorum domo deerant, qui Svecis ob Pomeraniam ſatisfieri æqvum judicarent, eandem, ſi abſque iis fuiſſent, à Cæſareis difficultatem futuram dictitantes; ſubactâ quippe Fridlandio Duci totâ fere Pomerania, neq; præter Stralſundiam reliqua Urbe, quæ victorem moraretur, Pomeraniæ Principem, Gentis ſuæ poſtremum, adactum adſcitis in obligationis partem Provinciæ Ordinibus, Fridlandio caviſſe, ut ſi Stralſundia refragari perſiſteret, belli ſumtus diſpendiaque ipſi exſolverent, eamque in rem Pomerania pignori eſſet. Neque igitur unquam Brandenburgiis iſtam obventuram fuiſſe, niſi de iſtis prius ſatisfactum fuerat. Quin non vanis auctoribus innotuiſſe, jam An. cIↄ Iↄ XXVII. ea in Aula conſilia agitata, ut, ſi quando Ducũ ſtirps deficeret, ad alios multò, quàm Brandeburgios, terra iſta deveniret.

LXXX. At hæc, quanquam magnis motibus atque animorum contentione agitata, ſedatius tamen,

men, atque minori indignatione habebantur, ſi 1646.
cum ea conferres, qua Caſſellanorũ poſtulata audita ſunt, qui integrum Epiſcopatum Paderbornenſem, oppida atque Præfecturas, Friſlariam, Naumbergam, Neoſtadium, atque Amœnoburgum à Moguntiaco, Comitatum Arnsbergium cum urbibus Madenbachio, Hallenberga, & Winterberga, Oppidula præterea Marsbergam, Volkmarſiam, Beverungam atque Kugelsbergam à Colonienſi, Srombergæ Burggraviatum cum Præfectura & oppido Buchholzio à Monaſterienſi, & à Fuldenſi Præfecturas atque oppida Geiſium, Furſteneck, & Rogkenſtul, aliaque in Haſſiæ aut Hirſchfeldiæ Principatu ſita, militi deniq; ſuo ſtipendia poſcentes, ut ipſi omnẽ verecundiã exuiſſe videbantur, ita ceteris, Catholicis maxime, reliquam adhuc patientiam excuſſere, non aliàs magis ſuæ populiq; Germanici contumeliæ indignantibus, quam quod Imperii Civis, nullâ ſupremi Principis aut Reip. reverentiâ, non pace minus ac bello hoſtium more ageret. Præmia videlicet flagitare, quibus ut ignoſcatur, ſi poſtulent, impudentiſſimi judicandi forent. Satis damni ſatisq; ignominiæ ſubire Germaniam, à Gallo Svecoq;, quanquam ſui Juris Regibus, pacem tam caro pretio emercaturam, at omnes dedecoris fines egredi, talia à Cive, rebelli atque hoſtium ſatellite depoſci, cui in defectionis præmium impunitas ſufficere deberet, ſua quoque amitte-

Poſtulata Caſſellana 25. April.

1646. ditiones, modo ab iis offerrentur, ſe coituros ſignificantibus. Batavi etiam, exaratis ad Reginam Sveciæ literis, Brandenburgii incolumitatem commendabant, cognationis nexum, quo proxime Chriſtinæ jungebatur, nullis inimicitiis temeratum, ſuumque in eo dolorem, imò periculum referentes, ſi Principis ſalutem, conſtanti fœderis atque amicitiæ cultu ſibi cari, tanto diſcrimini expoſitam conſpicerent, in ſui quoque ſtatus incommodum deflexuro.

Judicia quorundam ex ipſa domo Brandenb. pro Svecis.

LXXIX. Neque tamen in ipſa Brandenburgiorum domo deerant, qui Svecis ob Pomeraniam ſatisfieri æqvum judicarent, eandem, ſi absque iis fuiſſent, à Cæſareis difficultatem futuram dictitantes; ſubactâ quippe Fridlandio Duci totâ fere Pomerania, neq; præter Stralſundiam reliqua Urbe, quæ victorem moraretur, Pomeraniæ Principem, Gentis ſuæ poſtremum, adactum adſcitis in obligationis partem Provinciæ Ordinibus, Fridlandio caviſſe, ut ſi Stralſundia refragari perſiſteret, belli ſumtus diſpendiaque ipſi exſolverent, eamque in rem Pomerania pignori eſſet. Neque igitur unquam Brandenburgiis iſtam obventuram fuiſſe, niſi de iſtis prius ſatisfactum fuerat. Quin non vanis auctoribus innotuiſſe, jam An. cIɔ Iɔ XXVII. ea in Aula conſilia agitata, ut, ſi quando Ducũ ſtirps deficeret, ad alios multò, quàm Brandeburgios, terra iſta deveniret.

LXXX. At hæc, quanquam magnis motibus atque animorum contentione agitata, ſedatius tamen,

men, atque minori indignatione habebantur, ſi cum ea conferres, quã Caſſellanorũ poſtulata audita ſunt, qui integrum Epiſcopatum Paderbornenſem, oppida atque Præfecturas, Frislariam, Naumbergam, Neoſtadium, atque Amœnoburgum à Moguntiaco, Comitatum Arnsbergium cum urbibus Madenbachio, Hallenberga, & Winterberga, Oppidula præterea Marsbergam, Volkmarſiam, Beverungam atque Kugelsbergam à Colonienſi, Srombergæ Burggraviatum cum Præfectura & oppido Buchholzio à Monaſterienſi, & à Fuldenſi Præfecturas atque oppida Geiſium, Furſteneck, & Rogkenſtul, aliaqne in Haſſiæ aut Hirſchfeldiæ Principatu ſita, militi deniq; ſuo ſtipendia poſcentes, ut ipſi omnẽ verecundiã exuiſſe videbantur, ita ceteris, Catholicis maxime, reliquam adhuc patientiam excuſſere, non aliàs magis ſuæ populiq; Germanici contumeliæ indignantibus, quam quod Imperii Civis, nullâ ſupremi Principis aut Reip. reverentiâ, non pace minus ac bello hoſtium more ageret. Præmia videlicet flagitare, quibus ut ignoſcatur, ſi poſtulent, impudentiſſimi judicandi forent. Satis damni ſatisq; ignominiæ ſubire Germaniam, à Gallo Svecoq;, quanquam ſui Juris Regibus, pacem tam caro pretio emercaturam, at omnes dedecoris fines egredi, talia à Cive, rebelli atque hoſtium ſatellite depoſci, cui in defectionis præmium impunitas ſufficere deberet, ſua quoque amitte-

1646.

Poſtulata Caſſellana 15. April.

1646. mittere meritæ, ſi legibus robur, vires Imperio, & ſupremo Principi autoritas ſua conſtaret; eo iracundiæ provectis Pontificiis, ut, abrupta tractatuum ſerie, & projectis tam indecoræ concordiæ conſiliis, ſupremo potius armorum remedio ſuam dignitatem ſalutemque ſe tutaturos minarentur. Neque Evangelicis, quanquam iſtorum calamitates non adeò ægrè ferrent, votorum ſuorum immodeſtiam Caſſellani probavere, eorumque pudorem hos ipſos ſubiiſſe, illo argumento conjectabatur, quod Croſegkius Monaſterio, Wildnerus Osnabruga Caſſellam proficiſcerentur, nova, ut dicebatur, mandata atque molliora relaturi.

Etiam Evangelicis improbata.

Seſſ. publ. 27. Apr. Publica de iis conſultatio.

LXXXI. At relatione in publico Oſnabrugenſium conſilio hanc in rem facta, non ſine acerbitate Auſtriacus cenſuit; Aliena hæc Landgraviæ Regibus æqvari ambientis petita eſſe, *Recompenſationis* vocabulo (eo enim appellaverant Caſſellani,) adornata; beneficiis quippe tribui ſolitam à Catholicis poſci non poſſe, in qvos ſua libita, velut in captos, exercens omni armorum rabie ſævierint, tanta auri copia emunctos, quæ non militibus modo, ſed & ipſi Principi ditandæ ſufficiat. Qvæ vero in Evangelicos bona Catti contulerint, ſibi incognitum, magna tamen non fuiſſe, ex ingenio ipſorum conjici, nocendi tantum ſolertiâ per temporum horum mala celebrato. Quin publicæ quieti exitioſum, ſi civi Imperii poſita obedi-

bedientia hoſtilia contra Rempublicam indutæ 1646.
præmia perduellionis concedi oportere, dato ſemel exemplo, poſteritati in ſuum exitium eo abuſuræ, monſtretur. Plures, Evangelici maximè, ambigua ſententia, atque æquitate metienda Ameliæ deſideria pronuntiantes, Cattorũ odium, & reliquorum invidiam declinavere.

LXXXII. Minori cura Palatini reſtitutio habebatur, cujus Pater Fridericus, ut ſuprà meminimus, ſuorum conſiliis, uxoriſq; è regia Stuartorum gente ambitione ſtimulatus, (urſiſſe etiam Mathematici ferebantur, novos motus, & clarum Septemviro annum obſervatione ſiderum affirmantes, genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax) cum Bohemiæ regnum brevi & vix unius anni dignitate uſurpaſſet, uno ad Pragam prælio debellatus, ceteriſque ad obſequium exemplo firmandis proſcriptus, ſuarum Provinciarum poſſeſſione exciderat, translata ad Bojoarum Electorali quoque honore, in navatæ Cæſari operæ præmium auctum, quem quidem familiæ ſuæ deberi jam majores ejus pridem contenderant. Ipſe Carolus Ludovicus, claritudine infauſti generis & parentis adverſis abſtractus, reparandis opibus Britanniam incolebat, internis jam tumultibus agitatam, in Regis ſui ſupplicium erupturis. Ita ad bellum iſtud converſo animo, quanquam de Tractatibus Weſtphalicis minus Cauſa Palatina.

1646. nus ſollicitus, potiore (*) at evanida Anglici auxilii fiduciâ, miſit tamen, ſuas res in iſto Regum Principumq; concilio curaturos. Et vero, quamvis Fridericum deliqviſſe ne ii quidem (*o*) negarent, qui Auſtriacos oderant, ut tamen inviſo ſemel Principe ſeu bene ſeu male facta premunt, præproperam (*p*) Ferdinandi, ipſiusque notionem ſupergreſſam ſententiam, neceſſitate præſentium rerum & inſtantibus curis, à Cæſare, ne omnibus Catholicis qvidem, ſatis excuſatam, increpabant; qvi primæ dignationis Principem ſuo Judicio condemnaſſet, de cujus capite fortunisq;, niſi per maximum Comitiatum, ferri non oportuerat. Sic inauditus atque indefenſus, tanquam innocens perierat, cùm, quamvis inviſum atque ſontem, more tamen audiendũ fuiſſe aſſererent. Neq; pœna criminis magis, quàm ultor, diſplicebat. Acceſſit Proteſtantium in Bojoarum magnis jam opibus, & Religionis avitæ nimium invidia, quem agnati manubiis ornari mœrentes adſpiciebant. Unde, quanquam adverſus nocentem ſuaque exempla meritum, miſeratio oriebatur, tanquam non utilitate publica, ſed in cupiditatem unius alteriusve, abſumeretur. Neq; tam Friderici calamitate afficiebantur, (*q*) quàm ſuis incommodis angebantur Evangelici, quibus ſuffectus

Judicia de Palatini proſcriptione.

Evangelicorum.

(*) *Matth. Scrivener. Act. in Schiſmat. Anglic. p. 25. n. 7. 28.* (o) *Caraff. Germ. ſacr. pag. 169.* (p) *De excuſatione iſta idem p. 171.* (q) *Vid. Caraff. Germ. ſacr. p. 142.*

fectus in Palatini Proteſtantis locum Bojoarus 1646.
Pontificius nimia Catholicæ potentiæ acceſſio
illico viſa erat, non augurium id imminentis
mali, ſed jam præſentis ſpecimen interpretantibus. Inde iſtæ exclamantium voces:
ſatis acerbo & in ipſam usque mortem tolerato exilio imprudentiam luiſſe Fridericum, quam
filiis nemo imputet, niſi qvi crimen quærat, ut
vindictam, pœnæ nomine honeſtius exerceat.
Nihil iniqvius, ac paterni odii heredem aliquē fieri. Generoſi animi eſſe, nocenti ignoſcere, at in
innoxios ſævire, crudelitatis, omnem humanitatem aſpernantis. Crimen parentum nullam
maculam filio infligere poſſe, cum ex ſuo quisque admiſſo pœnæ ſubjiciatur, neque alieni criminis ſucceſſorem quenquam conſtitui. Et verò
ſi omnino in liberos paternæ cladis hereditatem
transmitti fas ſit, neque ulla Prætoris æquitate abſtinendi eâ beneficium concedatur, quid ceteros
Agnatos Gentilesque peccaviſſe, ut debita ipſorum Proſapiæ dignitate privari meruerint, innoxiæ cognationis pœnam daturi? Acerbam Auſtriacorum & ad Perſarum atque Macedonum
immanitatem aſperatā legem eſſe, etiam propinquos ſupplicio deſtinare, quo nimirum, qui in
Cæſarem delinquunt, triſtiores perirent. Unius
culpam ipſi exitioſam eſſe debere, nihil univerſorum Juri derogandum.

LXXXIII. Audita in hunc dolorem Pomera- 5. Nov.

 ni 1645.

1646. leges opem ferrent, quæ ne præcipuæ quidẽ dignationis Principis pericula advertant? Vix perſvaderi ſibi, Svecos approbaturos exemplum, in ipſorum aliquando, ut futurorum Imperii Civium, damnum recaſurum, aut accepturos, quorum poſſeſſionem, adverſantibus priſcis Dominis, perpetuam quietamve ſibi polliceri non poſſint. Pontificios certè cum lætitiâ habituros, ſi belli, cujus ipſi auctores extiterint, malis in Evangelicos translatis, horum impenſis pacem recuperent. Meminiſſent Proteſtantes caritatis Chriſtianis mandatæ, æqvitatis, juſtitiæ, atque præcepti, ipſius Chriſti autoritate approbati, ut nobis cupita etiam aliis ne denegemus, neq; permitterent, tam iniqua in Electorem Principem decerni, atq; Svecos rationibus, auctoritate, precibus denique ad mitiora permoverent.

Evangelicorum interceſſio apud Svecos, & de ea re ſententia.

LXXVII. Neque tamen apud hos quidquam profecere, quos flectendæ iſtorum auſteritati aut cupiditati minuendæ delegaverant Evangelici, pleriq; exemplo magis, quam Brandenburgii anguſtiis anxii, Legatorum ejus faſtu inviſi, honores ſibi cumulari contendentium, cum Domini opes minuerentur. Etiã alia memorabantur: Brandenburgium ſpem ſucceſſionis Pomeranæ à majoribꝰ adeptum, quam una cum Electoratu Marchiaque non majori pretio, quã ab iſtis Norimbergenſes Urbis ſuæ arcem, cum quinq; oppidis pagisq; eò ſpectantibꝰ comparaverint; nunquã Pomeraniæ poſ-

poſſeſſionem ingreſſum,& Svecorum armis protectum ſua ſervaſſe; Juliacas ditiones Saxonibus, Pruſſiã Imperio à Gentis iſtius Principibus ademtam, tresq; Epiſcopatus (Havelburgium nempe, Brandeburgium &Lebuſienſem) in unius familiæ velut hereditatem converſos. 1646.

LXXIIX. Inſtitere tamen Brandenburgici, Collegarũ opem implorantes, ut repetita Legatione cognati ſangvinis Jura, & prætextam armis Procerũ ſalutem Svecis in memoriam revocando Gallorũ quoq; exempla oſtenderent, qui ab Auſtriacis læſi, inde ſatisfieri ſibi expoſcant, unde injurias ſibi illatas querantur, Ne gloriam bello partam iniqua pace inqvinarent. Et delecti à Proteſtantibus (quanquam temporum infelicitatem Meklenburgius, ſuo quoque periculo perculſus, doleret, qua iſtorum avaritiæ deprecandæ talis legatio decernenda eſſet, qui Evangelicarum partium tutelam armis ſuis præſcripſerant,) quo pluribus major auctoritas ineſſet, Magdeburgius, Altenburgius Vinarienſis, Luneburgius, Darmſtattinus, Wetteravius, Argentinas, Ratisbonenſis, Lubecenſis, atque Norinbergenſis, illiqve Oxenſtiernium ac Salvium adeuntes, poſtquam de ingentibus in rem Evangelicam Svecorum meritis favorabili oratione quædam præmiſerant, ut poſtulatorum acerbitatem mitigarent, oravere; placido excepti vultu, mollibusque reſponſis dimiſſi, cum Brandenburgiis in æquas conditio-

Protoc. Evang. 17. 18. 20. Jul.

Interceſſio Evangelicorum iterata pro Brãdeburgio apud Svecos.

1646. ditiones, modo ab iis offerrentur, ſe coituros ſignificantibus. Batavi etiam, exaratis ad Reginam Sveciæ literis, Brandenburgii incolumitatem commendabant, cognationis nexum, quo proxime Chriſtinæ jungebatur, nullis inimicitiis temeratum, ſuumque in eo dolorem, imò periculum referentes, ſi Principis ſalutem, conſtanti fœderis atque amicitiæ cultu ſibi cari, tanto diſcrimini expoſitam conſpicerent, in ſui quoque ſtatus incommodum deflexuro.

Judicia quorundam ex ipſa domo Brandenb. pro Svecis.

LXXIX. Neque tamen in ipſa Brandenburgiorum domo deerant, qui Svecis ob Pomeraniam ſatisfieri æqvum judicarent, eandem, ſi abſque iis fuiſſent, à Cæſareis difficultatem futuram dictitantes; ſubactâ quippe Fridlandio Duci totâ fere Pomerania, neq; præter Stralſundiam reliqua Urbe, quæ victorem moraretur, Pomeraniæ Principem, Gentis ſuæ poſtremum, adactum adſcitis in obligationis partem Provinciæ Ordinibus, Fridlandio caviſſe, ut ſi Stralſundia refragari perſiſteret, belli ſumtus diſpendiaque ipſi exſolverent, eamque in rem Pomerania pignori eſſet. Neque igitur unquam Brandenburgiis iſtam obventuram fuiſſe, niſi de iſtis prius ſatisfactum fuerat. Quin non vanis auctoribus innotuiſſe, jam An. cIↄ Iↄ XXVII. ea in Aula conſilia agitata, ut, ſi quando Ducū ſtirps deficeret, ad alios multò, quàm Brandeburgios, terra iſta deveniret.

LXXX. At hæc, quanquam magnis motibus atque animorum contentione agitata, ſedatius tamen,

men, atque minori indignatione habebantur, ſi 1646.
cum ea conferres, quã Caſſellanorũ poſtulata audita ſunt, qui integrum Epiſcopatum Paderbornenſem, oppida atque Præfecturas, Frislariam, Naumbergam, Neoſtadium, atque Amœnoburgum à Moguntiaco, Comitatum Arnsbergium cum urbibus Madenbachio, Hallenberga, & Winterberga, Oppidula præterea Marsbergam, Volkmarſiam, Beverungam atque Kugelsbergam à Colonienſi, Srombergæ Burggraviatum cum Præfectura & oppido Buchholzio à Monaſterienſi, & à Fuldenſi Præfecturas atque oppida Geiſium, Furſteneck, & Rogkenſtul, aliaque in Haſſiæ aut Hirſchfeldiæ Principatu ſita, militi deniq; ſuo ſtipendia poſcentes, ut ipſi omnẽ verecundiã exuiſſe videbantur, ita ceteris, Catholicis maxime, reliquam adhuc patientiam excuſſere, non aliàs magis ſuæ populiq; Germanici contumeliæ indignantibus, quam quod Imperii Civis, nullâ ſupremi Principis aut Reip. reverentiâ, non pace minus ac bello hoſtium more ageret. Præmia videlicet flagitare, quibus ut ignoſcatur, ſi poſtulent, impudentiſſimi judicandi forent. Satis damni ſatisq; ignominiæ ſubire Germaniam, à Gallo Svecoq;, quanquam ſui Juris Regibus, pacem tam caro pretio emercaturam, at omnes dedecoris fines egredi, talia à Cive, rebelli atque hoſtium ſatellite depoſci, cui in defectionis præmium impunitas ſufficere deberet, ſua quoque amitte-

Poſtulata Caſſellana 25. April.

1646. mittere meritæ, ſi legibus robur, vires Imperio, & ſupremo Principi autoritas ſua conſtaret; eo iracundiæ provectis Pontificiis, ut, abrupta tractatuum ſerie, & projectis tam indecoræ concordiæ conſiliis, ſupremo potius armorum remedio ſuam dignitatem ſalutemque ſe tutaturos minarentur. Neque Evangelicis, quanquam iſtorum calamitates non adeò ægrè ferrent, votorum ſuorum immodeſtiam Caſſellani probavere, eorumque pudorem hos ipſos ſubiiſſe, illo argumento conjectabatur, quod Croſegkius Monaſterio, Wildnerus Osnabruga Caſſellam proficiſcerentur, nova, ut dicebatur, mandata atque molliora relaturi.

Etiam Evangelicis improbata.

Seſſ. publ. 17. Apr. Publica de iis conſultatio.

LXXXI. At relatione in publico Oſnabrugenſium conſilio hanc in rem facta, non ſine acerbitate Auſtriacus cenſuit; Aliena hæc Landgraviæ Regibus æqvari ambientis petita eſſe, *Recompenſationis* vocabulo (eo enim appellaverant Caſſellani,) adornata; beneficiis quippe tribui ſolitam à Catholicis poſci non poſſe, in qvos ſua libita, velut in captos, exercens omni armorum rabie ſævierint, tanta auri copia emunctos, quæ non militibus modo, ſed & ipſi Principi ditandæ ſufficiat. Qvæ vero in Evangelicos bona Catti contulerint, ſibi incognitum, magna tamen non fuiſſe, ex ingenio ipſorum conjici, nocendi tantum ſolertiâ per temporum horum mala celebrato. Quin publicæ quieti exitioſum, ſi civi Imperii poſita obedi-

bediëntia hoſtilia contra Rempublicam indutæ 1646.
præmia perduellionis concedi oportere, dato ſemel exemplo, poſteritati in ſuum exitium eo abuſuræ, monſtretur. Plures, Evangelici maximè, ambigua ſententia, atque æquitate metienda Ameliæ deſideria pronuntiantes, Cattorũ odium, & reliquorum invidiam declinavere.

LXXXII. Minori cura Palatini reſtitutio habebatur, cujus Pater Fridericus, ut ſuprà meminimus, ſuorum conſiliis, uxoris; è regia Stuartorum gente ambitione ſtimulatus, (urſiſſe etiam Mathematici ferebantur, novos motus, & clarum Septemviro annum obſervatione ſiderum affirmantes, genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax) cum Bohemiæ regnum brevi & vix unius anni dignitate uſurpaſſet, uno ad Pragam prælio debellatus, ceteriſque ad obſequium exemplo firmandis proſcriptus, ſuarum Provinciarum poſſeſſione exciderat, translata ad Bojoarum Electorali quoque honore, in navatæ Cæſari operæ præmium auctum, quem quidem familiæ ſuæ deberi jam majores ejus pridem contenderant. Ipſe Carolus Ludovicus, claritudine infauſti generis & parentis adverſis abſtractus, reparandis opibus Britanniam incolebat, internis jam tumultibus agitatam, in Regis ſui ſupplicium erupturis. Ita ad bellum iſtud converſo animo, quanquam de Tractatibus Weſtphalicis minus

Cauſa Palatina.

fectus in Palatini Proteſtantis locum Bojoarus 1646.
Pontificius nimia Catholicæ potentiæ acceſſio illico viſa erat, non augurium id imminentis mali, ſed jam præſentis ſpecimen interpretantibus. Inde iſtæ exclamantium voces: ſatis acerbo & in ipſam usque mortem tolerato exilio imprudentiam luiſſe Fridericum, quam filiis nemo imputet, niſi qvi crimen quærat, ut vindictam, pœnæ nomine honeſtius exerceat. Nihil iniqvius, ac paterni odii heredem aliquẽ fieri. Generoſi animi eſſe, nocenti ignoſcere, at in innoxios ſævire, crudelitatis, omnem humanitatem aſpernantis. Crimen parentum nullam maculam filio infligere poſſe, cum ex ſuo quisque admiſſo pœnæ ſubjiciatur, neque alieni criminis ſucceſſorem quenquam conſtitui. Et verò ſi omnino in liberos paternæ cladis hereditatem tranſmitti fas ſit, neque ulla Prætoris æquitate abſtinendi eâ beneficium concedatur, quid ceteros Agnatos Gentilesque peccaviſſe, ut debita ipſorum Proſapiæ dignitate privari meruerint, innoxiæ cognationis pœnam daturi? Acerbam Auſtriacorum & ad Perſarum atque Macedonum immanitatem aſperatã legem eſſe, etiam propinquos ſupplicio deſtinare, quo nimirum, qui in Cæſarem delinquunt, triſtiores perirent. Unius culpam ipſi exitioſam eſſe debere, nihil univerſorum Juri derogandum.

LXXXIII. Audita in hunc dolorem Pomera- 5. Nov.

 ni 1645.

1646. ni oratio, Bojoarum Electorali Collegio obtruſum, neglecta Palatinorum plena domo & undeviginti Principibus, plerisque qualicunque Friderici conſilio non adjunctis, refertâ, apud Evangelicorum Senatum prolixe miſerantis. At vero ad qvietis firmamentum intererat, litem ſopiri, quæ tam atrocibus bellis ſive cauſam ſive occaſionem ſaltem præbuerat, & cujus titulum quamvis obſcurius armis ſuis Reges obtenderant, hoc quoque adjumento cupiditatē ſuam velantes; quanquam ſegnius, ut prætextum ſolum fuiſſe cognoſceres, utilitatem Palatinorum pacis conventu iidem curarent, langventibus omnium fere ſtudiis, qui primo alacres fidem atq; animum oſtentaverant. Neq; ipſos Palatini Legatos multum ea ſollicitudo afficiebat, qveſtus nimirum ſuos deſideriaque ſemel expoſuiſſe contentos; cetera deſides, incertum an ex Domini mandato, temporum opportunitati inſidiantis, an fatali ſocordia agebant, tantaq; torpedo invaſerat animos, ut, ſi Legatos Caroli Ludovici eos fuiſſe ceteri non meminiſſent, ipſi obliviſcerentur. Nihil ipſi in componendæ cauſæ rationem afferre, tantum aliorum Bavariq; præſertim conſiliis poſtulatisve contradicere, quem qvidem retenta ſuperiori Auſtria atque Electorali dignitate utrumque Palatinatum aliaque ad Danubium loca Galli arbitrio permiſſurum, fama manaverat; ſurdis ad omnia Palatinis, reſtitutionem in integrum ſuo

ſibi

ſibi ſenſu votoque fingentibus, incuſatis ideo à 1646.
Servientio, exprobrata ipſis virium imbecillitate, acciperent oblata, hortante, neque incertos belli caſus expectarent, quo Reges diutius detinere non poſſint, nullo ipſorum adjumento levandos.

Brandeburgiorum poſtulata pro Palatino.

LXXXIV. Brandenburgium tamen, Religionis nexu propiorem, acerrimum cauſæ ſuæ Patronum habuere Palatini, cujus Legati Ratisbonenſi Amneſtia nihil in pacis bonum promoveri gravibus cauſis demonſtrantes, Palatinum omnino reponendum, unde per violentiam dejectus fuerit, contendebant. Reges arma, quanquam ſerius, pro libertate tamen atque ſalute Germaniæ Procerum, jam à motuum Bohemicorũ initio afflictâ, indutos non admiſſuros, ut aut fine propoſito excidant, aut bellum à ſe ſuſceptũ injuſtitiæ crimine infametur. Vix tolerari poſſe Colonienſis aliorumq; ſententiam, propriis Tractatibus litem hanc tranſigi ſvadentium. Juvandum potius communis Amneſtiæ beneficio Principem, ut à ceteris, qvibus id tribuatur, non diverſum, ita & ipſum illius capacem. In integrum reſtitutum, actionibus, ſi quas ſibi eſſe quidã putent, ex legum judiciorumq; formula reſponſurum. Neq; rerum judicatarum, atq; Septemvirali Conventui Mulhuſii, ut perhibeatur, approbatarum auctoritatem valide allegari, ipſa Actorum fide deſtruendam. Palatini incolumitatem non

1646. Galliæ Sveciæq; tantùm, ſed & aliis Regibus atqueRebuspublicis cordi habitam,&Comitiorum aliorumq; Imperii Conventuum ſuffragiis ipſoq; Catholicorum adſenſu commendatam,ſine Reip. noxa omitti non poſſe.

Acre Bavari reſponſum.

LXXXV. In hæc acriter invectus Bojoarus, Brandenburgiorum proterviam mirabatur,qvod, Acta publica in contrarium torquentes, ea everſũ irent, quæ ipſius Brandeburgii Electoris conſenſu decreta fuerint. Non pacem atque quietis conſtantiam, ſed nova bellorum incendia ſpectare hanc Marchicorum ſententiam, in ſupremum Imperii exitium efficacem. Fruſtra plenæ huic Palatini reſtitutioni Galliæ Sveciæve aut aliorum Principum tutelam,Procerumque Imperii ſuffragia præſcribi. Exilium quippe Friderici, & verſum in Bavarum Electoratum Galliæ Regem, partam huic dignitatem tuiturum, jam pridem laudaſſe, atque Maximilianum ab ipſo Guſtavo, Septemviri nomine honoratum, quem reducendo Palatino arma moviſſe, nunquam auditum ſit. Neq; Danum, componendæ liti olim accitum, unquam ſive Viennæ ſive Ratisbonæ protuliſſe,quæ obtentui Brandenburgiorum proficerent. Qvin ipſum Britanniæ Regem Generi crimen ſemper deteſtatum, nunquam in integrum, aliquam tantum reſtitutionem, petiviſſe. Et quæ de Proceribus allata ſint, Ratisbonenſium Comitiorum Decreto refelli. Ceterum num

Pala-

Palatini ſeparatos à communi pacis negotio Tractatus, tantis ipſorum precibus quondam quæſitos, admiſſuri ſint, illorum arbitrio relinqui. At fixum id immotumque Bojoaro, Palatinam cauſam Amneſtiæ, ad univerſos ceteroquin porrigendæ, innecti nunquam permittere, aut reparato Domus ſuæ Jure decedere, neq; aliud Brandenburgios, aut alios eadem intemperie uſuros, niſi bello materiem, excidium patriæ, ſibiq; tantarum cladium effuſiq; inutiliter ſangvinis invidiam paraturos. 1646.

LXXXVI. Hæc inter Evangelici, Palatinorum incuria eoq; timore ſolliciti, ne aut pacem cauſa hæc moraretur, aut incommodis legibus transacta, communi Proteſtantium rei incomodaret, Svecos inviſere, qvousque ipſis Gallisve (modo in hanc, modo in illam partem ex innata Genti levitate inclinantibus,) defendendæ illius animus eſſet, exquiſituri. Ab iis cum reſponſo, pacandæ litis hujus negotium ſibi à Regina quidem impoſitum, at non ea pertinacia, ut paci impedimentum ferret, dimiſſi, Meiſterlinū Palatini Legatum, Vinarienſi, Meklenburgio, atque Anhaltino internunciis monuere, rebus ſuis intenderet, & ad conditiones oblatas nova à Domino ſuo mandata propere procuraret; neq; enim paci toti Germaniæ optatæ, ſi cetera componantur, hanc ſolam controverſiam intercedere, aut Reges, aut Imperii Optimates paſſuros.

Evangelicorum cura in cauſa hac componenda.

1646. LXXXVII. Et variæ quidem à diverſis extingvendæ liti rationes propoſitæ, at nullæ utrinq;, neq; ipſis ſemper, qui propoſuerant, placuere; ſive,ne nihil agerent,afferebant,ſive,ut conditiones offerendo, quas alteri parti ingratas adeoque repudiandas non dubitabant, neglectæ concordiæ invidiam in adverſarios verterent. Plurimi, ipſeq; Trautmansdorffius, Carolo Ludovico inferiorem Palatinatum, ſalvo Bojoaro ſuperiori, atq; Electoralem dignitatem alternis vicibus per utramq; Domum,&,ſi hic admitteret,in Maximiliani tantum Proſapia ambulaturam deſtinabant. At ingrata hæc Electori, continuum honorem totiq; Gvilielmi familiæ aſſerenti. Palatinatum tamen inferiorem, eaque, quæ Hiſpanorum præſidiis tum tenebantur, obtulit. Additum à Cæſareanis, ut Palatinus in Septemvirorum Senatu aliquem,octavum tamen ultimumq;,locum occuparet.

Rationes cõponendæ huic rei allatæ.

Project. Inſtru. pac. Cæſar. Art. 8. A Palatinis rejectæ.

LXXXIIX. At ſpreta cuncta à Palatinis,magna cum Cæſareorum ipſorumq; Svecorum indignatione, iſtorum contumaciam arguentium, quod inermes imbellesque nullas concordiæ leges, ne tractatus qvidem, pati vellent. Non aliam perficiundæ rei viam ſupereſſe, quam ut Imperatoris Regumque ac Procerum Legati conditiones conſcriberent, in quas Palatinus ſuarum rerum, dum Anglicas curat, incurioſus, adigendus, aut res ſuas ſibi habere jubendus foret. At cum ſeptena-

ptenarium Electorum numerum, ipſa Aurea Bulla finitum, excedere inconſultum, & Bojoaro Septemviralis officii alterna vice obeundi conditio, ob ætatem morti propinquam, minus arrideat, ſanciri poſſe, ut poſt primogeniti illius obitum ad Palatinum demum, titulo interim Electoris nihilominꝰ honorandum, illud transeat, ſuo ordine ad Bojoaros reverſurum; aſpernante Maximiliano, miſſis ad Imperii Principes literis, nunqvam in iſtas leges ſe conſenſurum teſtato, neque recte Aureæ Bullæ præſcripta huc accommodari oſtendente, quæ etiam alterni honoris viciſſitudine infringenda, octavo Electoratu ſecurius & majori quietis firmitudine mutarentur. 1646. Svecorum conſiliũ de alternatione Electoratus. 27 Jun. Spretũ à Bavaro.

LXXXIX. Palatini itidem ad vetera dilapſi, ſcripto quodam ad Oſnabrugenſes, tabulas pacis â Trautmansdorffio Svecis exhibitas incuſabant, veniam proſcriptionis Domino ſuo promittentes, quam nullo delicto meritus, nunquam in ſe pronunciari audiverit, fidei in Imperatorem atque Imperium conſtans. Illum Electorali Palatina Domo genitum, non ipſum lucis uſum prius, quam avitarum ditionum atq; dignitatum Jura adeptum eſſe, iisque Svecorum ope potitum, at nova adverſariorum violentia exturbatum, omnem recuperandi ablata rationem juſtam putare. Ipſum delicti purum, patratorum à parente invidiam deprecari. Qvanquam neq; Palatinorum qveſtus & poſtulata. 3. Maj.

 hic

1646. hic impactum crimen agnoverit, & toleratum illi exilium Galliæ Sveciæque Reges ægris animis tulerint. Merito ideo poſt impleta à calamitoſo Principe fata, omnem infauſti caſus memoriam oblivione abſcondi potius, quam immerentem filium, tot quoque annorum exulem, alieni nec confeſſi delicti odio onerari. Non adverſari quoque Dominum, quo minus certas Transactiones leges Cæſar Imperiiq; Proceres ferant, modò Aureæ Bullæ aliisque conſtitutionibus, & connexo Palatinis terris Domuique eligendi, atque Dapiferorum Vicariorùmque nominibus celebratis Juribus non adverſas.

Bavaricorum ad ea reſponſum.

XC. Acerbe à Bojoaris reſponſum: Fridericum ſuo merito proſcriptum, ex *Feudorum* natura, legumque publicarum præceptis, Bona muniaque ſibi atque familiæ ſuæ perdidiſſe, ſub fidei ſacramento atque conditione accepta. Neque novum id, honorem Electoratus aliam in familiam transferri, cujus exempla, etiam Majoribus uſurpata, eo æquius hic accommodentur, quod decus iſtud in Bavaricam non ut alienam in Domum immigraverit, ſed veluti ad ſuam regreſſum ſit. Cauſas condemnati Palatini, à Ferdinando editas, Electoribus Principibusque Ratisbonæ & poſtea Mulhuſii conſcriptis approbatas fuiſſe. Jactatum de Caroli Ludovici innocentia ſermonem inutilem, & ſi expendatur, falſum deprehendi; verſis certe ad Meppam contra Cæſarem armis,

pa-

paterni criminis exempla oſtendiſſe. Neque obſequii argumentum, Imperatoris atque Ordinum Judicio, quod Palatini faciant, atrocibus convictis proſciſſo, arma quoque atque bellum minari, ni reddantur, quæ in juſtam perduellionis pœnam ablata ſint. Et quidem Bojoaro, ſuis opibus Gallorumque favore ſubnixo, ceſſuri Evangelici videbantur, modo temperandæ Electorum Catholicorum potentiæ duorum ſuffragiorum copia Saxoni fieret, (neque enim Electoralium, Procerum, urbium, Catholicorum aut Evangelicorum cuiquam in mentem venerat, octavo Electoratui, ſi omninò huic locum ſuprema Reip. neceſſitas faceret, etiam nonum adjici poſſe,) (*q*) cum votis Maximiliani obniti audirentur, unde ſubſidium illi omnes crediderant. 1646.

XCI. Auſtriaca Bavaricaque Domus, multarum ætatum diſſidiis divulſæ, & ſolo mutui uſus vinculo quandoque conjunctæ, ad priſcas ſimultates remeaturæ pleriſque jam diu cenſebantur, quam primùm quæ odiorum inducias temporiq; ſumendam amicitiam perſvaſerant, obtentis iis, deſiiſſent: innatâ Principibus indole, ut cariſſimus iis ſit, qui utilitate præcipua ipſorum potentiam alit, ut apud quos amores atque odia ex temporum fortunæque ingenio æſtimantur. Ita Simultas Auſtriorũ cum Bavaris.

(q) *add. Hiſtor. Com. it. V. 44. p. 679.*

1646. Ita expiratura ſocietas facile exiſtimabatur, non niſi emolumenti ſpe coalita, cum aut adepti eſſent, quæ voluerant, aut optatis potiri non poſſe perſpicerent, ne mutuæ quidem affinitatis reverentia conſtringenda, præcipua imperantium ſorte, ut nunc exoſos per ſanctiſſima fœdera ſibi jungant, nunc omnium nexuum Jura omnisque ſangvinis caritatem inhumana neceſſitas, aut hac quandoque fortior ambitio negligat. Præcipue Bojoari potentia Auſtriacos ſollicitos habebat, tanquam dignitate & provinciis auctus Domum Cæſarum magis urgeret. Gallorum etiam favor, & incerta nutansque Maximiliani fides ſuſpectabatur, qui quanquam ſocietatem Imperatoris palam induerat, in iſtos per occulta & magis fida inclinabat. Neq; dubium habebatur, à Ludovici (*r*) auctoritate atque patrocinio firmamentum honori quæri, quem Ferdinandorum donum negare non poterat. Et elicuit indignatio occulti pectoris vocem Naſſavio, *omnia inter Gallum Bavarumque hoſtilia, belli tantum ſimulacra, & oſtentui exerceri*, Witgenſteinio Comiti affirmanti. Confirmavere metũ oſtenſæ à Svecis Trautmansdorffio Maximiliani literæ, Cæſaris partes bellumque omiſſurum, redditurum etiam utrumq; Palatinatum pollicentis, modo Electoris dignationem & ſuperiorem Auſtriam

(r) *V. Memoir. de M. D. touchant. les negociations à Munſt. p. 42. ſeqq.*

am ſibi Reges adſererent; ſua quoq; in deſtruendis Auſtriacis conſilia extollentis, ea ſibi proviſa memorando, ut nulla à Cæſarum viribus formido Gallis futura ſit. Et ſuccurrebat Gvilielmi Bojoariæ Ducis improbitas, qvi (*s*) cum Saxo quanquam diverſæ religionis adſpernatus fuiſſet fœdera, ab Henrico IV. G. R. de exigendis Germaniâ & in Hiſpaniam veluti deportandis Auſtriacis oblata, ipſe conditionem ſe accepturũ oſtenderat, modo de Imperatorio decore in ſe transferendo certior redderetur. Trahebatur etiã in averſi animi ſignum Trautmansdorffius, cum Viennâ Monaſterium proficiſcens Bavariam peragraret, nullo honore, nulla comitate hoſpitii cultus. Demolituri igitur opes Auſtriaci, in malum ſuum à ſeipſis extructas, cum palam neq; honeſte neq; ſine majori noxia poſſent, Hiſpanos ſuffecere, collatum (*t*) in Maximilianum honorẽ, cujus ſolemnitati Ratisbonenſibus Comitiis ne adeſſe quidem Legatus illorũ ſuſtinuerat, jam pridem ut Auſtriacæ Domui noxium averſantes. Atque ii Carolo Ludovico militem, nummosq; eas in leges obtuliſſe dicebantur, ne unquam cum Bojoaro neq; de Electorali dignitate, neq; de Palatinis Provinciis paciſceretur; obſtringendis beneficio iſto Domus illius Principibꝰ, paria promoven-

1646.

Cæſareorum contra Bavarũ conſilia & conatus.

(s) *Memoir. de Sully Tom. IV. Chap. 31. p. 613. 614.* (t) *Brachel. lib. 2. p. 68. 13. 7. 2. Caraff. Germ. ſacr. p. 139. 142. Epiſt. Rer. Ger. Anon. A. 1623.*

1646. vendis Auſtriacorum votis relaturis, cum Bojoaros continuando in hos Cæſarum faſtigio adverſaturos non dubitarent. Etiam Batavi ab Hiſpanis ad arma, poſt confectas, quæ tum agitabantur, inducias, Germaniæ inferenda, & reſtituendos Palatinos illecti ferebantur.

Gravaminum Tractatus. Protoc. 17. Jul. Evangelicorum de eo deliberatio. Magdeburgiorum Zelus in impugnando Reſerv. Eccleſ.

XCII. Nunc ad Catholicorum Proteſtantiumque certamina revertor. Conſultabant hi, quid ad conditiones reſpondendum, quas nomine iſtorum Trautmansdorffium edidiſſe narravimus. Plures in eam ibant ſententiam, ad Anni M.DC.XX. formam reſtituendos, quacunque temporum hominumque violentia poſſeſſione proturbatos, ut tamen eorum etiam ratio habeatur, qui ante iſtum annum quid detrimenti acceperant. De admittendo in futurum *Reſervato* diſcordabant, atque illud nequaquam ne in quantulæcunque ætatis brevitatem ſe recepturos Magdeburgici ajebant, calidioris plerunque ſententiæ auctores fautoresque, Poſterorum curam obtendentes, quorum olim convitium merito vereantur Evangelici, ſi non adeo afflictis rebus ſuis, à conſtantia Majorum diſcederent, qui *Reſervatum* iſtud perpetua contradictione impugnaverint. Nullam felicitatem Paci ineſſe, potiori hominum quam Dei reſpectu extortæ. Grave Numinis judicium ſubituros, quicunque vel minimum hac in re conceſſerint. Si iniqvum cenſeatur, hominem Bonis ſuis terrisve non merentem

tem exigere, quanto impium magis, in Dei cauſa liberalem, de gloria atque honore ejus quidquam largiri. 1646.

XCIII. Diſſertabant contra etiam ii, qui moderationis alias ſatis indigi, Magdeburgiorum quidem animos Numinis reverentiæ intentos laudantes, ſangvini tamen patriæque, tot annorum mala perpeſſæ, parcendum monebant. Deum tentare, qui majora viribus aggrediantur, quæ Proteſtantibus exiguæ aut nullæ, ſuis quoque cladibus bellique damnis exhauſtis. Neque etiam haberi à Numine dogmatis ſui gladio propagandi mandatum. Non approbari mala, quæ temporum neceſſitati condonentur. De Religione aliquid concedere, impietatis eſſe; at de bonorum ſacrorum Jure quid remittere, Chriſtianæ prudentiæ, Eccleſiæ quietis providentis, cum aliquam, quàm nullam habere expediat. Ceterum publici cultus divini facultatem Evangelicis Pontificiorum ſubditis reſtituendam, atque iis, qui nunquam eâ gaviſi ſint, indulgendam, neque migrare jubendos apud Catholicos degentes, plerique conſentiebant; eo conſtantius illam urgendam addentes, quantum de impugnandi Reſervati rigore recederent.

A ceteris Evangelicis non omnino probatus.

Eorum ſententia pro aſſerenda Avtonomia. Protoc. 21. Jul.

XCIV. Ut autem ex communi omnium Evangelicorum, tam Monaſterii quàm Oſnabrugæ morantium, ſententia Trautmansdorffio atque Pontificiis reſponderetur, Lengeranam colloquium indixere, cui ex Monaſterienſium adrogantia impedi-

Colloquium Evangelicorum

1646. pedimentum, quod ſtatuta ab Oſnabrugenſibus die (Nonas Auguſti dixerant,) comparere dedignarentur, ex ſua etiam, quam eam in rem conſcripſerant, formula, rejecta Oſnabrugenſium, reſponſum Catholicis dari cupientes; illis ſuam retineri volentibus, eamque invitis Monaſterienſibus, ſi reniti non deſiſterent, Cæſareis exhibituris. Imputabant eam moram Pontificii Proteſtantium artibus, tanquã conſilia ab eventu ſumpturi, fortunamque ſociati cum Gallicis copiis Svecici exercitus ſpeculantes, eam trahendi temporis rationem iniiſſent.

tam Monaſterienſium quam Oſnabrugenſium Lengeranam indictum. Eorum diſſidio ſuſpenſum. Inſidioſa Cæſareorum Quæſtio, Evangelicis de ſatisfactione militis Svecici propoſita: 30. Jun. Ab Evangelicis alio aſtu e-…

XCV. Et acceſſit novæ difficultatis materies. Affirmaverant Sveci, aut affirmaſſe perhibebantur, ſermone forte injecto de milite ſuo Germanorum impendiis dimittendo, Nullam in Evangelicis moram fore, qvorum ſacramento eorum exercitus adhuc teneretur, quosqve, ut invitos repugnantesque in communionem Pacis Pragenſis attractos, fœderi Svecico inhæſuros non ambigerent. Cæſarei igitur accitis Altenburgio, Vinarienſi atque Lubecenſi, Svecorum verba referentes, quo iſta tenderent, interrogabant. Patuere aſtutiæ, Evangelicos ſive crimini læſæ Majeſtatis, & violatæ Pragenſis Pacis, aut ſi fœderis ſocietatem inficiarentur, Svecorum invidiæ illigaturæ. Diſſimulato tamen intellectu, ex communi Proteſtantium conſilio repoſitum, incognitum ſibi eſſe, in quorum verba milites ſuos

Sve-

Sveci adegerint, neqve conveniens Evangelicis, 1646.
aliorum ſermones explicare, horumque optimos interpretes eſſe, qui protulerant. Adirent igitur Svecos Cæſareani, atque obſcure dictorum lucem ab ipſis expoſcerent.

XCVI. Convenere tandem Lengericæ ex Monaſterienſibus Luneburgii, Wirtembergius, Franconicus, atque Colmarienſis, ex Oſnabrugenſium parte Altenburgius, Pomeranus, Wetteravius atque Francofurtenſis, ubi in eos ſanciendæ cum Pontificiis concordiæ articulos conſenſere, ſolemni poſtea ceterorum Decreto (*u*) approbatas: ut redderentur, quæ prima Anni M. DC. XXI. die cuique poſſeſſa pars adverſa rapuerit; ne tamen reliquorum, Ludovici Philippi præſertim Palatini Comitis, incolumitas negligeretur, qvorum moleſtiæ annum iſtum præverterint. Bona ſacra Imperii libertate inſignia iis reſtituerentur, aut ſervarentur, qui anni illius exordio iſta tenuerant, duraturo tam Pontificiis quam Evangelicis unius ſeculi fructu, eòque non vi, imo ne cauſâ quidem agere liceret, non prius judicio diſceptandâ, quàm in Judicem litigandi modos, legesqve, ex quibus pronunciandum, utrinq; convenerit; Quicunque ſive Pontificiæ ſive Evangelicæ Religionis Præſul, ſeu quocunque ſacri honoris nomine audiat, ſua Sacra intra hoc ſpatium deſerturus, Bonis iſtis abiret, acciperet tamen, quibus

Conventus Lengeranus Evangelicorum.

Der Evangel. endliche Gegen-Erklärung in P. Gravaminum.

(u) *Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c. 38.*

1646, bus commode vitam ſuam prioriſque dignitatis memoriam ſuſtentet. Oblatus etiam à Pontificiis *Titulus Electi ſive Poſtulati in Epiſcopatum Abbatem, &c.* admitteretur, conſveto tamen loco ſententiam in Imperii Conventibus ferrent Proteſtantium Præſules, & quod de honoris prærogativâ inter Magdeburgium ac Salisburgenſem certamen vertat, idonea conventione componeretur. Evangelicis, Catholicorum imperio ſubjectis, inter quos Mindani, Oſnabrugenſis, Halberſtadienſis, Hildesheimenſis, Monaſterienſis atque Paderbornenſis Epiſcopatuum, tum Abbatiarum Fuldenſis atque Corbejenſis Nobiles aliosque ſubditos, Eichsfeldenſes denique, Erfurtenſes, Duderſtattenos, atque Hœxteranos, omnesq; Palatino Neoburgico parentes, expreſſis nominibus compellabant, publici cultus copia fieret, quo quacunque dicti anni parte priusve Pactorum aut Privilegiorum beneficio potiti ſint; & ſub Auſtriacis degentibus eadem facultas, commendatione atque precibus, ſi poſſet, impetraretur, ſalvo tamen Sileſiis Jure, quod integrum ipſis Cæſar ſpoponderat. Ceteris pietatis domeſticæ cultu non interdiceretur, neque ejicerentur, ſi manendi voluntas eſſet. Duobus, quæ Procerum cauſas tractent, Tribunalibus tertium adderetur, Halberſtadii, donec Magdeburgo melior facies rediret, aut Goſlariæ locum habiturum, eique duarum Saxonicarũ ac Weſtphalicæ

licæ

licæ Regionum negotia ſubderentur, abolendis contra Rothvilenſi, Hagenavienſi, atque Svevico Dicaſteriis, ſummis iſtis Judiciis pari ex utraque Religione numero componendis. In ceteris antiqua fere poſtulata manebant. 1646.

XCVII. In hanc ſententiam concordes Evangelicos renaſcens ex Civitatum Nobiliumq; (horum causâ Wolffgangus Gemmingius clariſſimæ inter Svecos familiæ agebat, quanquam privatæ hujus ſuperbiæ, & pleriſq; ceterorum Nobilium improbatæ id Civitatenſes tribuebant,) ambitione diſcordia turbavit, utrisque libello, quo novæ iſtæ conditiones conſignandæ erant, poſteriori loco nominari dedignantibus. Nobiles priſco more, & continuo Imp. Legum tenore, quibus Nobiles Urbibus præhabiti, & quod ferè magis erat, Archiepiſcopi Moguntiaci, & reliqvorum ſacri ordinis Principum, tum Archiducis Leopoldi, Gvilielmi Hazfeldii Comitis, aliorumq; Cæſareæ Bavaricæq; militiæ Ducum favore, ipſiusque Cæſaris commendatione, ſubnitebantur, communi non Germaniæ ſolùm, ſed Galliæ quoque, Hiſpaniæ, Angliæ, Italiæ, ipſiusque fœderati Belgii, imò totius orbis conſvetudine Nobiles Civitates anteire, memorantes, ut adeo ipſius Naturæ, omniq; Gentium Juri refragetur, qui Nobilitatem Urbibus poſtpoſuerit; neque abſurdum eſſe, univerſum Nobilium Collegium Urbibꝰ præhaberi, quas vel ſinguli ex Eque-

Cõtroverſia Urbiũ Imp. cũ Nobilitate immediata de Præcedentia. Nobilium argumenta.

Z ſtri

1646. ſtri Ordine inter Barones cooptati dignatione præmineant. Denique militaris decoris rationem haberi poſtulabant, in cujus imminutionem vertatur, quidquid Equeſtri Ordini ex dignatione tot ſeculorum populorumque uſu firmata, decedat.
Urbiũ. Urbes contra *Statuum Imperii*, quo Principibus pares, Nobilibus majores, honorem allegabant, quos arctiſſima ſerie connexos in Nobilitatis favorem divelli incongruum, quam nimirum legum juxta cum Cæſare ferendarum, pangendorum cum exteris fœderum, pacis bellive decernendi, & cudendorum numorum jure, non minus ac ceteri Imp. Proceres ipſæ præcellant. Etiam Abbates Prælatosque, licet plebejis quandoque parentibus prognatos, Equeſtri Ordini anteponi, modo Civium Imperii dignitate ſplendeant.
Anno 1619. 31. 34. Protoc. 1. Aug. & Protoc. 11. Aug. Eadem jam Noribergæ primùm, poſtea Francofurti Nobiles ambiviſſe, at, ſervatâ Urbibus prærogativâ, repulſos. Invalidum argumentum eſſe, quod ab ordine Legum Conventionumque Imp. Nobiles arceſſant, ſibi neque alias ſatis, neque hîc præſertim conſtanti, & quarum plurimæ (*t*) Urbes, (*Statuum* quidem nomine, non ad has minus ac reliquos Imp. Ordines, quacunque dignitate præpollentes, ſpectante, ubique prælatos) etiam propriâ appellatione expreſſas congruo loco poſuerint. Ignorantiâ rerum, ſuique Ordinis favore, decipi Gemmingium, qui Galliæ, Hiſpa-

(t) *V.* Regiments-Ordn. *A.1500. Rubr.* von der Steuer.

ſpaniæ, aliarumque provinciarum morem memorans, Naturæ Gentiumque Juri adverſum exiſtimet, Urbes Nobilibus antehaberi. Neque enim privatorum, ſed Rerumpublicarum Jure eas cenſeri deberi, ob *ſtatûs* Imp. prærogativam Equeſtri Ordine potiores; cujus ratione etiam Comitibus atque Baronibus, nedum Nobilibus, Epiſcopos, Abbates, ac Prælatos, plebejis quandoque familiis natos, anteponi, non inſolitum ſit. Quanquam præter hæc, Reſpublicas liberas Nobilitatem antecedere, Helveticæ, Italicarum, aliarumque exemplis pateat, neque inſolens ſit, non immediatæ tantum conditionis Nobiles, ſed Comites etiam atque Barones Imp. Civitatibus adſcribi,(Fuggeri Auguſtæ Vindelicorum deſignabantur,) in Senatum cooptari, quin aliquando civium ſubjectorum loco cenſeri haud dedignantes: Quibusdam patricias antiquiſſimæ nobilitatis familias eſſe, quas neque ſocietate equeſtris Imp. Ordinis, neque ſolemnibus Nobilium Ludis quisquam prohibeat. Aliorum Regnorum Populorumque exempla negotio huic non congruere, quorum Urbibus non eadem, quæ Imp. Civitatibus,conditio ſit,quæ (*u*) tanquam *Nobiles, ac nobilia & ſancta Imp. membra*; *Illuſtres, fulcra, & Columnæ Imp.* aliisque elogiis, publicis Tabulis paſſim celebrentur. Abſurdius eſſe, quod de militari decore in cauſæ ſuæ favorem patrociniumq; 1646.

(u) *Reform. de A. 1436.*

1646. Gemmingius attulerit. Neque enim Statuum, ſed militum loco tales haberi, ſtipendio nempè merentium, cujus non minimam partem Urbes perſolvant, etiam aliquot milliaCivium ſubditorumque ſuorum Patriæ commodantes, ut, ſi numerum ineas, pro Uno Nobili vicenos ſuorum Urbes in commune bonum ſuppeditent. Etiam ſeceſſioné minabantur, ſi libello, quem diximus, digniori loco Nobiles ſcriberentur. Ita ambigentib9 Principum legatis, quanquam pleriſque in Equeſtrem Ordinem pronioribus, Jura nunquam ab Equitibus iſtis amiſſa, atque proximam iis poſt Barones ſedem, ſi quod agitabatur, ſuffragii facultatem recuperent, majori illarum ignominia poſtea tribuendam diſſerentibus, Urbium tamen diſcidio anxii, cum notionem hanc ſuam non eſſe agnoſcerent, poſt varios difficultatis expediundæ modos eum tandem utrisque perſvaſere, ut Urbibus Ordinum nomine primum comprehenſis, poſtea Nobilium, denique Urbium rurſum, expreſſo nomine, eo tamen verborum circuitu, mentio fieret, ut non poſtpoſitæ, ſed priori loco memoratæ, repetitæ tantum videri poſſent.

Protoc. 24. Jul.

Mediũ compoſitionis.

XCIIX. Ita ſedato jurgio, conditiones ſuas Cæſareis Svecisque Evangelici tradidere, iteratis precibus, auctoritate hortatuque concordiam procurarent, cui à partibus ſtudiis ſuis relictis parandæ ſpes nulla ſuperſit. Quæ utrinque benignè, prolixiori tamen Svecorum promiſſione accepta,

Declaratio Evangelicorum Cæſareis Svecisque exhibita. 14. & 24 Aug.

cepta, quamvis Proteſtantium ſive arrogantiam 1646.
ſive incuriam ægre ſe ferre non diſſimularet Oxenſtiernius, quod Svecorum ea ſuper re ſententiam publico requirere nomine, & libellum ad ipſorum libita componere neglexiſſent, humili tamen excuſatione, mœſtitiam Oxenſtiernii ob mortem uxoris non pridem defunctæ adhuc recentem, & relatos à quibusdam laudatosq; ipſi ejus articulos prætendentium mitigatus. Adeo ſervili Svecorum jugo attinebantur, ut ne ſuarum quidem rerum arbitriũ integrum retinerent, quibus Cæſari parere, indecorum videbatur; nihil indigni abnuentes, modo cupitorum apiſcerentur. Tanta illis diverſitas inerat, licentiæ patientiæque.

XCIX. Poſtera die Catholicis declaratio iſta oblata, opinionum non minus, ac Proteſtantes, prout cuique aut indoles, aut ex temporum ſorte conſilium, diverſis; adeo intractabili quorundam ingenio, ut litigiis his communi nomine tractandis nemo fere illorum deligi ſuſtineret, laboris præmium non niſi ceterorum iram atque exprobrationes accepturus. Jam ultra viginti numerabantur, qui ſupremas à Trautmansdorffio ex Catholicorum mandato concordiæ leges Evangelicis exhibitas ſe invitis inſciiſque editas, conteſtabantur; aliis, Herbipolenſi præſertim, pacem quibuscunq; conditionibus redimi, publicis votis optantibꝰ, præcipua inter iſtos in Bojoarũ Evangelicorum fiducia, at Palatini neglectu conciliandũ.

Catholicis, 15. & 25. Aug. In diverſas ſententias ſciſſis.

1646. Bavaricorum oblatio erga Evangelicos

Neque Bavarici captandæ Proteſtantium benevolentiæ deerant, ex iisque Erneſtus Altenburgium, Vinarienſem, atque Brunſvicenſem, implendo, quod accepiſſe ſe dicebat, Domini mandato, adiens, cauſamque ſuam commendans, Catholicos, ut concordiæ quid tribuere, quam extremis inſiſtere mallent, ſe hortaturum promiſerat; neq; enim latêre Septemvirum, nullam paci firmitatem futuram, niſi auferantur, quæ tantorum Reip. malorum initium fecerint.

Der Catholiſ. Bedencken über die von denen A. C. Verwandten den 14. & 24 Aug außgehändigte Schrifft 19. Sept.

C. Ita meliora ſperantibus Evangelicis, triſtior Catholicorum pertinacia evenit. Scripto quippe Cæſareanis oblato, multa acerbitate in poſtremam Evangelicorum declarationem iſti invecti, nihil præter veteres queſtus atque *contrarietates, contradictiones ac iniquitates* eâ contineri cauſabantur; Neque aliud Catholicorum moderatione quidquam ad eam usq; diem profectum, quam ut multa indulgendo adverſariorum cupidinem incenderint. Poſtea Amneſtiæ, utriusq; Religionis Procerum ſuffragiis Ratisbonæ ſancitæ, terminum ad Annum M.DC.XXIV. refixum, integri ſeculi poſſeſſionem Bonorum ſacrorum, Senatus Imperii Jura Evangelicis Præſulibus, Imperiique Urbibus multa extra priſcum morem unico Pacis amore à ſe conceſſa, recenſentes, obduruiſſe contra Proteſtantes querebantur, belli caſus, temporumq; momenta ſpectantes. Prolatum ab Anno M.DC. XIIX. ad annum M. DC. XXI. reſtituendo-

endorum ſacrorum Bonorum terminum verbo- 1646.
rum tantum liberalitatem eſſe, rerum vacuam, cum idem Eccleſiæ Germanicæ ſtatus utroq; tempore fuerit. Neque neceſſum omnino, ut certus reſtitutioni annus ſtatuatur; ederent modo Bonorum illorum, ſive ſoli Imperio ſive Proceribus obnoxiorum, quæ relinqui ſibi cupiant, numerum nominaque, ex quibus in certum annorum uſum, quæ viderentur, Catholici permiſſuri eſſent. At rerum tranſactarum atque judicatarum auctoritati obrogari, non in præſens modo injuſtum, ſed & exemplo in futurum pernicioſum, Evangelicis, quotiescunque Catholicis ſua reddere condemnarentur, Religionis cauſam, Judicum cognitioni exemtam, & partium conventione, id eſt, nunquam tranſigendam prætexturis. Statum Reip. rebus judicatis maximè contineri; corruiturum, quando iſtæ labefactatæ. Manifeſtæ etiam inæqualitatis Proteſtantes deprehendi, rebus ad ipſorum vota tranſactis vim ſuam ſervari poſtulantes, abolendis contra, quæ Catholicis eadem Tranſactionum Jura tribuerint, aut confirmaverint. Intolerandum etiam, Catholicis ſacra, quæ adhuc poſſideant, Bona eodem, quo Evangelicis, modo, in unius ſcilicet ſeculi uſum tantum relinqui, in quæ nullum his Jus, nulla actio competat. Publicæ quoque quieti periculoſum, quod ne elapſo quidem iſto ſeculi ſpatio, de Bonis illis cauſa agere licitum velint Evangeli-

1646. ci, priusquam de Tribunali, Judiciique legibus partes conſenſerint; neque enim in has facilius, quam ipſi reſtitutioni adſenſuros, tanta retinendorum cupiditate detentos. Præterea inconveniens Civibus Imperii, Cæſarem cognitione litium ſuarum excludere. Diverſo à reliqvis loco in Imperii Comitiis capiendo Evangelicis Præſulibus ſatis indultum. Injurios eſſe Proteſtantes, qui cultus divini curam, Procerum ſive *Superioritatis*, ut vocant, Jure ſibi arrogantes, Catholicis eam adimere audeant. Denique ſufficere Proteſtantibus Cæſaris promiſſum, alios Religioni illorum addictos in Judicium Imperiale aulicum ſupra veteres ſe adlecturum, & in cauſis Religionem ſpectantibus Judices æqvali ex Pontificiis atq; Evangelicis numero ſe daturum polliciti.

Evangelicis per Cæſareos ſignificata.

CI. His à Pontificiis exhibitis, Cæſareani, vocatis Proteſtantium Delectis, quanquam ſcripto quid accepiſſe diſſimularent, id ſolum indicarunt, Catholicos ultimo Evangelicorum reſponſo nihil niſi *Extrema*, *Nova*, *Contraria*, quamvis diligentiſſime inquiſiverant, reperiri poſſe cernentes, tractatus reſpuere, ni reſecentur, quæ modum excedant, neq; pro ſuis conditiones eosdem agnoſcere, quas XII. Jul. eo nomine à Trautmansdorffio Proteſtantes acceperint, iis inſtituros, quarum copiam extremo Junio Evangelicis fecerant.

Evangelicorum

CII. Stupuere tam improviſo, quo mitius multo expectaverant, reſponſo Evangelici, inconſtantiam

tiam Pontificiorum, XII. Jul. editas transactionis 1646.
leges detrectantium, arguentes, & ut contradicti-
ones, quibus poſtremum Evangelicorum ſcriptũ inde indignatio.
traducebatur, exempla Cæſareani oſtenderent,
rogavere. Eaq; à Cranio, quanquam repugnante
primum, ore prolata Argentinenſis calamo exce-
pit, communi Proteſtantium Judicio ſupinæ ma-
litiæ & ignorantiæ damnata, & quæ, ut dicebant,
tantæ abſurditatis ab ejusmodi dignationis ho-
minibus expectaſſe non debuerant; quamvis alii
affectûs in Evangelicis vehementiam obſtare ex-
iſtimabant, quo minus accurate de Adverſario-
rum prudentia aut æquitate judicarent. Inter
contradictionum vero ſpecimina allegaverant
Catholici, quod Paſſavienſi conventioni pacique
Auguſtanæ vim ſuam aſſerendam, poſtremorum
autem Comitiórum Decretis detractam; Le-
ges ſacrorum Collegiorum (*ſtatuta Capitulorum*)
ex recepto uſu ſervandas, at Preces primarias cer-
tos ad homines reſtringendas, & Evangelicis
Præſulibus Senatorum Jura adverſus antiquũ mo-
rem concedenda; Jure reluendorum pignorum
Imperii Urbibus contra Imperatorem atq; Catho-
licos Proceres permiſſo, hiſce contra easdem in-
terdici; Religionis publicæ mutandæ faculta-
tem, cujusq; ditionis Dominis ex regula illorum
debitam, Catholicis ademtam, aliaque vellent
ſtatuerentq; Proteſtantes, *principiis* ipſorum in-
congrua.

1646. CIII. At Evangelici, idoneos nodo huic cuneos quæſituri, Galliæ Sveciæque Legatos aggreſſi, præmiſſo magnifico de Regum in Germaniâ meritis ſermone, operam ſuam conciliandæ concordiæ uti adhiberent, iterum oraverunt, ſe quoque non deſtituros polliciti, donec cupitis Reges, æqvum intra modum, potirentur. Pari humanitate reſponſum; non omiſſuros reparandæ quietis curam, cui propriam pacem opesq; ſuas Reges impenderint. Addidere Galli, (quanquam cum iis in cauſa hac à Proceribus agi ægre tolerarent Sveci, ſoli firmatæ ſacræ libertatis gloriam aucupantes,) in iis, qvæ ad civilia Jura pertineant, pronos alacresque, in Eccleſiaſticis ſaltem non adverſos ſe Proteſtantes experturos, modo deſideriis ponerent modum, neq; extrema obſtinarent. Non ſe inficiari, hominum in animos imperia nulla eſſe, illorumque in ſacris poteſtatem non niſi ad externos ritus pertingere, immuni ab ea animo, cui credendi leges præſcribi non poſſint. Hoc ſaltem metuere Catholicos, ne ſubditi ſibi, Aug. Conf. amplexi, pœnarum delictis forſan infligendarum ſeveritatem religionis invidiæ poſtea imputent, ni ſuo lubitu agere permittantur, cuncta lamentis, queſtibus, & violatæ Pacis criminibus impleturi.

Et ad Regios refugium.

CIV. Plurium interea animos admiratio ſubiit, unde iſta Catholicis recens enata audacia, qui, quanquam cladibus periculisque undique urge-

Judicia de Pontificiorum duritie.

gerentur, nondum tamen ferociam exuerent, eas 1649.
Proteſtantibus leges ferentes, quibus mitiores vel à victoribꝰ ſperari debuerant; alienam à præſenti tempore arrogantiam, & ridiculam iram reputantes, nullis viribus nixam, & non niſi in impotentis animi argumentum valituram. Aliis cauſas tantorum Spirituum non adeò obſcuris indiciis ſe deprehendiſſe cenſentibus.

CV. Atque ii, Gallis bellum adhucusque non niſi proſperis ſucceſſibus ferme expertis, verſa jam fortuna, Orbitelli obſidione, cæſo fugatoque exercitu, depulſis totaque Hetruria ejectis, à metu ad fiduciam cum Cæſareis ceteros quoque Catholicos tranſiiſſe diſſerebant. Addere animos rumorem, Batavos cum Hiſpanis in gratiam rediiſſe, non exigua Gallorum ſolicitudine, ne Hiſpanorum, pace cum Batavis confecta, non ſpernenda acceſſione Auſtriaci augerentur. Neque levis Gallos metus inceſſerat, qvorum legatus Thuillerius, dato Hagæ Comitis Batavorum Senatu, antiqua novaque fœdera recenſens, annorum M. DC. XXV. & M. DC. LIV. Pacta in memoriam revocabat, iſta de bello gerendo, hæc de ineundæ Pacis negotio conventa, quibus æquis in hoc progredi paſſibus & junctis conſiliis, cum hoſte paciſci, ambæ partes jubebantur. At Batavicæ Reip. Legatos, neglectâ conventionum fide, ultra quam deceat, progreſſos, in LXXI. articulos cum Hiſpanis conveniſſe, fru-
ſtra

Lis auctus animus, ex Gallorum clade ad Orbitellum.

Hiſpanorum concordiâ cũ Batavis. 8. Aug.

1646. ſtra Gallicis Oratoribus, ne circumſcriptam mutuis pactis facultatem ſupergrederentur, monentibus, quorum cum Hiſpanis tractationi præcipiti iſta feſtinatione non parum difficultatis attulerint. Certè non majori damno rem Gallicam affecturos fuiſſe, ſi nocendi animum profeſſo odio induiſſent. Non immerito mirum videri, Batavorum conſilia, ſociis Gallis ignota, Hiſpanis, acerrimis illorum hoſtibus, patuiſſe, anno hoc ineunte, quietum eum à Belgarum fœderatorum armis, quantumcunque Galli fremerent, ſibi futurum ominatis. Neque ſpei aut augurii falſos, eventum docuiſſe. Batavos quippe non diſtuliſſe ſolum promiſſa auxilia, ſed & pactorum lege oblatis uti recuſaſſe; Grammontio cum tribus Eqvitum, totidemq; peditum millibus, moderante Engvionenſi Duce, Regii Stemmatis Principe, Bruggam usq; perductis, pedem referre juſſo, miſſisq;, qui, nullam rei gerendæ opportunitatem cauſſantes, abitū ejus commeatu proviſuq; juvarent. Fruſtra etiam ſeſe habitum, ut ex fœderis forma claſſe mari immiſſa Aurelianenſi Duci ſuas vires adjungerent, precatum, ne navi quidem conſpecta, qvæ Gallicis accederet. Meliora nihilominꝰ à viris tantæ prudentiæ, tantarumq; virtutum ſperare, quam ut Collegæ dictum probaturos credat, *jus fasq; eſſe, Gallos fallere*, multis præſentibus nuper profeſſi. At quocunque in Gallos animo Batavi ſint, illud ſua tan-

tantum referre, ut quæ illis mens ſit, ſibi in aulam 1646.
remeaturo exponant. Reſponſum à Batavis: pacem cum Hiſpanis tractatam Monaſterii, nondũ 21. Aug.
vero perfectam, nunquam niſi ex ſociorum cõnſenſu vim habituram, ad pactorum nempe modum, anno M. DC.XLIV. initorum. Trompium, claſſi Batavicæ præfectum, cum Flandricas oras fruſtra, neque hoſtibus neq; ſociis uſpiam comparentibus, legiſſet, piratas primum perſecutum, poſt victûs inopia coactum terram repetiviſſe, majori navium vi Flandrica littora reviſurum, quam primum proviſis, quæ neceſſitas moneat, nihil ſuperſit, quod feſtinantem moretur. Hæc tamen magis in ſpecie verbis adornata, quam ut, qvæ pollicebantur, executuri crederentur, non inani conjectura, ipſoq; eventu confirmata, plurimi jam tum ſuſpectabant. Hinc difficilius Gallis cum Hiſpanis bellum fore exiſtimare Pontificios, Batavorum formidine liberatis. Etiam inteſtini diſſidii morbos Galliæ, civilibus turbis aſſvetæ, quidam (*x*) augurabantur, regnum tributis exhauſtum, belli tot annos tolerati faſtidiũ, Gallis etiam victoribꝰ ſolitum, & Mazarini Cardinalis, tanquam moleſtiarũ iſtarum autoris, invidiam referentes. Ducem tantum deeſſe ſeditioni, qui motis rebus facile reperiatur. Etiam Svecorum vires minus jam à Pontificiis formidari, quanquã nondum aperta Gallorum inimicitia, ſuſpicionibus

Gallorũ inteſtinis diſſidiis.

Simultate cũ Svecis.

(x) *Forſtner. Epiſt. ad Scalig. 3. Calend. Sept. 1646.*

1646. nibus tamen ſecretaq; ſimultate infringendas; Svecica quippe potentia modum evecta ſollicitos illos teneri, eo inter alia indicio deprehendi, quod tardiori, (y) ac ex pactis decebat, copiarum ſuarum auxilio Svecos hoſtium deſperationi objecerant; non diſſimulato ab his dolore, quem Gallis non ſine acerbitate Oxenſtiernius teſtatus narrabatur. Sic mutuo timore defixis laxiorem ſocietatis cuſtodiam, utque evenit, inclinatis ad ſuſpicionem mentibus, dum quisque timeat, timeri. Neque in Evangelicos Proceres ſinceriori affectu (z) Gallos inclinare, ſuis commodis non adeò deditos, ut omnem ſuæ religionis memoriam deſpoſuerint. Memmium certe Proteſtantibus, per Pomeranum, Caſſellenſem, Franconicum, atque Colmarienſem de Pontificiorum duritie qveſtis, quod & Judicio experiundi facultatem poſt effluxas ſacrarum poſſeſſionũ inducias ſibi ſervari, & Amneſtiam Ratisbonenſem confirmari contenderent, acerbum videri, præſentibus Collegis reſpondiſſe, Catholicos Tribunali prohibitos, certa & perpetua Bonorum Eccleſiaſticorum jactura mulctari, nulla quippe, ſi vetera novaque exempla ſpectentur, in amica conventione ſpe defigenda. Servientium etiam iſtis jam digredi paratis, (ut ſcil. poſtremum dicta tenacius animo hærerent,) pertinaciam ipſorum Amneſtiam ad Annum M. DC. XIIX. præfracte tunc exigen-

Affectu in Catholicā Religionem.

14. 24. Jul.

(y) *Förſt. d. Epiſt.* (z) *Vid. d. Memoir. fere per tot.*

gentium exprobraſſe, easq; Imperatori in ſubdi- 1646.
torum Auſtriacorum favorem leges dicere audentium, quæ neque Gallis ut æquæ probari, neque Paci reducendæ aptæ haberi queant; Objecto Ferdinandi exemplo, cui totius fere Germaniæ Victori non alia inſecutæ calamitatis cauſa fuerit, quam fortuna intemperanter uſurpata, dum proſpero armorum corruptus ſucceſſu vaſtaque aviditate cuncta complexus, non occupatis exciderit tantum, ſed ſuarum quoque rerum diſcrimen adierit. Ex eoque, quod ſibi utile, Evangelici caperent, & quamvis ſecundis rebus, fortunæ moderarentur, ne præſenti rerum ſtatu elati diverſam & infelicioris forſan jactus aleam ſubirent, ea quoque, quæ jam lucrati, amiſſuri. Auxit hos de Gallorum inconſtantia rumores, quod iidem à Proteſtantibus rogati, ne Achalmiæ Comitatum atq; Hohenſtauffæ, Blaubeyræque Dynaſtias Wirtenbergio Duci ereptas vellent, neve 27 Aug.
Præſidii Lindavio inducendi facultatem permitterent Auſtriacis, muneris ſui eſſe negaverant, cauſis ſingulorum agendis omnium offenſiones ſuſcipere, quas eo majori ratione deprecentur, qvod Evangelici ſuo in Pontificios rigori inſiſtant. Etiam Cæſareanis (a) nimiam in hæreticos facilitatem exprobraſſe Gallos, &, ut præruptam poſtulantium contumaciam negandi conſtantia retunderent, monuiſſe, non obſcuris au-

(a) *Vid. Memoir. de Monſ. D.*

1646. auctoribus ſpargebatur. Saxonis præterea Electoris in tuendis religionis popularibus frigus narrabant, qui, ſive neglectæ Pacis, Pragæ ſe autore confectæ, ignominia accenſus, ſive Svecorum gloriæ invidens, ſi meliorem pararent, ſive afflictæ Reip. fato anxius, reliquorum Proteſtantium Regum externorum Solem adorantium conſilia jam pridem deteſtatus, quibus ſcilicet nulla in eo cura, ſi Imperii dignitas dehoneſtaretur, modo expetita obtinerent, ſibi ipſis aliquando ceterisque ſervitii inſtrumenta futuri, ſcriptis ad propinquos Principes literis, magna ſe lætitia, accepto de Cæſaris atque Catholicorum facilitate nuntio, affectum teſtabatur, quorum illi de ſacris Bonis recuperandis nunquam vi, Judicio verò non niſi poſt unum duove ſecula ſe acturos, iſte in cauſis ad religionem attinentibus tam Viennæ quam Spiræ judicandis æquales ex utraqve religione Aſſeſſores ſeſe daturum obtulerit. Nihil igitur cauſæ ſupereſſe, cur Catholicis in ipſorum Provinciis poteſtatem adimant, aut pernicioſis peregrinorum armis extorqveant Evangelici, quam ipſi in ſuis, more Majorum, exerceant. Æquitati etiam atque æqvalitati adverſaturum, iis legibus Catholicos adſtringere velle, quas ab illis accipere Proteſtantes ſemper detrectaverint. Sublatis jam Pontificiorum conceſſione belli cauſis, ab Anno M. DC. XXXI. inter Imperii Proceres hactenus geſti, ceteras ejus momenti non eſſe, ut non

Saxonis Electoris moderatione.

10. Jul. 1645. & 10. Jul. 1646.

non dilationem aliquam, donec belli moleſtiis 1646.
Germania levetur, admittant, aut non alia tranſactione, quam quæ *ſub clypeo* perficitur, pacari queant, non alio fructu, quam ut, data exteris copia, modo Catholicorum, modo Proteſtantiũ terras iſti vindicent, (ejusq; exempla Pomeraniam, Alſatiam, & Meckelburgium oſtendebat) Imperioque tandem in partes diſtracto, dignitatem Reip. Romanæ, & Principis ſummi cum civibus convellant nexum, aut ſi fortuna vertat, Evangelicam Religionem ſummo diſcrimini exponant. Potius igitur ſibi fore, certa cum ſecuritate amplecti, &, quæ Catholici dare velint, accipere, quam ut, negotio inconſtantis fortunæ arbitrio permiſſo, novis contra Cæſarem, Principem ſuum, communisqve Reip. cives bellis, nullis juſtis cauſis illigari, totiusque Imperii ſalutem peregrinorum fidei committi, ſibique probrum everſæ patriæ à poſteritate objectari ſuſtineat; inopiam præſertim virium æſtimanti, quibus ad duriores conditiones Catholici adigi poſſint, ſi, religione impediti, eas recuſare perſiſtant. Neq; enim Gallorum hanc in rem auxilium ſperandum, ultra jam conceſſa, de ſacris Bonis Catholicos quid largiri poſſe, negantium; Svecica vero arma reſpicientibus illud conſiderandum, num alendis tantis exercitibus Evangelicorum opes ſufficiant; Catholicorum paratui elidendo idoneæ, in quorũ favorem Poloni etiam, quanquam Turcici Tartaricive

1646. belli ſimulacra oſtentantis, arma expediantur. Batavos quoq; immenſa Svecorum Pomeraniam, &, quæ Orienti adjacet, Friſiam, prædæ deſtinantium cupiditate offenſos, atq; Danum iniqua pace, & petito Bremenſi Archiepiſcopatu magis irritatum novos motus portendere, qui ſecurâ fiduciam in Svecorum tutelâ reponi non ſinant.

Saxonicorum Electoralium adventus Oſnabrugæ, 6. Apr.

CVI. Ipſius etiam Legati, Jo. Erneſtus Piſtoris & Jo. Leuberus ICtus, improviſi, nec ulla pompa Oſnabrugam IIX. Jd. Aprilis demum ingreſſi, qvamvis in pleriſq; cum ceteris Proteſtantium, & ne, ineundis cum Catholicis induciis, diſſidiorum ſemina poſteris relinquerentur, primum conſentirent, mox tamen, acceptis ab Aula mandatis, in deterius, ut reliqvi interpretabantur verſi, atq; Evangelicorũ Senatu, quem præſidere debebant, abſtinentes, non ſeculares tantum ſacrarum poſſeſſionum inducias, ſed & annum, ex quo utrinque commiſſa Amneſtiâ abolenda eſſent, M.DC.XXIV. conſtitui ſvaſerant; potiſſima conditionum pars, quas habito cum Trautmansdorffio colloquio propoſuiſſe innuimus. Easq; ſcripto, Delectorum Conventui in pago Lengerich exhibito, repetentes, novas inſuper addidere; Conſultum ſcilicet magis fore, Pontificii in ſacrum aliquod Evangelicorum Collegium, cooptandi Cæſari primarias preces ferenti fieri poteſtatem, quam bellis hac ex cauſa diutius implicari; Menſibus Papalibus etiam apud eosdem non

Illorũ mediá in P. Gravaminũ.

finem,

finem ſed modum imponi; Catholicis eandem 1646.
in Evangelicos ſibi ſubjectos eorumque religionem facultatem relinqui, qua Proteſtantes uſi non ſacra tantum Pontificiorum, (quanquam non vacua,) occupaverint Bona, ſed & urbibus ditionis ſuæ ipſos agrisq; ejecerint. Tertio Tribunali Germaniam non indigere; Pari numero ex utriusque religionis hominibus Cameræ Spirenſis, atque aulici Imperialis Senatus Aſſeſſores conſtitui, iniquum videri, neque enim Catholicos Proceres nominando Evangelico magis adigi poſſe, quam Catholici deligendi neceſſitatem ſibi injungi, vel Elector Saxo vel alius quivis ex Evangelicorum Ordine paſſurus ſit. Reliquas lites ejus momenti Septemviro non videri, ut juſtam belli in patriæ excidium continuandi cauſam ſuppeditent, ſcholarum diſceptationi aptas, at pertinaciæ in immeritam tot hominum millium perniciem, & florentiſſimi quondam Imperii diſſolutionem evaſuræ, ſummi Numinis Tribunali excuſandæ, non ſuffecturas, cujus offenſæ declinandæ omnes pro pace, æquiſſimis quantum liceat conditionibus ſancienda, labores impenſurus ſit. Atq; ita ex præcepto Electoris Saxones, tanta vehementiorum Evangelicorum indignatione auditi, ut non neglectæ ſed proditæ religionis libertatisq; aperta fere exprobratione illos proſcinderent, tanquam incommodas adeo conditiones ſvadere auſi, pervicaciam Pontificiorum

Evangelicis Oſnabrugē ſibus ſummè improbata.

1646. rum(atque iis pleræq; illarum non ingratę erant,) augerent; SaxonicisElectoralib9 contra injuriam interpretantib9 contemtas à Proteſtantib9 leges, qvas tam moderatas & paci opportunas in medium attuliſſent, omnium ferè præter Pomeranũ & Caſſellanum, Evangelicorum Monaſterienſium ſuffragiis adjuti, ne unius alteriusve Domus duritie oblatis à Catholicis conditionibus depellerentur, obteſtantium; illorumq; exempla etiam eorũ qvidam ſeqvebantur, qvi acerrimos Evangelicæ rei defenſores ſe ante præbuerant, novis ex Aulis juſſis, ut Saxonum Electoralium conſiliis inſiſterent, inſtructi; qvanqvam, ne majori ſcilicet, qvam Proteſtantes, concordia agerent, ipſorum Pontificiorũ aliqvi nullam paci conſtantiam ominarentur, ſi Pragenſem imitata unius tantũ ſeculi tranqvillitati proſpiceret. Hæc CæſareorumCatholicorumqve ſpei argumenta (*a*) memorabantur, rurſus tamen ad metum infelici caſu mutatæ, qvo illorum exercitum, qvanqvam viribus ſuperiorem, lociqve opportnnitate defenſum, hoſtium minus virtute, qvam ſolita Cæſareanorum Ducum ignavia, ad Francofurtum adflictum, Mœni ſimul atq; Franconiæ commoditate depulſum Evangelici lætabantur, mœrebant Catholici, cuncti mirabantur.

Secus à Monaſterienſibus.

CVII. Dum ita partium ſpem, metum, atqve vota fortuna intendit, ipſi qvoqve rebus ſuis aut pari-

(a) *Forſtner. d. Epiſt. ſub fin.*

pariturí ſecuritatem aut tuituri, ſolito ſtudiorum fervore agebant. Petierant Cæſarei ab Evangelicis Oſnabrugenſibus, ut ex ordine libelli, XII. Jul. oblati, (in qvem, ad Declarationem Catholicorum XXX. Jun. ſibi exhibitam compoſitum, hos conſenſuros non ambigerent,) ſuper conditiones eò latas ſecum tractarent, indicaturi, ubi diſſideant. Reſponſum ab his, non ſatis integrum ſibi, à pactis diſcedere, ita utrinqve placitis, ut Oſnabrugæ Pontificii cum Evangelicis, & Cæſarei cum Svecis de controverſiis iſtis agerent; præterea metuendum, ne poſtpoſiti Sveci id in contemtum ſui traherent; & qvanqvam de illis negotio huic admovendis qvidqvam conventum diſſimularent Cæſarei, neqve ad eos id pertinere obtenderent, actæ tamen rei memoriam & ſumta Svecis pro aſſerenda Evangelicorum cauſa arma, atqve danda illis Civitatis Jura reponebant Proteſtantes, qvo minus Monaſterium abirent, (nam eum qvoqve honorem Catholicis, tertium jam Oſnabrugam profectis, reddendum monuerant Cæſareani,) iisdem pactis, & accepta à Catholicis Monaſterii, qvò maxima ipſorum pars tractandæ concordiæ, at fruſtra, nuper conceſſerat, contumeliâ, ſe detineri dicentes. Pontificiorum tamen ſive pervicacia ſive miſeratione evicti, (hi per omnia ſacra, ipſiusqve Chriſti numen oraverant, ut molliora iſtis Evangelici admitterent, quibꝰ acceptandis nulla

1646. 18. Sep.

Novalis de loco, ordineqve Gravaminũ tractandorum mutandis, Svecisq; includendis.

1646. vi nullave ratione adigi poſſent, viſcera potius corporibus ſuis evelli paſſuros, quam ut aſſenſu ſuo Religioni tam infenſa probarent, & ſi omnino, prævalente adverſæ partis potentia, omnia Eccleſiæ Bona Lutheranis addicere Numen deſtinaſſet, ſola patientiâ, non in pactorum vim id ſe admiſſuros teſtati,) tum adſenſu Monaſterienſium Evangelici ordinis, cui jam præeſſe occœperant Saxones Electorales, atq; Trautmansdorffii jactatis de abitu ſuo minis (quamvis fictæ pleriſq; cre-
29 Sept. debantur,) permoti, ceſſuri videbantur, tum Sveci, quando non omnia ad ipſorum arbitrium gerebantur, offenſi, vocatis Oſnabrugenſium Delectis, nuperum cum Cæſareis colloquium referebant, qui, modeſtiam ipſorum novis præmiis expugnaturi, citeriorem Pomeraniam, volente Brandenburgio, aut ſi obniteretur, utramque, cum pacto evictionis à Cæſare Imperioque præſtandæ, tum communionem Viſmarienſis Dynaſtiæ, denique Bremenſem Verdenſemque Epiſcopatus, ut Germaniæ Civibus poſſidenda, obtulerint, modo armorum inducias à ſe ſinerent impetrari, atque Ordinum litigiis non immixti, earum tranſigendarum facultatem Cæſareanis relinquerent. At reſpondiſſe ſe, indecorum ſibi, ſi, loco contra partium placita immutato, negotii tractatione excluderentur, cujus perpetrandæ munus ad Evangelicorum preces, neque repugnantibus Pontificiis, recepiſſent. Id ſcil. parti adverſæ animi eſſe,

ut, Svecis quovis modo amotis, Imperii cauſæ, 1646.
quæ potiſſimam flagitatæ Satisfactionis partem
conficiant, priſtinis diſſidiis relictæ, nullum mutuæ benevolentiæ locum, nullam certæ manſuræque quietis fiduciam admittant. At pro Junone nubem habituros iſtos, ſi votis hiſce incumbere pergant. Ponerent igitur ſpem Cæſarei, de Svecis propoſito demovendis ſibi ipſis commentam, ſeque in pacem proclives procuranda Optimatum concordia monſtrarent. Falſos eſſe, ſi, ex Saxonicorum Electoralium aliorumque Evangelicorum humilitate Svecorum generoſitatem metientes, exemplum illorum ſecuturos hos, neque ultra quid hanc in rem dicturos exiſtiment; quibus, ut communem Proteſtantium incolumitatem deſerant, nemo perſvaſurus ſit. Hiſce præmiſſis Delectos rogabant, an ex Cæſareorum Saxonumque Electoralium mente locum ordinemque tractationis iſtius mutari paſſuri forent? Non obſcurum eſſe, eadem fere Dresdenſium atque Catholicorum conſilia eſſe, ut Evangelicis haud ſatis commoda, ita neque Svecis grata, quibus vitio verti non debeat, ſi, facilitatem hanc Proteſtantium quorundam ſuſpectantes, ab iis diſcordent, in commune Rei Evangelicæ bonum adſtipulari ſibi renuentibus. Orare ſe atque monere, ne proprium interitum ſibi perſvaderi ſinant, ſed Majorum conſtantiam imitentur, qui divino honori cuncta alia poſthabuerint. Ad hæc Delecti, communi-

1646. municato cum Collegis conſilio, grates (is finis exordiumq; omnium cum Svecis ſermonum,) pro ardore illorum habuere, fortitudinem retinerent, hortati, qvam non ipſi ſolùm ſervaturi, ſed & Monaſterienſes monituri eſſent, ut cœptis deſiſterent.

Cæſareorum hanc in rem hortamenta erga Evangeli-Monaſterienſes. 18. 28. Sept. CIIX. At Trautmansdorffius ejusqve Collegæ, accitis Monaſterii Culmbaceno, Wirtenbergio, & Norimbergenſi, quæ Lambergius Craniusqve cum Oſnabrugenſibus egiſſent, recenſentes, & moderatiora ſequerentur, orantes; Proteſtantium cupiditatem caſtigabant, qvod ſecularem Bonorum ſacrorum poſſeſſionem, Senatus Imperii facultatem, Præſulibus Aug. Conf. noviter permiſſam, Jus æquali Judicum utriusqve Religionis numero dicundum, & Religionis in propriis Provinciis libertatem, qvæ lucri olim loco habituri fuerant, nunc, ut minora, adſpernentur, novisqve ſemper poſtulatis antiqua cumulantes, ipſas Catholicorum ædes irrumpant, leges ſtatuendo, ad qvas ſubditos ſuos iſti regant, aliaqve moliendo, qvibus extrema Catholicis intentari, haud obſcurè appareat. Adeo Oſnabrugenſes Svecorum affectui mancipatos, ut nihil ſuſcipere audeant, niſi cujus veniam conſenſumve ab iſtis impetraverint, qvos Ordinum prius concordiam procuraturos, quam expetita ſibi obtineant, fruſtra credatur. At verò ipſos Proteſtantes ante aliqvot hebdomadas, lætiori tum Cæſaris for-

ſortuna, cum Oxenſtiernio Monaſterium profe- 1646.
ctos, Altenburgium inprimis, facilioris concordiæ ſpem oſtentaſſe, at pœnituiſſe mox ejus modeſtiæ, ad extrema revolutos, qvamprimum, Archiduce pedem referre coacto, meliorum ſucceſſuum fiduciam Svecorum arma reddiderant; cum Cæſarei, qvæcunqve belli ſors eveniſſet, oblatis ſe ſtaturos promiſerint. Ne fortunæ, nunquam, bello præſertim, fidæ nimium crederent. Non uno momento emendari poſſe tot annorum abuſu inolita, neqve ſordibus omnibus Rempublicam illico expurgare facilius fore, quam navim, multæ ætatis ſentina oppletam, primo nitori uno momento reſtituere. Ablegarent Oſnabrugenſes Monaſterium, negotii cum Cæſareanis tractandi laborem reſumturos, utiliorem rei promovendæ, qvam ſi partes ipſæ congreſſu ſuo rerum diſſidia verborum acerbitatibus augeant magis, qvam tollant. Trautmansdorffium, qvo minus Oſnabrugam abire qveat, valetudine præpediri; illoq; abſente Lambergium & Cranium tanti momenti opus vix aggreſſuros, neqve Cæſarem unica Svecorum libidine cuncta peragi conceſſurum, à qvibus Evangelicis, (ut ſcriptis nuper ad Trautmansdorffium literis præcipuæ inter illos dignationis Princeps confeſſus qveſtusqve ſit,) qvanqvam volentibus verba dari, merito doleant, Ad nullos magis, qvâ Sveviæ atq; Franconiæ Proceres, ſpectare, qvâ celeritate hîc aut cunctatione agatur,

1646. tur, armorum truculentiam è proximo experturi. Proviſurum quippe Bavarum, qua ratione moleſtos hoſpites domo ejiciat, qui non rogati advenerint. At utrumque exercitum illarum Regionum ſumtibus alere, extremo earum damno conſtiturum. Facile eſſe inferioris Saxoniæ Principibus, faſtum atque pervicaciam induere, terrarum longinquitate Svecorumq; vicina tutis, neq; multum ſollicitis, an alii pereant.

24. Sept. Monaſterienſium aſſenſus. Inde Svecorum & Oſnabrugenſium indignatio.

CIX. Et valuit apud Monaſterienſes Cæſareanorum auctoritas, utiliſſimum expediundæ difficultati breviſſimumque cenſentes, ſi poſtremæ ab utraque partium propoſitæ transactionis leges ad Cæſarei libelli ordinem conferrentur, &, modo id obtineri poſſet, Oſnabrugenſium quidam Monaſterium abirent, cum Cæſareis, ex conſilio tamen aut conſenſu ſaltem Svecorum, acturi. Hinc Svecorum iræ, Oſnabrugenſium obteſtationes, defenſiones Monaſterienſium, &, quo Catholici maximè exultabant, Evangelicorum diſſidia, nec minor quanquam ſecretior Cæſareanorum lætitia, qui, ne, pacata Germania univerſis Regni ſociorumque viribus Hiſpanici belli diſcrimen Gallus adiret, pacem arcanis trahendi artibus producere non immerito credebantur.

9. Oct. Saxonicorum Congreſſus

CX. Abiere tum temporis Lengericiam, privato quidem conſilio, Altenburgius atque Vinarienſis, ubi Saxonicis Electoralibus, iſthuc ad preces illorum profectis, quantum ex ipſorum conſiliis

liis detrimenti reſpublica Evangelicorum accipe- 1646.
ret, & invidiæ in Electorem magnitudinem o-
ſtendentes, etiam Cæſareorum verſutiam refere- in pago
bant, qui Galliæ Oratoribus, Caſſellanæ Land- Lenge-
graviæ ſatisfactionem urgentibus, pleraque etiam rich in-
in Marpurgenſi ſucceſſione prona promiſerint, ſtitut9.
at fini tractatuum ſervanda, ne Saxonem Electorem Generi damno offenderent, in componendis Procerum litibus utilem ſibi faventemque habituri, additis aliis, quibus Electoralium animos cœptis conſiliis abſtrahere laborabant. Atque illi, quanquam conjecturis tantum iſta niti primùm regererent, tandem tamen fidem dedere, non modo non interceſſuros ſe in poſterum Proteſtantium votis, ſed & Electorem precaturos, mandata, quæ ad Viennenſis Aulæ guſtum nimio in Ferdinandum obſequio formata agnoſcebant, corrigere, aliaque iis ſufficere velit, Evangelicorum incolumitati magis profutura, ſpem præcipuam ſubdentes, Dominum, imminutâ præſertim Sebottendorffii gratiâ, (is paulo ante validiſſimus in animo Septemviri fuerat,) ceterorum Proteſtantium pro libertate Religionis Catholicorum ſubditis obtinenda ſuffragia ſecuturum, iis tamen difficiliùs adſtipulaturum, quæ de Epiſcopatibus pluribus uni non conferendis, & conſtituendis novis Tribunalibus, illi urgebant. Ipſi quoque, quamvis Anno M. DC. XXIV. reſtitutioni præſtituto perſiſterent, cetero-

1646. rum tamen, quibus ante tempus iſtud damnum inflictum, curam habendam; Inducias ſacrarum poſſeſſionum mutuas reddendas; Halberſtadienſi, Verdenſi, Oſnabrugenſi, & Mindano Epiſcopatibus non decedendum, aut ſi unus alterve Franciſco Gvilielmo reſtitueretur, Evangelicum Succeſſorem deligendum; Sacrorum Bonorum mediatorum proprietatem perpetuo Jure Proteſtantibus conſervandam; libertatem credendi, quantum fieri poſſet, propugnandam, neq; ſubditos migrare cogendos; de judiciis deniq; novis ulterius disqvirendum, conventu iſto cenſuerant.

Tractatio de Gravaminib9 Monaſterii ſuſcepta ſub fin. Octob.

CXI. Rediit tum tractatuum cum Catholicis redintegrandorum ſpes, cum ex Evangelicorum Oſnabrugenſium conſilio, licet dubiam iſtorum fidem ex libello magis ſuſpectantium, quo extremo Junii Cæſareis tradito, & fortè dolove Proteſtantium manus illapſo, quæſtionem de Catholicis in ſacra Evangelicorum qvoq; Collegia induciarũ tempore adſciſcendis omitti jam, & quando caſus detur, ex temporum viriumq; Statu conſilia ſumenda ſvaſerant, Altenburgius atque Vinarienſis Monaſterium concederent, impetrata quanquam ægre, & non niſi poſt enixas Salvii preces, feſtinandæ, ut jactabatur, paci, at, ut poſtea compertum, Batavorum concordiæ cum Hiſpanis ſufflaminandæ, Collegam aliquot diebus Monaſterium prægreſſi, ab Oxenſtiernio veniâ, qui

qui Brandeburgiis moras in reſpondendo, an 1646.
Pomeraniæ abſcedere vellent, nectentibus, ne litibus Procerum Imperiique rebus compoſitis alia Svecisque moleſta Ordines Cæſari propitiati, minorique ab iſtis ſpe metuve, capeſſerent, anxius, commoto vultu, & contrarium id nuperæ Evangelicorum conteſtationi, deſertionemque atqve contemtum Sveciæ objectans, illud ſe admiſſurum præfractè primùm negaverat. At cum & iſthîc libellorum certaminibus tardari potius, quam promoveri, negotium uſus monſtraſſet, colloquio Delectorum rem tentari placuit; multa Gallorum adverſus Proteſtantes gratulatione hortatuque, feſtinarent concordiam, utilius pacem quam ultima bellorum mala accepturi, ſuamqve modeſtiam ſeqverentur, qui pacis amore non integra tantum Regna, hoſtium injuria olim erepta, his relinquant, ſed & terras locaque, puro pioque duello occupata, reddant, atque aliquot auri myriades pro iis expendant, quas in ſecuritatis ſuæ firmamentum petierint.

CXII. Delegati à Pontificiis Moguntiacus, Colonienſis, Auſtrius, Conſtantienſis, Prælatorum, Sveviæ Comitum, Urbisq; Auguſtæ Legati; ex Proteſtantium parte Altenburgius, Vinarienſis, Culmbacenus, Caſſellanus, Wirtembergius, Wetteravius, Franconicus, Argentinenſis, Ratisbonenſis, Lubecenſis atque Norimber-

Inter Delectos utriusq; partis.

1646. bergenſis, (munus hoc, ne Pontificiorum numerum egrederentur, per vices obituri,) aliquoties congreſſi, documentum dedere, nullam in partium conventione ſuis affectibus atque commodis deditarum ſpem collocandam, niſi aliorũ auctoritate moderationis admonerentur. Ideoque Cæſareis tractandi cum Proteſtantibus provinciâ à Catholicis, quorundam ſui Ordinis contumaciam ipſiſmet arguentibus, mandatâ, colloquium inter Trautmansdorffium, Naſſavium, Volmarum, Schrœterum, Salvium, Buſchmannũ, (ceteros enim Catholicos cognitæ nimis ſibi pervicaciæ, & ex quibus unus alterve Monachus octo Epiſcopatuum periculo vel unicum Cœnobium retinere ſuſtineat, inutiles iſti negotio Trautmansdorffius judicaverat,) atq; Proteſtantes inſtitutum; at irrito itidem conatu, cum poſtulata ſua Proteſtantes repeterent, Catholici contra conceſſis quid addere recuſarent, eâ Trautmansdorffii arrogantia, ut victis leges ſtatuere credi poſſet, ni rerum domi Auſtriacis anguſtarũ cum aliis etiam Evangelici meminiſſent, non abſq; adverſo Salvii rumore, cujus ad imperioſas Cæſareanorum conditiones ſilentium, aut, ſi obloqueretur, inſolitam modeſtiam, in deterius, & tanquam ſua tantum curarent Sveci, ſociorũ incurioſi, Evangelici interpretabantur, non exiguo ex Svecico iſto gelu terrore correpti, cum inania cernerent putarentve, quibus totum ſpei ſuæ votorumq; paratũ ſuperſtruxerant. CXIII.

irrita, ut &

Alia inter Cæſareos, Svecicos, & Proteſtantes ſuſcepta.

CXIII. Cumulavit Svecorum invidiam, quod Oxenſtiernius ſeptimo, ex quo Monaſterium intraverat, die alta nocte ſeſe inde proripiens Oſnabrugam remeaverat, Salvium quoq;, ut reditum maturaret, crebris literis urgens, Procerum lites Svecorum arbitrio, ut dicebat, ſepoſitas, ab ipſis partibus, & quidem Monaſterii, cum Oſnabrugæ deberent, tractari, licet antea annuiſſet, mox tamen, ſubeunte moderationis pœnitentia, offenſus; acerbo non hoſtium modo ſed & amicorum ſermone, eo Imperii Optimatium ſortem deveniſſe indignantium, ut concordiam, niſi ad Svecorum lubita, ſancire vetentur, tamdiu bellum habituri, quàm Genti, domeſticam egeſtatem Germanorũ opibus conſolanti, pax diſplicuiſſet, ut quas ſua ſponte ſimultates ſuſceperint, eas non niſi Svecis auctoribꝰ ponere liceat. Qvam autem abſurdum, Procerum concordiæ intercedere, qui ſalutem illorum armis ſuis præſcripſerint? Qvid enim Svecorum referre, partes ſuâ operâ aut aliorum, Oſnabrugæ an Monaſterii, in gratiam invicem redire, niſi Gallorum cum Cæſare, & Batavorũ cum Hiſpanis pace ſolliciti, Germanis diſcordias ſuas relinqui optarent, obtentui ad continuandum bellum profuturas, ne ſcil. pacem ſubire neceſſum habeant, quibus arma tanto lucro tantâq; utilitate gerantur. Collegarum quoq; ſuorum Oſnabrugæ morantium, Magdeburgii, Palatini, Brunſvicenſis, Anhal-

1646. Ab Oxenſtiernio turbata. 10. Nov.

1646. haltini, atq; Wetteravii inconſtantiam Altenburgius & Vinarienſis incuſabant; revocandæ hujus Legationis, ab ipſis decretæ, auctores Oxenſtiernio fuiſſe arguentes.

Alia Catholicorũ oblatio 21 31. Nov. CXIV. Prius tamen quam Oſnabrugam Saxones redirent, novas à Trautmansdorffio conditiones accepere. Iis Catholici ſacra Bona immediata A. M. DC. XXIV. à Proteſtantibus jam occupata, Magdeburgicum nempe atq; Bremenſem, Verdenſem, Halberſtadienſem, (ſi Brandeburgio in Pomeraniæ vicem placeret,) Miſnenſem, Numburgenſem, Lebuſienſem, Brandeburgium, Havelburgium, Lubecenſem, Cammienſem, Sverinenſem & Raceburgium Epiſcopatus, Abbatias denique Hirsfeldiæ, Salfeldæ, Walkenriedæ, Qvedlinburgi, Hervordiæ atque Gerenrodæ, cum ſuffragii in Imperii Senatu facultate; & præterea mediata, exceptis iis, qvæ extra occupantium ditionem ſita, perpetuo Jure concedenda, reliqva Catholicis ſervanda, arcendo beneficiis ſuis, quicunque ſive ſolus, ſive tractis in partem aliis, novam religionem adierit; Catholicorum ſubditis publici cultus libertatem pactis qvæſitam, ceteris, niſi manendi veniam à ſuperioris gratia impetrent, abeundi licentiam commodis conditionibus permittendam; * Imperii qvoqve Nobilium Urbiumqve religionis exercitium ad ejusdem anni regulam exigendum, Auguſtanis Confeſſioni iſti addictis ædium ſacrarum à ſe conditarum condendarumve, (cui

uſui

uſui ex tributis Ærario debitis ſumma qvædam 1646.
permittendo foret) eorumq;, qvibꝰ anno iſto gaviſi ſint; bonorum in pias cauſas ſacratorum poſſionem reddendam; Dunkelſpielæ etiam, Kaufbyræ & Biberaci Civibus ex æqvitate providendum ſtatuebant, Cæſarem qvoqve, nulla qvidem obligatione, ex gratia tantum indulturum promittentes, ut provincias illius extra Bohemiam, Auſtriam atqve Moraviam nunc incolentes non ante migrare jubeantur, qvam ſeculum hoc annum LVI. expleverit; non interdicendo ad bona reditu, qvibus temporis iſtius ſpatio emptorem invenire neqviverint. Præmiſſa ſcripturæ cautio; irrita iſta habenda, ni ceteris etiam litigiis finis ponatur, eamq; ſolis cauſis, inter Proceres aut cum Imperatore controverſis, deſtinatam, qvanqvã ipſa libelli verba ſatis indicabant; Volmarus tamen aceitum Thumshirnium advertit; inani Cæſareorum ſpe, Proceres Evangelicos votorum Compotes in externorum exitium conſenſuros. Atqve has, qvas retulimus, conditiones Proteſtantiũ, Delectis ſcripto traditas, prolixis æqvitatis laudibus Cæſarei commendabant; Trautmansdorffio, ſi in iſtas conveniri neqveat, omnium mentes inverſas, aliaqve & atrociora fata Germaniæ ingruere conqverente; qvamvis minora ſe de iis ſentire Proteſtantes monſtrarent, Proteſtantibus non
undeviginti articulis eas emendari alio mox ſcripto flagitantes.

1646. CXV. Non minus interea fervebat Svecorum negotium, Pomeraniam, ſaltem citeriorem, conſtanter depoſcentiū, Brandenburgiis non minori contentione eam retinere ſatagentibꝰ. Abierant Bielefeldiam Witgenſteinius Comes & Baro Lœwius, nova à Domino Hagam tendente mandata de abdicanda illa petituri, in cujus compenſationem Magdeburgi, Halberſtadii, Hildesꝰhemii, Oſnabrugæ, Mindæq; Epiſcopatus, Glogoviæq; præterea, Javeræ atq; Sagani in Sileſia, octo nimirum Principatus, quaſi de lucro captando ageretur, pro uno expetens Lœwius, cunctorum ferè Evangelicorum indignatione auditus eſt, metuentium, ne exemplum Auſtriaci quoque imitarentur, provinciarum in Gallos cedendarum dolorem eadem ratione levaturi. Neq; moderatiora à Septemviro reduces retulere, partem tantum citerioris Pomeraniæ, Rugiæ inſulam, deniq; Triebſeſſiæ Barthiæq; præfecturas illius nomine offerentes, ſi in damni ſolamen octo, quos recenſuimus, Principatus darentur.

[Margin: Satis grata. Satisf. Svec. Sub fin. Octob. — Recompenſatio pro Pomerania à Brandeburgiis poſtulata. — Ab ipſis Evangelicis improbata.]

CXVI. Idq; Sveci etiam averſati, quanquā nuper Evangelicis, Cæſareorum audaciam incuſantibus, quod Proceribus iisq;, quorū interſit, inconſultis, non Pomeraniam tantum, ſed tanquam *ex plenitudine poteſtatis* evictionem Imperii nomine promittere auſi fuiſſent, ſe quoq; hac temeritate offenſos, neq; ſola illorum ſponſione contentos, non niſi partium conſenſu, placitoq; Procerum

[Margin: Svecorum agendi hac in re ratio.]

cerum oblata accepturos jactaſſent, in contrarium jam mutati, neglectis Brandenburgiis, cum Cæſareis rem confecturos ingenue profitebantur, Croſſenſi, poſt Glogovienſi atq; Saganenſi Ducatu, & Halberſtadii Epiſcopatu ſe damnum iſtud penſaturos pollicitis; occulto Proteſtantium metu, proditam à Svecis Cæſari de Principum fortunis poteſtatem dolentium. Ne tamen in apertos queſtus prorumperent, commodi ſpe, Svecorũ autoritate Catholicis extorquendi, prohibebantur, vinclo & neceſſitate ſilendi. 1646. Evangelicis moleſta ſuſpectaque.

CXVII. At iſti, ſpretâ præſentium invidiâ, anteriorem Pomeraniam totam, Inſulas quoque Rugiam & Wollinam, cum Cammini Epiſcopatu, Damminâ, & quidquid cis Oderam ſitum ad ulteriorem Pomeraniam alias pertinuerat, ac in hanc, ſpem ſucceſſionis, quando Brandeburgia Electoralis familia olim deficeret, atq; interim alia vicẽ ejus expletura; præterea ex Mekelburgio Ducatu, Urbem portumque Wiſmariæ, cum munimento Walfiſch, & Præfecturis Pœl & Neukloſter, Bremenſem denique ac Verdenſem Epiſcopatum, cum oppido atque Præfectura Wilshauſen, novo ſcripto à Cæſareis poſtularunt, reſervata priſcis Dominis compenſatione, aut, ſi abnuerent, libera eorum poſſeſſione, à Cæſare Imperioque evictionis cautione confirmanda, & retentione locorum, quæcunq; ex iſtorum terris milite ſuo tenerent; Cæſareis, quan- 8 18. Nov. Et nova iſtorum poſtulata.

1646. quam poſtulata de Cis-Oderana Regione, ad ulteriorem Pomeraniam ſpectante, atque Caminenſi Epiſcopatu, ſpe deniq; extinctis Brandenburgiis ſuccedendi, ut nova rejicerent, cetera concedentibus, Septemviro ſolo Halberſtadii agro, ſalvo tamen ſacro Statu, Raceburgii vero Meklenburgio permiſſo, & approbatis, quæ de retinendis illorum locis, in utraque Pomerania aut Meklenburgi Ducatu Svecorum præſidiis inſeſſis, ni volentes cederent, iſti adjecerant. Qvod poſtremum minori Svecorum prudentia petitũ, qvam à Cæſareis indultum pleriſque videbatur, Auſtriacis pacis emolumentum aliorum impenſis habituris, ſi conditiones ii accipeꝛent, (à qvibus tamen nunquam ſecura poſſeſſione gaviſuri forent Sveci,) ſin detrectare perſiſterent, non tamen minus qviete fruiturum Cæſarem, & cum bellum placuerit, integra Jura Electorem illi commodaturum, (cui tamen metui avertendo evictionem à Cæſare ſpondendam ſufficere alii exiſtimabant;) Ita egregio ſolertiæ ingenio, Cæſareos ſemina futuri belli in Svecos meditari, qvorum fortitudini cedere præſentium temporum neceſſitate jubeantur.

10. 20. Nov. Cæſareorum in pleriſque adſenſus.

Svecorum hac in re imprudentia, & Cæſareorum calliditas.

CXIIX. Brandeburgici quoqve non oblata magis Pomerania, quam promiſſa Imperii evictione accenſi, literis Proteſtantibus inſcriptis, ſupremam omnium injuriarum, univerſo Procerum Ordini, ſi non præſenti damno, exemplo ſal-

Qveſtus Brandeburgiorum 1. Dec.

ſaltem pertimeſcendam, & *Gravamen Gravami-* 1646.
num clamitando, Svecorum conteſtationes, Pontificiorum Eridos pomum Evangelicis objicientium verſutiam, fidem Civium, patriæ denique tranqvillitatē ingerebant, cui nullum niſi à transigentium benevolentia robur parari qveat.

CXIX. Neq; minori rumore Friderici Holſati, Bremæ Archiepiſcopi & Daniæ poſtea Regis, qveſtus Oſnabrugam atqve Monaſterium implebant. Is, datis ad Evangelicorum Senatum literis, ſortem ſuã miſerans, immerita ſe calamitate plecti lamentabatur; neutri quippe bellantium admixtum æqvo favore utrosque coluiſſe, nulli neqve injuria, neq; prævalente in alterum beneficio cognitum, ad pactionis nempe formulam, qua à Svecis primum, poſtea à Cæſare quoqve mediarum partium gratiam obtinuerit, tamdiu illa gaviſus, donec à Kœnigsmarkio, nulla neque indicta causâ, terris atq; dignitate prius ſe exturbatũ, quam Sveciæ ſe exoſum noviſſet, à cujus Regina non honore ſolum atqve compellatione Archiepiſcopi Bremenſis Verdenſisque affectus, ſed & Legatione à Salvio obita, gratulationis officia exſecuturo, honoratus fuerit, diverſa multum ab eo ſermone ſpecie, quo Holmiæ nuper, vitio Fridericum creatum, Legatis ſuis Sveci objectaverint, cum ante horum in Germaniam adpulſum Succeſſor Bremenſi adhuc vivo deſtinatus, electusq; Verdenſiũ Epiſcopus legitimam in Principa-

Friderici Holſati, ob Archiepiſcopatum Bremæ, Svecis cedendum. 16 Nov.

Bremæ Anno 1635. Stadæ Anno 1636. 1644. 1637.

1646. cipatus iſtos poteſtatem adeptus ſit. Injuſtum omnino, belli inter Cæſarem Svecosque geſti mulctam innocenti injungi, & imputatam aliis culpam, alterius detrimento penſari, Pacis præmium ex eorum ſpoliis captando, pro quorum incolumitate arma expediviſſe jactatum ſit, neglectis legibus, quas Numen, & Natura generi humano, ſibique ipſis non omnino humanitatem deſvetæ Gentes ſtatuerint, & proculcata cognati ſangvinis neceſſitudine, qvo, ſive Patrem ſive Matrem reſpicias, utrinqve proximo Reginam attingat. Supra veri fidem ſibi viſum, Cæſari animum eſſe, Principi fido res ſuas auferre, qvi cuiqve ſua tributurum ſeſe aſſerturumq;, dicto in legem Regiam ſacramento ſpoponderit. Meliora qvoqve de Imperii, Regionum maximè Saxonicarum atque Weſtphalicæ, Proceribus ſperare, qvam ut, ejecto communis Reip. Cive, ſocietatis, qvo invicem cohæreant, nexum convelli, aut opportunitatem ſibi eripi patiantur, cui in commerciorum uſus Albis Viſurgisque, & propinqva Maris oſtia, ad totius Germaniæ emolumentum inſerviant. Male igitur Cæſareanos provincias obtuliſſe, & acceptaſſe Svecos, qvi tractationem de illarum reſtitutione ex nuperæ pacis inter Danum Svecumqve initæ formula, Holmiæ cœptam, ibi qvoqve perficiendam, Oſnabrugæ non ita dudum ipſi monuerint.

Poloni inter- CXX. Poloniæ etiam Regis Procurator (*Reſidens*) Mathias Crakovius, rerum ſuarum ſata-

ta-

tactūrus, & ob nimia Svecorum incrementa anxius, ita bellum componi petebat, ne aut fidei, qva Poloniæ Regno Brandenburgium obſtringi dicebat, aut Regni ſecuritati qvid adverſum inferretur, atqve vitarentur, novam forſan armis materiem præbitura; Jura inprimis in regionem Stolpenſem, Rugevvaldiam, Slagenſem Regi ſuo ſeponerentur, conditione iſta à Caſimiro I. in Pomeraniæ Duces collatas. 1646. Ceſſio, ratione Pomeraniæ. 11. 21. Nov.

CXXI. At omnium contentionem Brandenburgicorum æſtus ſuperabat, qvi, ſive compenſationem peterent, cujus nomine ultra octo iſtos Principatus, etiam Comitatum Schaumburgenſem, & ut Palatini Saxonesqve Juribus ſuis in Juliacas provincias renunciarent, atqve duas præterea myriades deſiderabant, ſive Pomeraniam ſibi ſervari pertenderent, ſemper nimii, pacis negotium inexplicabilibus difficultatum nodis involvebant, adeo doloris impatientia provecti, ut, ſi præter citeriorem Pomeraniam Stettino qvoqve, Garzia, atqve Oderæ flumine, aut tota etiam Pomerania Septemvir exueretur, tantum non bellum Imperio denuntiarent; teſtante etiam Barone Lœvvio, Altenburgio & Vinarienſi præſentibus, Electorem (*b*) diris caput Brandenburgiorum vehementia.

Bb 4

(b) *Verba formalia:* Ihr. Churfl. Durchl. hätten ſich hoch verſchworen / nicht nur Pommern / ſondern auch die Marck / und den Chur-Huth daran zu wagen: Ja nicht zu achten / wann darüber gleich das gantze Röm. Reich / und Evangeliſche Weſen zu Grund und Boden gehen müſte.

1646. caput ſuum devoviſſe, ni periculo Marchiæ ipſiusque Septemviralis Tiaræ Pomeraniam recipere, & qvidqvid uſpiam ægrum foret, movere & qvatere aggrederetur, certus, cuncta miſcere, & privata vulnera Reip. malis operire, caſui ſuo Germaniæ totiusqve Evangelicæ rei excidium oppoſiturus. At nondum eo rem proceſſiſſe, ut non niſi Brandeburgii interitu & periculo Reip. Svecorum commodis conſuli poſſit. Relinqverentur potius, qvod Ablegati illius Provinciæ ſvaſerant, Electori Pomerania, ſpe ſucceſſionis Svecis danda, ſi Gens Brandeburgiorum occideret, & ſuperſtite iſta portuum interim fluviorumqve uſu gauderent; ita de *ſecuritate*, fœdere etiam, & pacto ſucceſſionis cum Brandenburgiis firmanda, ipſis provideri poſſe. *Utilitatem* ex Bremenſi, Verdenſi, Halberſtadenſi, Mindano, Hildeshemio, Paderbornenſi Principatibus, Comitatibus Schauenburgi, Hoyæ, Diepholdiæ, atqve Ravensbergæ, Meppæ præterea, Vechtæ, Kloppenburgi, ac Wilshuſæ Præfecturis, ad Epiſcopatum Monaſterienſem pertinentibus, acceptutis. Qvod conſilium qvanqvam Oxenſtiernio, ut præferebat, non adverſum, Salvius tamen atqve Groulartus Gallus, *tanqvam Peſtem & Ruinam Germaniæ*, abominabantur. Idqve non Evangelicis magis gratum, Pacis moras, & donec Cæſaris eam in rem, Regumqve, & ceterorum mandata exqvirerentur, perituram Germaniam me-

Ablegatorum Provinciæ Pomeranæ conſilium.

Nemini probatum.

metuentibꝰ, Brandenburgii etiam, cum non pro- 1646.
cederet, adſpernabantur.

CXXII. Miſſi interea Hagā à Cæſareanis Plettenbergius, & à Gallis San-Romanus, Barones, ad Septemvirum, nuptiarum ſolemnia cum Aloyſia, Arauſionenſis Principis filia, celebrantem, fœderiq; qvod Pomeraniæ tuendæ cum Batavis agitabat, intentum. Ei San-Romanus Magdeburgi, & dum Auguſti Saxonis vitâ detineretur, Halberſtadi Epiſcopatum, Gallorum opera procurandum, obtulit, ſi Svecis, anteriorem Pomeraniam cum Stettino, Garzia & Wollina inſula retinere cupientibus, annueret, additis tamen conditionibus, qvibus iisdem duodecies c. cIↃ. & Landgraviæ Caſſellanæ ter aut qvater c. cIↃ. *thalerorum* exſolvere, Saxoniæq; Electori qvatuor ex Magdeburgico Archiepiſcopatu Præfecturas, Qverfurtum nempe, Guterbock, Damm & Borck, Pace Pragenſi adſignatas, relinqvere, & Bohemiæ deniq; Regi Croſnenſem in Sileſia Ducatum reddere jubebatur; ni conſentiret, utramqve Pomeraniam, nullo jacturæ ſolamine, perditurus.

4. Dec. Legati à Cæſareis & Gallis ad Brandenburgium perſvadendū miſſi. Galli oblatio.

CXXIII. Repoſuit San-Romano Elector, relicturum ſe Svecis citeriorem Pomeraniam, aliaq; ad eam ſpectantia, Epiſcopatu Halberſtadienſi, Magdeburgenſi, morte Saxonis vacuo, & Mindano; atq; Stettinum, duodecies c. cIↃ. imperialium penſanda; at Wollinam inſulam ſibi reddendam; adjectis, qvibus Oderæ inprimis & com-

Electoris reſponſum.

mer-

1646. merciorum opportunitati proſpiciebat. In aliam formam, (ut incertum & conſilia ex fœderis Batavici ſucceſſu ſumpturum cognoſceres,) Electoralium Ablegatis reſpondit, (nam & hi literis, ne nimia retinendæ Pomeraniæ cupiditate, ceterorum quoq; periculum adiret, monuerant,) innocentia ſua modice obtenta, temporis ſolum ſpatium precatus, ut cum ceteris Brandeburgiæ Gentis Principibus deliberare, &, quid è re videretur, decernere poſſet.

Ad Ablegatos Electoralium. 11. Dec. 23 Dec.

Acerbius ad Ablegatos Cæſareorum.

CXXIV. Acerbius reſponſum Plettenbergius retulit, alia ſcilicet Septemvirum, belli innoxium, expectaſſe, quam ut ipſe ſaluti publicæ victima cæderetur, & Cæſareani de incolumitate illius cum Svecis paciſcerentur. Proculcata etiam Naturæ atque populorum Jura, & violatam legis Regiæ fidem Imperatori exprobrabat, Principem inſontem, fidemq; in Imperium nunquam mutatum, Provinciis ſuis proturbare ſuſtinenti. Cetera legatis ſuis mandaturum, ubi Agnatorum Gentiliumque conſilia audiviſſet; Cæſareis tanta reſponſi acerbitate aſperatis, conſenſum Electoris ſæpius petitum, ipſumque (aut patrem potius) ſi Svecis credatur, primum fuiſſe, regerentibus, qui Svecica arma in Germaniam prolicuerit; neq; ideò moleſte habendum, noxia conſilia in conſultorem recidere.

LIB. IV.

LIB. IV.
SUMMARIA.

1. *Evangelicorum Interceſſio, à Brandeburgicis deſiderata. Iſtorum eam in rem dubia; certo modo tandem annuentium.*
2. *Ad eam Interceſſionem Reſponſio Cæſareorum.*
3. *Svecorum.*
5. *Ultima horum Propoſitio.*
6. *Brandeburgiorum ad eam Declaratio. Inter utroſque tandem conventum.*
7. *Recompenſatio Brunſvicenſis.*
8. *Controverſia de Bremenſi Seſſione. Bavari invectiva in Svecos ob arrogatum primum locum; & agitatam ſui excluſionem è Principum Curia. Media componendæ huic liti allata; ſopitæ.*
9. *Continuatio Tractationis de Satisfactione Gallica; oblatæ à Gallis conditiones.*
10. *Queſtus Wirtembergiorum.*
11. *Lindavienſium.*
12. *Pronis Evangelicorum auribus accepti.*
13. *Tractationis de Satisfactione Gallica capita.*
14. *Legatio Svecica, ob cauſam Palatinam Lutetiam miſſa.*
15. *Fruſtra. Palatinorum in re differenda conſilia. Exigua à Gallis ſpes. Neoburgi induſtria in aſſerenda communis Domus dignitate.*
16. *Colloqvia in P. Gravaminum inter Cæſareos, Svecos & Evangelicos inſtituta. Difficultas ob ter-*

terminum Reſtitutionis, eosque, qui ante iſtum terminum læſi. Ob Epiſcopatum Mindanum & Oſnabrugenſem; Locum Evangelicis Epiſcopis aſsignandum; Autonomiam.

17. *Judicia de Evangelicis.*

18, 19. *Ipſorum Evangelicorum. In ſpecie ratione Autonomiæ.*

20. *Novæ & mitiores Cæſareorum conditiones.*

21. *Ab Evangelicis itidem ſpretæ.*

22. *Objurgatis ideo à Cæſareis.*

23. *Reſponſum Evangelicorum dilatorium. Alia rurſum Cæſareorum oblatio. Evangelicis non omnino ingrata.*

24. *Reſtauratum inde inter Volmarum & Salvium colloquium; nullo ſucceſſu.*

25. *Conventus inter Cæſareos, Svecos, & Evangelicos repetiti. Difficultas ob Autonomiam in terris Auſtriacorum.*

26. *Saxonicorum Electoralium inde indignatio & expoſtulatio cum Cæſareis.*

28. 29. *Projectum ſecundum Inſtrumenti Pacis Cæſareanorum. Ab iis mitigatum.*

30. *Deliberatio in id Evangelicorum.*

31. *Projectum Svecorum. A Cæſareis improbatum. Laudatum etiam à Pontificiorum quibusdam.*

32. *Largior Cæſareorum oblatio. Evangelicis maxima ex parte probata.*

33. *Unica ferè difficultas in Autonomia Auſtriacorum.*

35. Plu-

35. *Plerarumque controverſiarum compoſitio; reliquis Monaſterium rejectis.*

36. *Inſtituta Monaſterii Tractatio, Pontificiorum adverſus Tractata contradictio.*

37. *Eorum Querelæ contra Cæſareos.*

38. 39. *Cæſareorum Apologia.*

40. *Trautmansdorffii abitus.*

41. *Tractatio inter Lambergium, Volmarum, & Salvium continuata. Aſſiſtentia Auſtrio-Hiſpanica.*

42. *Bavari in ea re pro Gallis ſtudia. Temperamenta à quibusdam propoſita.*

43. *Satisfactio Caſſellana à Gallis ſuſtentata. Cæſareorum oblatio; ubiq; rejecta.*

44. *Continuatio Tractationis Caſſellanæ.*

45. *Catholici ob Caſſellana Poſtulata Transactionem Gravaminum confirmare recuſant.*

46. *Suſpicio & ſollicitudo Evangelicorum ex Pontificiorum literis ad Bavarum, ab ipſis Bavaris communicatis.*

47. *Epiſtola Muhlmanni Jeſuitæ, Egræ à Svecis inventa.*

48. *Et Cæſareorum ambiguitate.*

49. *Oxenſtiernii minæ de retractandis pactis. A Salvio explicatæ mitigatæque.*

50. 51. *Reſtaurata Tractatio. Ejus difficultates. Alexandri Erskenii pro Exulibus Auſtriacis ſtudia. Bavaricorum ad pacem promovendam promiſſa.*

52. Ers-

52. *Erskenii poſtulata pro Auſtriacis Evangelicis.*
53. *Colonienſis & Osnabrugenſis armiſtitium cum Svecis & Landgravia renunciant. Colonienſis literæ ad Landgravium, Wrangelium, & Kœnigsmarkium.*
54. *Reſponſum Landgraviæ.*
55. *Kœnigsmarkii.*
56. *Spes Evangelicorum ex Bavaro & Colonienſi.*
57. *Eorundem ſuſpicio in Bavarum. Leuxelringii Auguſtani pro bello conſilia. Catholici in qvatuor factiones diviſi.*
58. *Volmari Tractatio à Proteſtantibus expetita.*
59. *Cæſareorum in protrahendo pacis negotio conatus, Saxoni, Bavaro, aliisqve Catholicorum improbati.*
60. *Saxonicorum officia apud Cæſareos, ad celerandam pacem, horumqve reſponſum.*
61. *Poſtulatum Gallorum, ut Auſtriaci Landgraviorum Alſatiæ titulo abſtinerent.*
62. *Et in decem Civitates Præfecturæ Hagenavienſis. Procerum pro iis, ut & Lotharingo, ac Imp. Vaſallis Metenſibus &c. ſententia.*
63. *Conditiones Palatinis à Cæſareis oblatæ. Palatinorum Declaratio.*
64. *Svecorum pro Palatinis ſtudia.*
65. *Deliberatio & ſententia Procerum de cauſa hac, & inſtitutione octavi Electoratûs. Electoralium. Eqveſtris Imp. Ordinis, Svecorum.*
66. *Deputatio Imp. Collegiorum ad Svecos in hac*

cau-

cauſa. Evangelicorum conſilium, à Svecis comprobatum.

67. *Palatinorum repugnantia ; irritâ, Cauſâ ad Bavari votum deciſâ.*

68. *Armiſtitium Gallo-Sveco-Bavaricum.*

69. *Legatio contra eam rem à Svecis Lutetiam amandata.*

70. *Fruſtra. Induciæ perfectæ. Improbatæ Cæſari.*

71. *Hujus ad Bavarum literæ.*

72. *Bavari reſponſum.*

73. *Rixa Auſtriacorum cum Bavaricis.*

74. *Werthii, Bavaricæ militiæ Ducis, ad Cæſarem defectio. Suſpicio inde Svecorum in Bavarum; Et ad eum Wrangelii literæ, atqve Legatio. Bavari reſponſum.*

75. *Et literæ ad Cæſarem.*

76. *Hujus reſponſum.*

77. *Induciæ à Bavaro Svecis renunciatæ.*

78. *Reginæ ad illum reſponſum.*

79. *Et literæ ad Gallum. Reginam matrem, & Cardinalem Mazarinum.*

80. *Joannis Erneſti, Legati Bavarici, ad Legatos Svecicos Reſponſum.*

81. *Evangelicorum inde metus ; Erneſti Bavarici Legati conteſtatione mitigatus.*

82. *Satisfactio Militiæ Svecicæ, ab Erskenio flagitata ; atqve inde tam Evangelicorum qvàm Pontificiorum conſternatio.*

83. *Literæ Cæſaris ad Ordines Imperii.*

84. Con-

84. *continuatio Tractationis Gravaminum. Caſar bellum malle ſuſpectus.*
85. 86. *Increpatur à Bavaro.*
87. *Caſareorum profeſſum tardanda in Hiſpanorum gratiam pacis ſtudium.*
88. *Tractatio Oſnabrugæ à Volmaro reaſſumta. Bavaricorum pro Pace, & contra Pontificios auſteriores vehementia.*
89. *Nuncii Apoſtolici Proteſtatio ad Proceres Pontificios.*
90. *Pontificis neglectus.*
91. *Hiſpanorum conatus in impediunda pace, ſuſtentatorum à Caſareis, ingenti Pontificiorum pacificorum indignatione.*
92. *Saxonis conſilia armorum reſumendorum; contra Brandenburgii.*
93. *Evangelicorum inſtantia apud Caſareos ab maturandam pacem.*
94. *Cæſarei conventis cum Trautmansdorffio ſtari poſſe negant. Præcipua Puncta Catholicis improbata.*
95. *Catholicorum Declaratio ad Cæſareorum poſterius Projectum Inſtrum: Pacis; in puncto Satisfactionis Suecicæ.*
96. *Evangelicorum è contra inſtantia.*
97. *Caſareorum queſtus ob nova Suecorum poſtulata, ratione Satisfactionis. Suecorum excuſatio.*
98. 99. *Saxonici Electoris de his Tractatibus ſententia.*

I. Inte-

I. 1647.

INterim Sveci nova ex Aula mandata accepere, Pomeraniam, vellet nollet Brandenburgius, non omittere, & Volmarus, nec multis poſt diebus Trautmansdorffius ſanitati reſtitutus, Oſnabrugam, rem iſthic confecturi, abierant; obſtinatis adhuc Brandenburgicis, qui vetera, nova, & Gallorum præſertim atque Batavorum patrocinium commemorantes, ab Evangelicis, ut Svecorum auſteritatem oratu atque auctoritate frangerent, crebris precibus poſtulabant. Et his quoq; diverſæ ſollicitudinum formæ oriebantur, illinc commoda ex Svecorum atque Brandenburgii amicitia in rem Proteſtantiũ proventura, bellorum contra inter infenſos metum, & proximorũ pericula, atq; horum ex damno Catholicorum utilitatem; hinc delegatum Cæſareis negotiũ hoc cum Svecis tractandi munus, ſolo Evangelicorum placito non revocandũ, Trautmansdorffii diſceſſum, & tardiores inde pacis progreſſus, atq; Svecicæ maximè Aulæ rumores cogitantium, ingratitudinem Proteſtantium incuſantis; tanquam ſuis malis ſubveniri optantes, nullam votorum Sveticorum curam oſtenderent; iſtorum contra utilitati ſuffragantes, qui Regni incrementis obnitantur. Timebant quoque, ne deſideriis ſuis, qvorũ ſvavitatem jam animis præſumſerant, abeunte Trautmansdorffio, difficilius potirentur, atq; miles, elapſo, (is tum agebatur,) Januario, perficiundæ tractationi præ-

26. 30. Dec.

Evangelicorum Interceſſio à Brandeburgicis deſiderata. Iſtorum eã in rem dubia.

1646. fixo, hiberna omiſſurus inſtantis pacis irâ excidio daret, qvæ anteacti temporis calamitate nondum perierant. Obverſabatur præterea Gallorum oratio, bellum, niſi Procerum ſumptibus ſe continuaturos negantium, atq; inde ſollicitudo, ne culpâ protractæ pacis, à Catholicis Proteſtantibus impactâ, offenſi iſti, emortuas fere Ligiſtarum factiones novis opibꝰ repararent, tractisq; in partes Gallis, & compoſito jam inter Hiſpanos Batavosque bello, cunctorum exercitus Evangelicorũ capiti terrisq; Pontificii melioris pacis deſperatione immitterent; caro nimium conſervandæ Brandeburgio Pomeraniæ pretio. Et quo excuſatius ſub exemplo repulſa acciperetur, ne Electorale quidem Collegium Brandeburgiorum precibus dediſſe ajebant, ut Svecos per Delectos, Pomeraniam deprecaturos adirent. Sic inter ambigua hærentibus placuit tandem, ita Brandenburgiorum vota apud Cæſareos Svecosq; promovere, ut rogantium magis, an deprecationem, aut deliberandi ſaltem per octo dies ſpatium admittere vellent, quam commendantium ſpeciem ferrent.

Certo modo tandem annuentium.

3. Jan. Ad eam Interceſſionem reſponſum Cæſareorum.

II. Reſpondit Trautmansdorffius, annum jam præteriiſſe, ex quo Brandenburgius moras ex moris trahendo & cum conſenſum rogaretur, acerba & ignominioſa reſpondendo, pacis celeritatem tardaverit. Ita immoto iſti, non abſtinere, Pomerania Svecis, eam non reddere, Cæſari, exſolvi bello, & Proceribus Imperii, averruncatis

tan-

tandem armorum moleſtiis, pacis dulcedine re- 1646.
creari, neceſſum eſſe, viam ingredi, qva negotio
exitum inveniant.

III. Neque molliora Sveci repoſuere, non u- 5. ejus-
njus anni, quin plusquam duorum luſtrorum tra- dem
ctatum huic rei impenſum referentes; Guſtavum Sveco-
ab Electoris patre jam Anno M. DC. XXIV. acci- rum.
tum; poſtea Salvio, percipiendis penitus Septem- Anno
viri conſiliis miſſo, Albis, Amiſiæ, Rhenique flu- 1625.
vios à Svecis, Danis, Britannis, Batavisque occu-
pandi, armaq; Cæſari inferendi rationem ab iſto
propoſitâ, & à Gœzio Electoris Cancellario ob-
lata Pomerania tamdiu repetitam, donec bellum
Guſtavo perſvaſerint, quod mox non deſeruerint
modo, ſed & meditata in Livoniam expeditione,
aliisq; inflictis Sveciæ injuriis contumeliisq;, non
niſi erga hoſtes exerceri ſolitis, quo animo in Sve-
cos ſint, claris ſatis argumentis oſtenderint. Non
de octo dierum, ſed, ut ex Brandeburgiis compertum
habeant, tot hebdomadû ſpatio, imo donec
decreta à Batavis in Sveciâ Legatio reverteretur,
agi, cui deferri, an Evangelici paci rebusque ſuis
ſalubre exiſtimarent, ſententiam illorum, &, ut
rationes adjicerent, petebant.

IV. Rediit tum Cliviâ Witgenſteinius, non- 7. Ian.
dum, qvibus Svecis placeret, portans. Et labo-
rantibꝰ Cæſareanis, Memmio, hanc ob cauſâ Oſ-
nabrugam profecto, atque Batavorum Legatis, ut
amica transactione litem ſopirent, plurima ex

1647. evictione, Pomeraniæ cauſâ ab Imperio præſtanda, incommoda obverſabantur, inprimis perpetui militis Svecis, Cæſari, Bavaroqve, (ſolis Auſtriacis armorum regimen non permiſſuro,) alendi neceſſitatem expendentibus, quanquam Sveci eam potius moleſtiam ſe ſubituros affirmabant, qvam ut flagitatæ à Brandenburgio immenſæ compenſationis impendio Imperii Proceres onerarent.

Nova Eorum propoſitio. 15. 25. ejusd. V. Prodiit tandem ſuprema Svecorum *Propoſitio*, qva vetera poſtulata augentes explicantesqve Pomeraniam citeriorem, Rugiam, Jura in Epiſcopatum Caminenſem, ad Duces iſtius Provinciæ olim pertinentia, Griffenhagen, Bahn, & Wildenburg, tum Garziam, Stettinum, Wollinam, Damm, totum orientale Oderæ littus, à Griffenhagen ad Mare usq; Balthicum porrectum; donationes, in regios miniſtros in ulteriori Pomerania collatas, non revocari; atq; in illam, ut & reliquã Epiſcopatus Caminenſis partem, ſpem ſucceſſionis, & donec caſus eveniat, Pieriz, Collbar, Golnau & decies c. cIↄ. imperialium; Titulũ denique atque Inſignia integræ Pomeraniæ, & priorem in Imperii Comitiis locum depoſcebant, dato tridui tempore, intra quod ſententiam ſuam Brandenburgii aperirent.

Brandeburgiorum ad eam VI. Verum eo nondum elapſo, & proximo poſt die, reſponſum à Brandenburgiis, fœderis Batavici fiducia exutis; Nihil Svecis ex Caminenſi

Epi-

Epiſcopatu, multoque minus utramque Oderæ 1647.
ripam concedi, neq; donationes ratas haberi poſſe, qvæ ſi reditibus, Principum viduis deputatis, connumerentur, nihil ex ulteriori Pomerania Electori remanſurū; (Sveci tamen omnes in tempus, neq; ultra decem annos factas, & plerasqve dimidiam temporis partem jam egreſſas, regerebant.) Spem ſucceſſionis Franconicas Brandenburgiorum familias, Culmbacenam nempe & Onolsbacenam, præverti non debere; neq; interea alia Svecis adſignanda; ſuffragium in Comitiis commune fore; Cetera concedebant. Ipſi in ceſſæ Pomeraniæ pretium ea, qvæ ſæpius attulimus, aliaqve pauca, interq; ea, Bogislao poſtremo Pomeraniæ Duci funus Svecorum impenſis fieri, & beſſem æris alieni, qvo hæreditas ejꝰ onerata, ab iisdem perſolvi, poſcentes. Tantoq; calore fervebat negotium, ut in medias usq; noctes tractantium labor produceretur; tandemq;, cum ſpes ferme transactionis perierat, ſubito verſa in melius tractatuum facie, ita inter Svecos Branденburgiosque conventum eſt, ut tota citerior Pomerania cū Rugia inſula, tum ex ulteriori Garz, Stettinum, Dam, Golnau, & inſula Wollin, cum interlabenti Odera & Mari, das friſche Haff vocato, tribusqve ejus oſtiis, Peine, Schwiene, & Dieffenau, & præter ea, Jura citerioris Ducatus in Camini Epiſcopatum Svecis manerent, Tituli atque Inſignium Pomeraniæ communio, & penes

Declaratio. 16. 26. Jan.

Inter utrosqve tandem convētum. 28. Jan. 7. Febr.

1646. Svecos ſpes ſuccedendi in ulteriorem, utriqve in Imperii Senatu ſententiæ, alterna vice, at in Regionum conventibus (Kreyß-Tägen/) ſemper à Sveciæ Regibus digniori loco dicendæ facultas eſſet, reddendis Septemviro locis ditionis ipſius, Svecorum milite detentis. Additum, conditionibus his nullam vim fore, niſi abſoluto pacis negotio; eæqve apud Memmium, præcipuum conventionis auctorem, usqve ad perpetrandæ pacis exitum depoſitæ, ne placita mutare poſſent partes, qvas modo nova prioribus poſtulatis addidiſſe, modo revocaſſe conceſſa, hactenus obſervatum. Nec inutilem cautionem fuiſſe poſtea compertū, cum Sveci tam exiguam ex Oderæ ripa in poſteriori Pomerania Partem accepiſſe ab Aula increpiti, nova pacta moliebantur. Et qvibus conditionibus Svecis etiam in ceteris ſatisfactum, ac qvæ Septemvir redhoſtimenti (ſoli Holſato negati) loco acceperit, Pacis (c) Tabulæ docent.

Reconpenſatio Brunſvicenſis. 13. Feb. VII. Ita ſedato cum Brandenburgiis jurgio, ne qva pars lite vacaret, Brunſvicenſes, ſociato ſibi Magdeburgio, ſucceſſere. Ii, exhibito Cæſareis ſcripto, Magdeburgii & Halberſtadii regiones divino cultui à Carolo M. dedicatas, neqve ſine iſtorum, qvorum interſit, conſenſu alio transferendas; nova & Proteſtantibus inſolita religione adſerentes; ac Friedericum Raceburgio, Georgium Gvilielmum Bremenſi, Erneſtum Auguſtum

(c) *Art. X. XI. Inſtr. Pac. Svec.*

ſtum Magdeburgio ſucceſſores (*Coadjutores*) o- 1647.
mnes ex Brunſvicenſium Gente deſtinatos, atqve
Joannem Fridericum ejuſdem familiæ Principem
Halberſtadii in ſacrum Collegium (*Canonicos* 7. Dec.
vocamus, & ipſos qvoqve, ne mancipiorum in 1646.
modum ac velut in commercio poſiti aliorum
patrimonio accederent, deprecatos,) recenſen-
tes, ſucceſſionisqve in iſtis Epiſcopatibus Jura
ſibi arrogantes, ſi omnino in alios eos cedi con-
tingeret, Hildeshemii, Mindæ atqve Oſnabrugæ
Principatus certas in conditiones, &, ni daren-
tur, minitantes poſcebant, non minori ferè Sve-
corum, qvam Cæſareanorum indignatione;
tam inopina, neqve ulli, qva commendari
poſſent, rationi innixa poſtulata arguentium;
qvanqvam Oxenſtiernio ſemper iniqvioribꝰ pro-
no, poſtea patrono utentes, tanta pervicacia age-
rent, ut, priusqvam cupita adipiſcerentur, Evan-
gelicorum conſultationibus intereſſe abnuerent,
imo ne inſtituerentur, intercederent, acerrimi
antea rei Proteſtantium defenſores aperto ferè
diſſidio communi emolumento incommodan-
tes; inſigni humani ingenii exemplo, publicam
rem nunqvam ſincerius curantis, qvam cum, nul-
lis propriis cauſis ſtimulatū impeditumve, com-
muni tantum utilitati intendit, corrumpendum
mox, ubi privatæ rationes acceſſerint; qvæ ſem-
per offecere officientqve publicis conſiliis. Et tu-
lere tandem impudentiæ fructum; Oſnabrugen-

1647. ſem Epiſcopatum(*d*), alternis cũ Pontificiis vicibus poſſidendum; remiſſionem cccc. cIↄ. thalerorum, à Dano, cui eos Fridericus Ulricus, Brunſvicenſium Dux, debuerat, pactis Lubecenſib9 Cæſari ceſſorum, & ab hoc Tillio noto militiæ Duci donatorum, Prælaturam Walkenriedæ, ac Augusti filiis Antonio Ulrico & Ferdinando Alberto, cuivis *Præbendam* ex Argentino Epiſcopatu; qvanqvam non ſine plerorumqve, etiam Evangelicorum, invidia multisqve tardatæ pacis opprobriis onerata, adepti.

Controverſia de Bremenſi Seſſione.

IIX. Aliam cum Bavaris, Palatinis, Saxonib9, atq; Brandeburgicis controverſiam Sveci cœptavere. Bremenſis ditionis nomine in principum Senatu proxime ante Brunſvicenſes ſedere juſſi, renuerunt, primam ſedem poſcentes; à Brunſvicenſib9, ut putabatur, inſtigati, qvi, captandæ Svecorum benevolentiæ, & ut ceteri qvoq; poſtponerentur, id conſilium Svecis ſuggeſſerant; Electoralium domuũ Principib9 acerrime renitentib9.

Bavari invectiva in Svecos ob arrogatam primã ſedem. 7.a[n.

Atq; inter hos Bojoari Legatus, habito in eam rem Monaſterii Senatu, Svecorũ ambitionem, adverſam antiqvo mori, adverſam noviſſimis pactis, acerbo ſermone & oblato inſuper (*e*) libello perſtringebat, Electoralium familiarũ Principes anteire cupientium, facili conjectura, qvantum coalita olim vetuſtate audacia ſibi ſumpturi ſint, qvãdo novi adhuc, nec dum Senatum ingreſſi, tantam arro-

(d) *J. P. art. 13.* (c) *Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c. 161.*

arrogantiam uſurpent, At fixum id, immotumq; 1647.
Bavariæ Electori, loco tot jam ſeculis inſeſſo non
decedere. Qvanqvam minor ea injuria videri &agitatam ſui excluſionem à Principum Curia.
qveat, cum iſta comparata, qva nuperi illi, neqve
dum tabulis Imperii inſcripti Cives, Principum
Concilio Bavariæ Duces movere, (nam id qvoq;
Sveci agitaverant,) ſuſtineant, qvinq; olim, prius-
qvam uni terrarum regimen adſignaretur, ſuffra-
giorum Jure gaviſos, qviqve defuncto Georgio Anno 1503.
Duce ſententiæ ejus proſapiæ loco dicendę facul-
tatem, qvamvis hactenꝰ non exercitam, pro dere-
licta tamen nondũ habuerint. Licet parcius Sve-
cis, qvam iſtis, ſuccenſeri deceat, qvi (Brunſvicen-
ſes innuebat,) immodeſtiæ hujus auctores illis ex-
titerint, qvibus, ſive qvod non credat, Domino-
rum mandato, ſive ſuis odiis ſtimulati, id auſi fue-
rint, valide ſat compeſcendis neqve ratio neq; re-
media defutura ſint. Ita ſede commoda inter *ſecu-
lares*, qvos vocant, Principes non reperta, ad ſa-
cros Proceres, qvanqvam profanato in Duca-
tum Bremenſi Archiepiſcopatu Sveci reverte- Media varia liti huic componendæ allata.
bantur, antiqvum Archiepiſcoporum locum
ambientes, adeò repugnantibus Pontificiis, ut
Senatu abituros, qvotiens Sveci ipſorum con-
ſiderent ſubſelliis, imo pacem potius qvam
id admitterent, rumpi paſſuros aſſeverarent.
Cum tamen danda ſedendi copia eſſet, qvi-
bus Senatus Jus concedebatur, eam expedi-
undæ difficultati rationem Cæſarei propone-

 nebant,

1646. nebant, ut primi ex quaque familia, Bojoarus nimirum, tùm ex Palatina Lauterenſis, ex Saxonica Altenburgius, ex Brandenburgiis Culmbacenus ante Svecos, ceteri poſt eos ſententiam dicerent; ac cum neq; hoc conſilium, ob Saxonũ præſertim de digniori loco inter ſe controverſiã, placeret, neque, quod quidam ſvadebant, Sveci novo Evangelicis Præſulibus conceſſo loco ſedere vellent, ita tandem, quanquam non ex omnium placito, lis compoſita, ut ſecularium Principum ſcamno inter Neoburgium & Bipontinum Palatinos ſedem capturi, qvinto, ut qvondam, loco ſententiam rogarentur.

Qvomodo ſopita.

Satisf. Gallica Memmii cũ Trautman. congreſſus. 29. Jul. & oblatæ conditiones.

IX. Dum ita Sveci commoda honoresque ſuos promovent, Galli quoque res ſuas non ſegniores curavere. Ex his Memmius Comes cum Trautmansdorffio congreſſus, Amneſtiã ad Annum M. DC. XXIV. revocanadm; Catholicorum ultimis conditionibus (die XII. Jul.) Proteſtantibus oblatis inhærendum; Philipsburgum & tres ad Briſacum pertinentes pagos Chriſtianiſſimo Regi relinqvendos; Tirolenſibus Principibus in diminuti patrimonii redhoſtimentum tres librarum myriades, Cæſari durante Venetorum cum Turcis bello CL. CIↃ Imperialium, & bellum cum his habituro XCIↃ. virorum ſtipendia à Gallis perſolvenda, Brandeburgio Electori Pomerania abſceſſuro damnum ſine Cæſaris onere ſarciendum, & ſi Gallorum ope Luſitani-

taniam Cataloniamqve Hiſpani reciperent, Cameracum aut Burgundiam ſtipulabatur promittebatque; exigua Proteſtantium lætitia, frigus Gallorum & Memmii, Galerum purpureum adeoque Pontificis gratiam ambientis, averſa ab Evangelicorum partibus ſtudia ſecretis ſermonibus differentium. Illud quanquam, ſi in ſe ſpectes, vanum, nimium tamen & Germaniæ dignitati adverſum videbatur, quod pacis tabulas Gallico ſermone conſcribi iſtæ contenderet, non ſatis accurata noſtri notitia, apud quos inania valent, vis imperii transmittitur. 1646.

X. Aliam quoque difficultatem Wirtembergici injecere, qui, (e) exhibito Proteſtantibus libello, in Auſtriacorum iniquitatem, Achalmiæ Comitatum & Blaubeyræ ac Hohenſtauffæ Dynaſtias ſibi vindicantium, atq; in facilitatē Gallorum invecti, jam ultra duo ſecula ea Ducibus poſſeſſa, hosq; poſt victoriam demùm ad Nordlingam illis exutos, adeoque ex Amneſtiæ virtute reſtituendos, obtendebant. Hohentwielam etiam, neque Auſtriacæ Domui, neq; Landgraviatui Nellenbürgio obnoxiam, ſine extremo Wirtembergiorum damno, Jurium Procerum imminutione, ipſiusque Imperii periculo, deſtrui non poſſe; peſſimi quoque exempli fore, & cum Reip. dedecore conjunctum, ſi in exterorum (Helvetios deſignabant,) obſequium ſua

Wirtē-bergiorum qveſtę. 26. Jul.

(e) *Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c. 53.*

1647. ſua munimenta dirui Wirtembergius juberetur.

Lindavienſium. 27. Jul. XI. Non diſparibus qverimoniis Legatus Lindaviæ, cui præſidium inducendi facultatem Auſtriaci ſibi petierant, Curiam Evangelicorum aggreſſus, capite velut minui antiqviſſimæ libertatis Civitatem oſtendebat, ſi præſidium, Dominationis ſcilicet Auſtriacæ inſtrumentum firmamentumque, admittere cogeretur; non ignotis præſertim conſiliis, qvibus non civili minus quam ſacræ libertati Lindavienſium inſidias Archiduces tetenderint. Munimentum Auſtriacis terris, Briſaco Gallis permiſſa, nudatis parandũ fruſtra prætendi, cum poſt ſylvaticas urbes Villinga & Conſtantia, bellorum horum obſidiones impetusque impune expertæ, tum Cella qvoque, omnes Auſtriacis ſubjectæ, denique Meinaviæ arx, ultra Conſtantiam ſita, totusque lacus Bodamicus Auſtriacorum ſecuritati inſerviant; eo contra Lindaviæ ſitu, ut iſtis omnibus poſterior nihil Gallo, hoſtile quid molituro, incommodare queat. Qvanqvã & ſi ratione aliqva iſtorum obtentus niteretur, non ſtatim liberæ urbi, & cui ſuo ſe præſidio tuendi jus ſit, alienum militem obtrudi fas fore. Carolum V. tercentum milites, qvos Urbi, ut reciperet, perſvaſerat, qvamvis ſumtibus propriis aleret, ſolius

Anno 1552. tamen Civitatis ſacramento adigi permiſiſſe. Invalidius argumentum eſſe, qvod jacturam ceden-

da-

darum Gallis Provinciarum ſarciri debere Au- 1647.
ſtriaci dicant. Neqve enim Lindaviam Auſtriacis præſtituram, qvod ab omnibus Imperii Civibus flagitare oporteat. Singulari etiam Privilegio Lindaviæ à Rudolpho I. ne in aliorum ditionem darentur, cautū ajebant, qvanqvam Imperii legibus ſatis munitæ, cum ne volentibus qvidem Urbibus aliisve libertatem exuere liceat, niſi novam ſervitutem ceterorum Imperii Civium conſenſus confirmet.

XII. Neqve tardis hæc Evangelicorum auribꝰ adrepebant, qvi habito Senatu, conſiliis, autoritate, precibꝰ injurias has amovendas ſtatuebant, ſua quoque pericula reſpicientes, ſi exempla, in iſtos uſurpata, in alios derivarentur. Wirtenbergiæ Ducatu, Svevicæ Regionis principe, pro lubitu ſc. Auſtriacos dominari, vectigalia etiam proprio auſu inſtituentes, invalido privilegiorū Juriumque auxilio, qvorum rationem potentiores non habeant. Lindaviæ, Jeſuitis & ademtis Imperii pignoribus ſatis afflictæ, calamitatem non multiplicandam, noxio alioquin libertati Germanicæ exemplo, ni cohibeatur, Ratisbonam, & injuria cum tempore procedente, in Principes tandem tranſituro. Multa eſſe ejusmodi, ut etiamſi in ipſo, de quo agitur, negligenda foret, tamen exemplo pertimeſcenda videantur. Cavendum igitur, ne periculoſam imitationem exempli etiam aliis ipſi in poſterum proderent,

Pronis Evangelicorum auribus accepti: 1. Aug. Protoc. Evang.

1646. rent permitterentve. Pace Pragenſi ſtatutum eſſe, ut omnia præſidia alienæ ditionis locis educerentur, cui primus Cæſar parêre debuerat, ſpecimine ſuo aliorum obſeqvium provocaturus. Conſtantiam (*Coſtniz*) artibus his priſtina libertate excidiſſe. Neq; ſecuritatem, ſed dominationem, Auſtriacos intendere, Sveviæ invadendæ opportunitatem aucupantes, dato jam à Fürſtenbergio Comite exemplo, qui ex urbe hac Regionem illam irrumpens, aliqvot militum millibꝰ impleverit. Commodiores Auſtriis, ſi ſolam munimenti firmitatem ſpectarent, Uberlingam atq; Buchorniam; at illis, religionis quippe Pontificiæ, libertati ſuæ relictis, Lindaviam ſuæ tutelæ deſtinare, nempe non Papiſmi minus, quam Auſtriorum, dominio ſubjugandam.

Anno 1631.

XIII. Magno interim ardore fervebat negotium, aliquot dierum labore colloquiisque cum Pontificio, Venetoq; à Cæſareanis modo, modo à Gallis agitatum, donec partibus conveniſſe publico rumore vulgaretur, ingenti Svecorum impatientia, clandeſtinos iſtos tractatus, fœderis formulæ contrarios, ſcriptis ad Gallos acribus literis exprobrantium. Legibus iſtis, religioſiſſimo equidem ſilentio aliquandiu tectis, Tullenſis, Metenſis, atq; Virodunenſis Epiſcopatus, tum Imperii in Moyenvicum & Pignerolum Jura, & præterea Alſatia, quatenus Auſtriacis hactenus paruerat, adeoq; Imperii in ea Civibus liber-

Sub fin. Aug. Transactionis de Satisfactione Gallica capita.

7. Sept.

tati

tati priſcæ ſervatis, Suntgovia, Imperialium Civitatum in Alſatia ſitarum Præfectura, Briſacū cum adnexis oppidis, Philipsburgi præſidii Jus, & liber per Imperii terras tranſitus Gallis conceſſa; ad reddendas Auſtriacis quatuor urbes ſylvaticas, Comitatum Hauenſteinenſem, Sylvam nigram, Briſgoviam, Ortenaviamq; cum Imperii, quatenus Præfecturæ iſti obnoxiæ, Urbibus, Offenburg, Gengenbach, & Cella ad Amorsbach, revocatis transactionibus, donationibus, aliisq; per Bernhardum Saxonem aliosq; actis factisve, tres inſuper librarum Turonenſium myriádas Ferdinando Carolo in compenſationem ademtæ terræ, & beſſem æris alieni, à Camera Enſisheimiana contracti, exolvendam adſtrictis. Adjecta utrinq; cautio, ut pro infectis irritisq; cuncta hæc haberentur, ni cum ceteris etiam partibus Pax coaleſceret. Atq; eam inter Hiſpanos etiam Gallosq;, ſine qua Germaniæ quies dari non poſſit, perfici, & Carolo Lotharingo ablata reſtitui, Cæſarei urſerant, Gallis Lotharingi cauſam à tractatione hac alienam, cum Hiſpanis verò æquis conditionibus tranſigendi animum ſibi eſſe, aliorum tamen arbitrio judicioque ſe delaturos ajentibus, an Germaniæ pacis beneficium ideo denegandum, ſi iſti, Gallis olim erepta reddere detrectantes, noviſſimo bello amiſſa repetere pergant. 1646.

XIV. Non æquis paſſibus Palatini negotium pro- Cauſa Palatina.

1646. rent permitterentve. Pace Pragenſi ſtatutum eſſe, ut omnia præſidia alienæ ditionis locis educerentur, cui primus Cæſar parêre debuerat, ſpecimine ſuo aliorum obſeqvium provocaturus. Conſtantiam (*Coſtniz*) artibus his priſtina libertate excidiſſe. Neq; ſecuritatem, ſed dominationem, Auſtriacos intendere, Sveviæ invadendæ opportunitatem aucupantes, dato jam à Fürſtenbergio Comite exemplo, qui ex urbe hac Regionem illam irrumpens, aliqvot militum millibꝰ impleverit. Commodiores Auſtriis, ſi ſolam munimenti firmitatem ſpectarent, Uberlingam atq; Buchorniam; at illis, religionis quippe Pontificiæ, libertati ſuæ relictis, Lindaviam ſuæ tutelæ deſtinare, nempe non Papiſmi minus, quam Auſtriorum, dominio ſubjugandam.

Anno 1631.

Sub fin. Aug. Transactionis de Satisfactione Gallica capita.

XIII. Magno interim ardore fervebat negotium, aliquot dierum labore colloquiisque cum Pontificio, Venetoq; à Cæſareanis modo, modo à Gallis agitatum, donec partibus conveniſſe publico rumore vulgaretur, ingenti Svecorum impatientia, clandeſtinos iſtos tractatus, fœderis formulæ contrarios, ſcriptis ad Gallos acribus literis exprobrantium. Legibus iſtis, religioſiſſimo equidem ſilentio aliquandiu tectis, Tullenſis, Metenſis, atq; Virodunenſis Epiſcopatus, tum Imperii in Moyenvicum & Pignerolum Jura, & præterea Alſatia, quatenus Auſtriacis hactenus paruerat, adeoq; Imperii in ea Civibus liber-

7. Sept.

tati priſcæ ſervatis, Suntgovia, Imperialium Civitatum in Alſatia ſitarum Præfectura, Briſacũ cum adnexis oppidis, Philipsburgi præſidii Jus, & liber per Imperii terras tranſitus Gallis conceſſa; ad reddendas Auſtriacis quatuor urbes ſylvaticas, Comitatum Hauenſteinenſem, Sylvam nigram, Briſgoviam, Ortenaviamq;, cum Imperii, quatenus Præfecturæ iſti obnoxiæ, Urbibus, Offenburg, Gengenbach, & Cella ad Amorsbach, revocatis transactionibus, donationibus, aliisq; per Bernhardum Saxonem aliosq; actis factisve, tres inſuper librarum Turonenſium myriádas Ferdinando Carolo in compenſationem ademtæ terræ, & beſſem æris alieni, à Camera Enſisheimiana contracti, exolvendam adſtrictis. Adjecta utrinq; cautio, ut pro infectis irritisq; cuncta hæc haberentur, ni cum ceteris etiam partibus Pax coaleſceret. Atq; eam inter Hiſpanos etiam Galloſq;, ſine qua Germaniæ quies dari non poſſit, perfici, & Carolo Lotharingo ablata reſtitui, Cæſarei urſerant, Gallis Lotharingi cauſam à tractatione hac alienam, cum Hiſpanis verò æquis conditionibus tranſigendi animum ſibi eſſe, aliorum tamen arbitrio judicioque ſe delaturos ajentibus, an Germaniæ pacis beneficium ideo denegandum, ſi iſti, Gallis olim erepta reddere detrectantes, noviſſimo bello amiſſa repetere pergant. 1646.

XIV. Non æquis paſſibus Palatini negotium pro- Cauſa Palatina.

1647. procedebat. Miſſus qvidem Lutetiam La Gardius Comes, qvi nomine Chriſtinæ rationem Palatinæ Domus haberi poſtulans, Imperii Procerumqve ejus ſecuritatem, nunqvam, ſi illa negligatur, ſinceram, Gentis merita, fœderis Heilbrunnenſis conſtantiam, & ex adverſo arrogantiam Bojoari memorabat, *animo ſatis elato teſtati*, (f) *omnia ſe potius amittere paratum, quam acqviſita dignitate ceſſurum, confiſi in hoc Chriſtianiſſimi Regis pietati, Auſtriacorum Principum viciniæ, Regionum ſuarum firmitati, & in ſe propitiæ & indulgenti fortunæ. Acceſſiſſe prudentiam & in rebus agendis dexteritatem, qua Galliæ Legatis perſvaſerit, ſua auctoritate Aulam Cæſaream inductum iri, ut fœderatis Regnis plane ſatisfieret. Tandem Germaniæ ordinibus ſpem feciſſe, Pacem certo conciliatum iri, ſi Electorale decus cum ſuperiori Palatinatu ſibi relinqveretur. Docuiſſe eventum, qvo candore egerit, cum arcta Regum res intentionem proderent, animiqve ſecreta renudarent. In Tractatu ſuper Electorali dignitate media qvædam propoſita eſſe, nimirum ut Electoribus ſeptem octavus adderetur, & Bavariæ Dux in Collegio primum, Palatinus ultimum locum obtineret; reluctatam eſſe Domum Palatinam pro viribus, ſcriptisqve oſtendiſſe, ſe vi & injuria gradu illo dejectam. Prudentes arbitratos, alia expectari de-*

Legatio Svecica Lutetiam ideo miſſa. Legati Propoſitio.

(f) *Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c. 49.*

debere momenta & occaſiones, cum iniqviſſimum ſit, ante viginti demum annos, durante bello, adſcitum Electorem ſupremo inter ſeculares loco potiri, vetuſtiſſimo poſſeſſore cum indignitate remoto. Bavaricam Domum ſatis lucratam, qvod ſublimi Electorum Collegio adſcripta ſit. Æqvitati conſentaneum, ut Maximiliano, provectæ ætatis Principi, ad dies vitæ prærogativa maneret, poſt obitum liberi ejus, non modo in Electoratu novi, ſed quoqve minorennes & in puerili ætate conſtituti, ordine poſtremi eſſent. Si Rex Chriſtianiſſimus Catholicæ Religionis incrementa reſpiciat, majorem numerum & vota in Collegio eſſe; ſi ad alias cauſas, propriique ſtatus rationes, ne hoc pacto eidem quidquam decedere. In omnibus Pacificationibus Galliæ & Hiſpaniæ Regum Palatinam Domum ab illis, Bavaricam ab his comprehenſam, utpote ſibi fidam & addictam. Officia, quæ olim Regno Galliæ à Palatina Domo præſtita, non tantum ex ſitu & commoditate locorum, ſed Electoralis dignitatis prærogativa & ſplendore profecta eſſe, quo ſublato, tam efficaces operæ vix ſperari qveant. Ne pateretur igitur Chriſtianiſſimus Rex, ut afflicti Principes hoc articulo rerum, tam utili & neceſſaria opera deſtituantur, cum inprimis occaſio permittat, & incommoda belli adverſariis mitiora conſilia ſuggerere poſſint. 1647.

Dd XV.

1647. XV. At non ideò Galli mutabantur, conſtanti in Bavarum affectu, & imminutis Auſtriacis columen Catholicæ factioni deſtinantes. Palatini interim, meliora ſemper ominantes, bellique fortunam ſpeculati, Evangelicos, ne feſtinando rem perderent, & ut ab armis Danubio imminentibus pingviores conditiones opperirentur, admonebant, decreto quoque in viginti annos ab Angliæ Senatu auxilio animoſiores, quamvis regno iſto nondum pacato minorem fiduciam, & ſi ceteræ lites ponerentur, paci Germaniæ ſe non interceſſuros innuerent. Neq; omnino vanam illorum ſpem, ex armorum Svecicorum ſucceſſu hauſtam, Bavarorum metus oſtendit, qvi bello oppreſſi, qvovis & vel ſuperioris etiam Palatinatus pretio pacem emercaturi videbantur, modo dignitatem Electoralem cum Archidapiferatu & Vicariatu Imperii conſervarent. At mox à ſpe ad metum rediere Palatini, Gallis Bojoarum ſuſtentantibus, ex quibus Memmius, ne ultra inferiorem Palatinatum, octavumque inter Electores locum quid expectarent, illos adverterat; & quamvis ex ſuperiori forſan Provincia pars quædam redderetur, eam minoribus Caroli Ludovici fratribus obventuram; qvo Eduardũ deſignari pleriqve credebant, in uxoris gratiam Romana ſacra amplexum. Non eo minus Neoburgius, acerrimus gentilis decoris defenſor, neq; tam Carolum reſtitui, quam auferendã Maximi-

Fruſtra. Palatinorum in re differenda conſilia.

Exigua à Gallis ſpes.

Neoburgi induſtria in

ximiliano dignitatem in ſe tranferri (g) optans, omni ope, ut hunc proturbaret, annitebatur, crebrò interrogans, an ſolius Imperatoris cum Septemvirorum Collegio de fortunis atq; honoribus Principum notio? &, an culpam Electoris Principisve Agnatum luere fas ſit, nulla criminis ſocietate contactum? negantibus priorem qvæſtionem non Evangelicis modo, ſed & Catholicis ex ordine ſacro Principibus; de altera Comitiorum Decretum opperiundum plerisq; cenſebant.

1647.

aſſerenda Communis Domus dignitate.

XVI. At litium inter Catholicos Evangelicosque Proceres compoſitionem, cum prioribus non ſucceſſiſſet, alia aggrediundam via Legati exiſtimantes, colloqvia inſtituere, quibus, excluſis Catholicis, præter Cæſareanos, Trautmansdorffium nempe, Lambergium, Volmarū & Cranium Salviumque Svecum, ex Proteſtantibus Thumshirnius Altenburgius, Langerbeckius & Lampadius Luneburgii, Geiſelius Wetteravius, & Kreſſius Norimbergenſis intereſſent. Coiere aliqvoties in Trautmansdorffii ædibus, at minori fructu, & multum infra ſpem ſubſiſtente, quam de conventionibus iſtis pleriqve concéperant. Præcipuam altercationibus materiem præbebat Reſtitutionis Terminus, quem quamvis ad Annū M.DC.XXIV. produxerant Evangelici, ut tamen & iis ſubveniretur, qvos prior iſto tempore

Gravamina.

Colloquia inter Cæſareos, Svecos & Evangelicos inſtituta.

I. Conſeſſ. 20. Jan.

Difficultas ob terminum Reſtitutionis.

(g) *Vid. Caraff. p. 174.*

1647. pore ætas affixerat, inſtabant, Trautmansdorffio, id ad excidium Pontificiorum ſpectare, vociferante, cum Salvius, ne in ipſum qvidem anni iſtius terminum Svecos conſenſiſſe, obloqveretur. Mindanum contra atqve Oſnabrugenſem Epiſcopatus Cæſarei repetebant, à Chriſtiano & Philippo Sigismundo, Brunſvicenſis domûs Principibus, fallaci, ut dicebant, mutandæ religionis promiſſione invaſos, qvod à Luneburgiis ipſa promiſſi formula, qvanqvam minus valide, nec integro Chriſtiani honore refutatum, tanqvam diligentiã tantum ſpoponderit, ut non ſacræ minus qvam civili Poteſtati ſe approbaret; inſiſtentibus contra, Oſnabrugenſi præſertim Epiſcopatui Cæſareanis, Gallos in Franciſcum Gvilielmum proclives oſtentantibus, negante ex adverſo Salvio, illos in Tyranni gratiam fœderis leges neglecturos, qvibus qvemqve ad Anni M. DC. XIIX. formam, nullo religionis diſcrimine, ſuis reſtitui inter ipſos convenerit. Parem fere difficultatẽ locus Evangelicis Præſulib9 in Imperii Comitiis dandus; divini cultus Aquisgrani, Dinkelſpielæ, Biberaci, & inprimis Auguſtæ Vindelicorum Evangelicis concedenda libertas, & partienda iſtis urbibus inter Evangelicos Pontificiosqve Reip. atqve Magiſtratuum munia ſuppeditabant. At omnes iſtas de *Avtonomia*, ut vocant, Catholicorum ſubditis, iis maxime, qvi terras Auſtriacæ ditionis incolebant, aut ejecti optabant reditum, permit-

osqve, qvi ante iſtum terminum læſi. Ob Epiſcopatum Mendanum, & Oſnabrugenſem.

Conſeſſ. II. 30. Jan. Ob locum Evangelicis Præſulibus adſignã-dum, &c. Cõſeſſ. III. 6. Febr.

mittendâ contentio ſuperabat, præfractè eam abnuente Trautmansdorffio, Salvio aut tacente aut rigorem iſtum leviter deprecante; fervidioribus Evangelicorum Delectis, à qvibus tamen leges regundarum Provinciarum Cæſarem accepturum Trautmansdorffius Comes pernegabat. 1647. Ob Avtonomiam.

XVII. Multus hinc de Evangelicis ſermo, pleriſqve duritiem illorum mirantibus, quod tam protervè aliena inceſſerent, quibus ſua retinere ſufficere oportuerat. Pacis ſecuritatem atque concordiæ firmamentum libidini eorum obtendi; at num qvieturos Catholicos, ſi, ingruenti neceſſitate domiti, ingratas atque iniqviſſimas conditiones ſuſcipiant, transactionem, ubi caſus detur, reſciſſuri, vi metuque expreſſam, non majori perfidiæ crimine, qvam Proteſtantes Pragenſem Conventionem, velut inſtantis mali timore admiſſam, detrectent. Nunquam fidam pacem fuiſſe, ab invita gementeque altera partium ſignatam, niſi talem forſan expectent Evangelici, qua cuncta Catholicorum ſibi aſſerentes omnes rerum movendarũ vires æmulis eripiant; auferre, rapere, ſpoliare, falſis nominibus ſecuritatem, atqve ubi altera ſui parte Rempublicam mutilaverint, Pacem appellaturi. Soli certe in Religionem affectui tantos animorum motus imputari non debere, rebus illorum geſtis edoceri, qvi Epiſcopatibus, Abbatiis, Monaſteriis, Templis, non Pontificiis magis qvã Deo ablatis, patrimonia re- Judicia de Evangelicis.

1647. ditusque ſuos adauxerint, familiis eorum fœcundis plerunqve ægre ſæpe ſuffecturos, ſi non domeſticam egeſtatem ademta Eccleſiis bona ſarcirent. Non qvidem negari debere, plurimos ex Catholicorum Præſulum ordine officii immemores profanorum in morem ſæpiſſime agere; at quanto pejores Evangelicos; qvi ne profeſſione qvidem, nedum moribus ſacri, Archiepiſcopatus tamen, Epiſcopatusqve invaſerint, non Numini, ſed ambitioni ſuæ, avaritiæ atq; libidini litantes. Monaſteriorum certè numerum iniri non poſſe, qvorum prædia obventusqvè divino cultui à Majoribus dicata ad ſuas converterint opes, multis ad Nobilium fortunam redituris, ſi qvas abolitis Religionis veſtigiis & Præfecturarum ſimilibusqve vocabulis exauguratas terras ſuas fecere, ſpoliato Numini reddere cogerentur. Ita ſcilicet *pietatem* Evangelicis *ad omnia utilem*, etiam divitias illorum cumulaſſe, & qvæ ſine ſacrilegio, ſi avita Sacra retinuiſſent, habere non potuerant, poſtqvam illa ejurarint, novæ Religionis obtentu & ſimulatione Numinis decentius profanaſſe. Modeſtius certe Turcarum Tyrannos agere, qvi, qvanqvam legibus cetera ſoluti, cunctorūqve bona ſuo patrimonio complexi, ea tamen rerum ſacrarum veneratione teneantur, ut nullam donationem in eas, etiam ab iſtis collatam, reſcindant, qvi, læſæ Majeſtatis damnati, non vita minus qvam facultatibus exui meruerint. Nullis ſcili-

cet

cet limitibus hæreſin ſubſiſtere, in Deum homi- 1647.
neſque pariter audacem. Et quantæ id arrogantiæ, quod legum judiciorumq; contemtores Juris transactionisque viam recuſaverint, finiundæ intra poſſeſſionum inducias de *Reſervato Eccleſiaſtico* liti à Pontificiis monſtratam, ut non cives quam Chriſtianos meliores agnoſceres, qui neq; juſtitiæ neque caritatis tolerantes, ſolis hoſtium viribus pervincere laborent, quorum interim odiis, per ſummum ſui atque Imperii dedecus gratificentur. At divino ſcilicet verbo & propagandæ cœleſtium dogmatum veritati intercedere *Reſervatum* illud, perpetuo nimirum exilio puriori doctrinæ regionibus interdicens, Numinis præcipuè honori antiquorum devotione ſacratis. Verum ſi tanto in religionem ardore Evangelici ferantur, cur in Turcas tam lentis ſtimulis agitari, contra quos honeſtius ſanctiusque impetum effunderent, quàm ad patriæ ſuumq; ſervitium arma ferant. Quantæ impudentiæ, quod Reſtitutionis terminum ad certos annos ſtatuentes, *Factumque* tantum *poſſeſſionis*, non Poſſeſſorum Jura reſpicienda profeſſi, iis etiam urbibus medelam expoſcant, quibus ante tempus iſtud moleſtiam inflictam querantur? Sic pro libidine ſuas ipſos leges figentes refigentesq;, cum unam regulam invenire nequeant, ad ſingulorum commoda ita exactam, ut undequaq; ſit utilis, varias effingere, prout conducat, accommodandas; Catho-

1647. licis, qvi priores injuriam non fecerint, ſed acceperint, Epiſcopatibus, Abbatiis, Monaſteriisq; depulſi, ex ejus temporis ſtatu judicandis, qvando ob Proteſtantium violentiam peſſimus fuerit. Qvin etiam ea nunc petere, qvibꝰ qvondam potitos fuiſſe, ne ipſi qvidem, non timidi alioqvin rerũ ſuarũ adſertores, dicere audeant. Sic ad injurias libidinesq; ſuas omnia coæqvando, Senatus Jure, qvo Catholici Auguſtæ ſemper præminuerint, imminuto, Evangelicos obtrudi, dimidiam Curiæ partem impleturos, priſtino nimirum mori reſtitui dedignantes, ni novis Pontificiorum ſpoliis augeantur. Illud vero ridiculum, qvod nobiliſſimam urbem ideo ſibi vindicent Proteſtantes, qvia natales Confeſſioni ipſorum cognomenqve præbuerit. Viennam ſcilicet ipſamve Romam petituros, ſi dogmata eorum ibi recitari contigiſſet. Neq; illud minus abſurdum, quod religione ſe vetari dicentes, quo minus Monaſteria Pontificiis reddant, certo tempore eorum uſurpationem definiant, *Conſcientiam* ex annorũ numero metientes. Deniq; ſuperbos nimium eſſe Evangelicos, qui, *Religionem ſuam pro flagitioſa aut dominii amittendi cauſa haberi* indignantes, Catholicos, ubi potuerint, Cœnobiis, Templis, Bonis, terrisqve ejecerint.

Ipſorũ Evangelicorum. XIIX. Etiam ex Evangelicis plurimi, ſociorum rigiditatem accuſantes, ſanctiſſimæ Religioni condolebant, in cujus opprobrium verterent, quæ

qvæ tuendæ ei ornandæqve, præcipiti aſtu abre- 1647.
pti,iſti molirentur. Aliter certè primorum ſeculorum Chriſtianos egiſſe, qvi, ad auctoris ſui præceptum moresqve formati, non ſuis, qvanqvam ſæpe poſſent, non aliorum armis, ſed patientia Gentilium furorem ſuperaverint, cruentâ qvidem, at ſuo, non adverſariorum, ſangvine victoria potiti. Jam ingenti multitudine auctos, & per provincias, urbes, inſulas, caſtella, municipia, ipſaqve caſtra Romanorum diffuſos, adverſus impiiſſimos perſecutores pro ſalute temporali nunqvam pugnaviſſe, ſed, ut æternam obtinerent, iſta minori cura habita, armis abſtinuiſſe. Ligatis, incluſis, cæſis, tortis, uſtis, laniatis, trucidatis, & multiplicatis non fuiſſe pro ſalute pugnare, niſi ſalutem pro Salvatore contemnere. Miſerari licere noſtræ ætatis laborē, & præſentium temporum ſtultis opinionibus congeminiſcere: qvibus patrocinari Deo humana credantur, & ad tuendam Chriſti Eccleſiam ambitione ſeculari laboretur. Qvibusnam putent hi, qvi tanta vehementia Pontificiis inſiſtant, ſuffragiis ad prædicandū Evangelium Apoſtolos uſos? qvibus adjutos poteſtatibus Chriſtum eos prædicaſſe, gentesqve ferè omnes ex idolis ad Deum tranſtuliſſe? Anne aliqvam ſibi aſſumſiſſe è palatio dignitatem, hymnum Deo in carcere, inter catenas & poſt flagella, cantantes? Nerone nimirum aut Veſpaſiano, aut Decio patrocinantibus, qvorū qvidem in

1647. Chriſtianos odiis confeſſio divinæ prædicationis effloruerit. Illos manu atq; opere ſe alentes, intra cœnacula ſecretaque coeuntes, vicos & caſtella, gentesque fere omnes terra ac mari contra Senatus conſulta & Regum edicta peragrantes, claves forſan regni cœlorum non habuiſſe; Aut non potius manifeſtam ſe tum Dei virtutem contra odia humana porrexiſſe, cum tanto magis Chriſtus prædicaretur, quanto magis prædicari inhibebatur. At nunc proh dolor! divinam fidem ſuffragiis terrenis commendari, inopemq; virtutis ſuæ Chriſtum, dum ambitio nomini ejus conciliatur, argui. Adeo nempe mutatam in deterius temporũ iſtorum ſanctitatem, ut qvi qvondam vicis, urbibus, provinciis, imo ipſo orbe pelli, inter decora ſua numeraverint, religione jam obſtringi ſe putent, non ſi pellentibus non cedant, ſed niſi cedere recuſantes ipſi proturbent. Terrere jam exiliis, belliq; cladibus, atque ubi ipſa deſtituatur, peregrinorum armis Eccleſiam, credique ferè ſibi cogere, quæ exiliis & ſuppliciis ſit credita; pendere à dignatione communicantium (honoris enim injuriam qvoque prætendi,) quæ perſequentium ſit conſecrata terrore; fugare ſacerdotes, quæ fugatis ſit ſacerdotibus propagata. At non à Luthero, mitioris longè diſciplinæ Doctore eam acerbitatem ſequioris iſtos ætatis poſteros didiciſſe, *Religionem gladio neque propagandam,*

neq;

neque defendendam, non uno (*b*) loco profeſ- 1647.
ſo. Certe ſciscitantibus ſuperiori ſeculo Proteſtantium Proceribꝰ, Schmalcaldico fœdere colligatis, *Liceret ne* (*i*) *Imperatori vim Religioni illaturo reponere?* negaſſe id cum Luthero plerosqve Theologos, (Juris conſultos enim diverſa conſuluiſſe, minus mirum, fori uſu cavillationibus effugiisque etiam adverſus Deum aſſvetos.) Quid reſponſuros fuiſſe cenſendum probiſſimos homines, non de tuendis ſuis, ſed invadendis aliorum Juribus terrisque rogatos? Triſte id & in innoxiæ religionis infamiam repertum, qvod tumultibus bellisqve omnes fere Provincias impleverint, qvi nomen illius usquam profeſſi ſint. Qvantis enim Hugonottarum motibus Galliam, quantis Geuſiorum Belgium, qvantis Lutheranorum atqve Reformatorum Germaniam concuſſam, convulſam, laceratam? Cautius certe in poſterũ acturos Pontificios, ne Evangelicos admittant, qui ſemel recepti veteres patronos aut ejiciant, aut continuis turbis affligent. Ceterum conciliandum, iidem dicebant, ſi commode poſſit, religionis popularibus, ſub Catholicis degentibus, exercendæ ejus aut manendi ſaltem beneficium, at

In ſpecie de Avtonomia.

(b) *Epiſt. ad Frider. Elect. Sax. dat. Borne d. Ciner. A. 1522. Tom. II. Altenb. p. 92. & ad Carol. Sabaud. dat. Witteb. p. Sept 1523. d. Tom. p. 262. Tom. 2. Jen. Germ.* von Weltl. Obrigkeit/ *Fol. 208.* Schrifft Churf. Joh. Friedrich die gegen Wehr bel. *Tom. 6. Fol. 325.* (i) *Vid. Hortleder. de Cauſ. Bell. Germ. Part. II. lib. 1. & 2.*

1646. at non tanta pertinacia, ut pacem impediat. Cogitandam Dei Providentiam, qvi Eccleſiæ ſuæ fata miranda ratione diſpenſans, modo proferat ejus fines, modo ad priſcas anguſtias revocet, modo clariſſima toto Orbe luce reddat illuſtrem, modo Arianiſmi, Papiſmi, aliarumq; hæreſum tenebris rurſum abſcondat. Conſiſtendum igitur intra terminos, propagandæ religioni ſuæ ab ipſo ſtatutos, habendasque optimo Numini grates, quod Eccleſiā Proteſtantium, Pontificis Romani tyrannide libertatam, egregiis inſuper ſucceſſibꝰ hactenus auxerit. Ipſam cœleſtis ſapientiæ arcem invadere, qvi, beatiſſima ſecula Eccleſiæ augurantes, ærumnas averſentur, cœtui ſuo ipſo crucis inſigni à Chriſto deputatas, lætiora ex adverſo fata infidelibus impiisq; ominato, proſperitate ſua in propriam perniciem ſuo merito abuſuris. Ipſa Naturæ atque Servatoris lege (*i*) præceptum, ut ipſi præſtemus aliis, qvæ ab iis nobis præſtari expetimus, &, quod tibi fieri nolis, ne alteri feceris. At verò nunquam admiſſuros Proteſtantium Proceres, &, qvo minus id admittant, religione prohiberi, ut publici cultus gratiā Catholicis faciant, aut qvosvis ſacris illis addictos promiſcua facilitate terris ſuis recipiant. Qva igitur fronte id à Pontificiis poſtulari? qui contrariis ſuæ conſcientiæ, utut erranti, adigi non debeant. Præterea inter duo mala minus eligendum, neminem am-

(i) *Matth. VII.*

ambigere. At qvanto periculoſius, totius Eccleſiæ incolumitatem belli committere aleæ, quam unum alterumve domicilii mutandi neceſſitatem ſubire? qvantæ imprudentiæ, paucorum uſui publicam incolumitatem poſtponi? Camelum, cornua appetentem, perdidiſſe aures, canemqve Æſopi, umbra carnis deluſum, verum fruſtum amittere. Neq; aliud qvidqvã Zelotas illos profecturos, quam ut odium Pontificiorũ in Evangelicos, tanquam obſtinatos hæreticos, atrocius accendentes, immerenti religioni invidiam, calamitates ſociis, ſibique diras accerſant, offenſarum auctoribus à Chriſto (*k*) denunciatas. Cum veneratione potius habendum validiſſimum iſtud Pacis Religioſæ Palladium; cui nihil detrahant, qui modeſtiora capeſſentes, quando optatis potiri non liceat, fatorum decretis concedant. Neq; grave iis videri debere, bonis ſuis aliqvo cũ damno abſcedere, qui, ſincera in Deum pietate fiduciaq; imbuti, & præ Chriſto cuncta vilia putantes, nobiliora ab eo præmia ſperent, quã vel ampliſſima Regũ fortuna tribuere qveat, de vitæ hujus uſu ſecuri. Certe indignum Chriſto eſſe, qui quid Chriſto potius habeat. Qvin moleſtum Chriſtiano, veram pietatem edocto, in tuguriis Kedarenorum atque inter homines degere, belli avidos atq; pacem averſantes, feſtinaturo potius Ægypto cũ Iſraëlitico populo migrare, quo, ex divini va-
tis 1647.

(k) *Matth. IIX.*

1647. tis juſſu Babylone egreſſus, ſanctorum conſortio jungatur, ſpectandis pulcherrimis Domini ſacris, atque templa ejus ſine periculo noxiaque aditurus. Non certe Civitati Pontificiorum adſcribi tanto labore ambiturum, qvi Eccleſiæ illorum accenſeri recuſet, contagionis metum reputantem, cujus non animis minus à ſuperſtitione, quam corporibus à morbis, periculum ſit.

De Avtonomia Auſtriacorum.

XIIX. Difficilius inter ipſos Evangelicos de Auſtriacis (*k*) judicium fuit, in qvos Cæſari non ipſorum modo, ſed ſupremo totius Imp. Principi, terrasque ſuas ſaltem non minori, ac reliqui Germaniæ Proceres gaudeant, Jure moderanti, minus poteſtatis, ac Bavariæ, Saxoniæ, Brunſvici, Mekelburgi, vel cuicunque alii Principi, nullius, qvàm quas ipſi profiteantur, religionis patientibus, in ſuos cuivis ſubditos eſſe, iniquum plerisq; abſurdumque videbatur. At, qvocunque vel jure vel injuriâ ſubjectis ſibi religionem ceteri Proceres imperarent, diverſam Auſtriæ Principum conditionem eſſe, alii regerebant, qui permiſſa Civibus ſuis, A. C. addictis, pactisqve firmata libertate, ſuo qvalicunqve jure deceſſerint. Inferioris atque Interioris Auſtriæ, (Nieder- und Inner-Oeſterreichiſch-Lande/) incolas, jam A. CIƆIƆ XXIX. puriorem doctrinam profiteri cœptan-

(k) *V. Deduction.* warum man ſich der Oſterreich. Landen *in puncto relig.* anzunehmen. *Apud Lundorp, Tom. VI. Lib. III. c. 52.*

ptantes, per totum iſtud temporis ſpatium, quo 1647.
Ferdinandus I. rerum Auſtriacarum potitus, ad Annum videlicet usqve CIƆIƆLXIV. non privatos tantum intra parietes, ſed palam, ipſo Græcio, Clagenfurti, Lubiaci, (Leubach/) & Judenburgi, (ea Styriæ, Carenthiæ, atque Carniolæ provinciarum capita ſunt,) ex Confeſſionis Auguſtanæ præſcripto, ſacra coluiſſe, adeò nullo à laudatiſſimo Principe impedimento, ut ipſe aliquando delegarit, qui exortam Græcii ob Eccleſiæ Evangelicæ qvendam miniſtrum litem dirimeret. Ferdinando rebus humanis exemto, Maximilianum, Imperatorii qvoque honoris ſucceſſorem, inferiorisqve Auſtriæ hæredem, ſolennibus Ordinum Comitiis (auf Landtägen/) Evangelicis Proceribus ordinandæ ſuis legibus Eccleſiæ (eine Kirchen-Agend aufzurichten/) poteſtatem feciſſe, eo non multis poſt annis, ab optimo Principe, ſuo heredumque nomine beneficio auctis, ut colendi ſuo ritu & ad formam A. C. Numinis facultate, cunctis ipſorum arcibus, domibus, prædiisq;, cum familia ſubditisque uterentur; donec contentionum de religione finis Germaniam ſaltem concordem ſibi permitteret. Neque agro tantùm villisq;, ſed ipſa Imperii ſede Viennâ, privatis quidem primùm ædibus ſacra exercita, poſtea, volente ita Cæſare, in domum Mareſchalli provinciæ, inde quatuor poſt annis in Provincialium Curiam, (das Landhauß/) & tandem proximum Cu-

Anno 1568.

Maximil. II. Relig. Conceſ. gegen denen Evang. Oeſter. Stän. den ob und unter der Enß. 14. Jan. 1571.

1647. Curiæ Franciſcanorum templum translata. Eandemqve cultus divini peragendi libertatem Evangelicis duraturam, etiam Rudolphum (*l*) recepiſſe; cùm, poſt expletam à patre mortalitatem, regimen capeſſens, Ordines in verba ſua adigeret. (Bey der Erbhuldigung.) Et conſtitiſſe promiſſis, ut Imperatore dignum fuerat, fidem, niſi quòd artibus ſuis ſacri ordinis homines, quietis nunquam bene tolerantes, id effecerint, ut Viennâ exigerentur Evangelicorum Sacra, qvibus tamen ruri celebrandis, utcunqve annitentes, nihil decerpſerint. Neqve intra finem paternorum beneficiorum Rudolphi benignitatem ſtetiſſe, antiqva Evangelicorum Jura novis acceſſionibus cumulantis. Patris fratrisque exempla ſecutum Matthiam, ſæpius (*m*) conteſtatum, eandem exercendæ religionis, quæ Anteceſſorum temporibus fuerat, copiam Evangelicis permanſuram; neque noxæ, aut in adipiſcendis honoribus muneribusque fraudi cuiquam futurum, A. Confeſſionem ſectari. Et impleviſſe itidem ſummam promiſſi Cæſarem, ſecuro religionis uſu totâ Auſtriâ, & proximis ipſi Viennæ, Hernalſo, Fano S. Udalrici, atque Immendorfi firmato, atqve Au-

Anno 1576.

(l) *Vid.* Käiſ. *Decret. 3. Jun. 1587. & Reſol.* daß es bey der *Conceſſion* verbleiben ſolle. *16. Nov. 1581.* (m) *Vid. Capitulation*s *Reſol. 19. Mart. 1609. confirm. per Reſol. 21. Febr. 1610. ult. Apr. An. 1612. 9. Nov. An. 1618. 9. Mart. An. 1619. intimat.* der N. Oeſterreichiſchen Regierung *eod. d.*

guſtanæ Confeſſionis Proceribus (*n*) ad qvæcunque Aulæ, belli, aliaq; munia, nullo religionis impedimento, admotis. Poſt obitam à Matthia mortem, & ceſſa ab Alberto Belgicæ Principe in Ferdinandum Auſtriacarũ provinciarum hæreditate, hunc (*o*) eandem Ordinum Evangelicorum Delegatis, qua regnante Matthia gaviſi, religionis ſecuritatem repromiſiſſe, exquiſitis inſuper verbis eam in fiduciam animatis, non languidiori affectu Evangelicos ſibi ſubjectos, ac qui patrum in filios eſſe ſoleat, ſeſe habiturum. Et quo minus dubitandi ſuſpicandique cauſa occaſiove remaneret, ſcripto verba iſta, ſuoque 1647.

(n) *Vid. d. reſol. 9. Nov. An. 1618. ſub fin. verb.* daß kein eintziges Raths-Mittel im Land/ ſo wohl auch an dem Käiſ. Hof/ darein J M. wie auch zu den hohen Aemtern ſelbſten die Landleute A. Conf. nicht befördert hätten/ auch ſolches täglich zu thun nicht unterlaſſen. *& reſol. 9. Mart. 1619. verb.* So haben auch J. Kay. M. wegen Beförderung der Perſonen A. C. ihrem gnädigſten Verſprechen jederzeit ein ſattes Begnügen gethan/ wie männiglich bekant und öffentlich am Tag iſt. (o) *Ferdin. II. Relig. reſol.* gegen den N. Oe. Ständen *A. C. 11. Jul. 1620. verb.* das *Exercitium* der *A. C* betref. haben wir Uns alſo Heroiſch Käyſ. und Fürſtl. Gnäd. *reſolvi*ret/ daß ſich die Stände mit Fug zu beſchweren nicht Urſach haben/ in Erwegung wir ſie bey dem *Exercitio* ermelter Conf. allermaſſen Sie es bey Käyſers *Matthiæ* Zeitẽ gehabt/ un*perturbi*rt wollen verbleiben laſſen. Glaubet unſern Worten / denn wir Euch alles/ ſo wahr wir ein gebohrner Ertzhertzog uñ erwehlter Röm. Käyſ. seyn/ gewißlich halten / Uns auch in einen und andern gegen den Ständen alſo erzeigen wollen/ wie ein Vater ſein Kind lieben thut/ und bey denſelben leben und ſterben.

1647. ſigno firmaſſe. Iisque aliquos, paucos quidem per annos, robur manſiſſe, contrariis mox gravibusq; adverſus Evangelicos Edictis (*p*) imminutum. Neq; deteriori conditione A. C. addictos Proceres, reliqvosq; incolas interioris Auſtriæ Provinciarũ, Styriæ nempe, Carinthiæ, Carniolæ & Goriziæ, aliquando uſos, quos religionis ſuæ Carolus Ferdinandi I. filius, terrarumque iſtarum hæres, iteratis (*q*) ſæpius ore ſcriptoque promiſſis, ſecuros reddiderit. Nec profeciſſe Malaſpinæ Pontificii Nuncii, aliorumq;, ſuam Evangelicis libertatem, provinciisq; tranquillitatem invidentium, hortamenta apud Principem, datæ fidei adeò retinentem, ut ejusdem ſervandæ ſtudium etiam (*r*) hæredibus commendaturum ſpoponderit; qvibus tamen paterni ſive præcepti ſive exempli veneratio non adeò duraverit, ut non multis, poſtquam is vivere deſierat, annis, exterminatis Evangelicorum ſacris, cuncta hac in re Anteceſſorum acta, non ſine inſigni horũ contumelia contemtuque, ſubverterint. Atq; hoc qui-

(p) *Vid.* Kåyſ. *Gen. Mandat* wegen Außſchaffung der Un-Cathol. *Prædicanten.* 14. *Septemb.* 1627. (q) *A.* 1564. Sie bey ihren hergebrachten Freyheiten ꝛc. wie ſie es gefunden/ zu ſchützen/ ſonderlich aber wegen der Religion niemand kein Härlein zu krümmen. Landt. zu Grätz. 1569. 16. 24. *Febr.* 1577. 21. *April.* 1576. *A.* 1580. 81. (r) *Reſol.* 4. & 26. *Januar.* 1581. 18. *Mart.* 1584. *verb.* Se. Gn. Erben dahin zuzſehen/ und zu weiſen/ daß ſie ſolchem allein auch nachkommen.

quidem rerum habitu abſurdos eſſe, qui pari hic 1647.
Auſtriæ, ac Bavariæ, Saxoniæ, Brunſvici, Mekelburgi, aliosque Imp. Principes, Jure uti velint, qvorū hi, nullo promiſſi vinculo adſtricti, liberā ordinandæ religionis poteſtatē retinuerint; apud Auſtriacos repetitis toties promiſſis conſtrictam, quibus decedere, fidei religio vetet. Neque læſæ, qvod obtendatur, Majeſtatis crimine, Privilegia iſta (s) amiſſa, quo, ſi forte ab aliqvibus Auſtriæ Procerum peccatum, ceteri onerari non debeant, fidei conſtantes, quam, cum iſti ſpondere recuſarent, illi non verborū minus ac rerum obſequio, ipſi Ferdinando approbato, præſtiterint. Denique ſui quoque periculi rationem habere Imp. Ordines monebantur, ne tanta Provinciarum mole, octoginta vel nonaginta milliariū longitudine, vaſtiſſimoq; ambitu alteram fere Germaniæ partem complexa, ipſi aliquando obruerentur, ſi grave iſtud abſolutæ dominationis, ac Pontificiæ tyrannidis jugū, pati iſtæ cogerentur.

XIX. Et verò Zelotæ, omnia ſpei ſuæ patere rati, Svecorum armis ſuffultæ, ultimis poſtulatis inſtitere, niſi qvod plura fere petere qvibusdam videbantur, quam prius flagitare auſi fuerant, aucta cum Catholicorum infortunio ipſorū audacia, pluribus ex ipſo Proteſtantium Ordine, quanquam, ne aut odium aut contemtum vehementiorum Collegarum incurrerent, ſecre-

 tis

(s) *V. Relig. Motiv.* der Oeſter. Evangel. Stände *n. XVI.*

1647. tis vocibus improbata, illorum inſolentiam mirantibus, qui nullâ propriâ potentiâ, ſola Svecorum vi atque favore ſuſtentati, omnem tamen modeſtiam evecti, tam rigidas leges parti adverſæ præſcribere auderent, victæ ut cederet, nondum domitæ, ut pareret. Imprudenter re rebus Evangelicorum judicare, ex Svecorum fervore ſibi conſilia capientes, iſtis quippe extra patriam belligerantibus arma lucroſa, at Germanis, qvocunq; ſucceſſu, extremam perniciem allatura. Libertatem religionis Catholicorum & Auſtriacorum præſertim ſubditis, aliaq; pari violentia flagitata, aut infidam pacem, aut adactis deſperationi Catholicis, Gallorumq; gratias quæſituris, novam belli materiam ſuffectura. Ita diviſa in exteras partes & peregrinorum Regum ſtudia Germania, Rempublicam in medio relictam Gallorum Svecorumque aviditati ceſſuram, & qui moderatam libertatem, æqualesq; æmulos pati non poſſint, totam ſervitutem atq; externos dominos recepturos, Procerum factionibus ſciſſorum parte altera bello, altera victoria peritura.

XX. Neque majori acerbitate Trautmansdorffium unquam exarſiſſe obſervatum eſt, quam colloquio de conditionibus iſtis, cum Svecis, tanta utrinq; contentione, peracto, ut ter à ſedibus, quas qvisq; occuparat, nimio æſtu abrepti exſurgentes, tertium illas abruptumq; ſermonem repetierint. Secutæ tamen poſt aliæ à Cæſareanis leges, ipſis

ipſisEvangelicis fatentibus,concordiæ inſtauran- 1647.
dæ non omnino ineptæ, & in iis quoq;, quæ ne- 7.Mart.
gabantur, aliquatenus temperatæ. Quanquam Novæ
enim ſacræ libertatis Evangelicis apud Catho- & mi-
licos agentibus indulgendæ obligationem re- tiores
fellerent Cæſarei, benignis tamen principibus Cæſare-
Dominisq;Pontificiis hic quoq;eos uſuros,modo orum
obſequii conſtantes, affirmabant, manſuris etiam condi-
pactis, quæ in rem hanc Proceres, ipſisque ſubje- tiones.
cti, diverſam religionem profeſſi, inierint. Sileſiis, Briegæ nempe, Lignizii, Munſterbergæ atq; Oelſæ Ducibus, Urbique Uratislaviæ celebrandorum ſacrorum facultas An. M. DC. XXXV. conceſſa, confirmata; & quamvis multo inferiori, eâ tamen gratia Evangelici extra Bohemiam, Moraviam, Auſtriamq; ſuperiorem & inferiorem ceterarum provinciarum hereditariarũ ordines affecti, ut abeundi neceſſitatem prius non ſubirent, quam Annus M. DC. LVI. effluxiſſet; à ceteris etiam inferioris conditionis hominibꝰ vim abfuturam. Migrantibus ita conſulturos, ut quàm minimo rerum ſuarum bonorumq; damno, patriâ magis qvàm opibus careant, ad peregrinitatem, non ad inopiam redigendi.

XXI. At Evangelici, facilitate Cæſareanorum Et ipſæ
alacriores, neque cedendum iis rati, qui inſtan- ab Ev-
tibus curis oppreſſi cuncta daturi eſſent, priora re- angeli-
petere, Oſnabrugæ Epiſcopatum, Auguſtanis Lu- cis ſpre-
theri dogmata ſectantibꝰ, non ſacram tantũ liber- tæ. 8. Mart.

 ta-

1647. tatem, à Cæſareanis jam permiſſam, ſed & æqualia cum Catholicis Senatus Jura pari ex utrisq; numero conſtituendi, Evangelicis Aquisgrani morantibus publicæ religionis veniam, Catholicorum ſubditis A. C. addictis præſentibus eorumve poſteris in perpetuum futuris ad tria luſtra manendi, ſi velint, licentiam, Bohemiæ, Moraviæ, ceterarumq; Auſtriacarum ditionum incolis in ſingulis ſaltem regionibus (*Circulos* ſeu *Quaterniones* appellant) templa, & exulibus reditum, Pactorum à Sileſiis, quibꝰ & Egram complectebantur, cum Electore Saxoniæ Anno M DC. XXI. conventorū conſtantiam, (adjecta ratione, quod religioni ſibi ducant, quenquam propterea patria, bonis, pactis & privilegiis excidere, quia Deo obediat, & veritatem Chriſti, à Prophetis & Apoſtolis promulgatā, profiteatur,) Aulici deniq; Imperialis Judicii Jurisdictionem in religionis cauſis tolli, in ceteris, donec rite conſtituatur, ſuſpendi, & ubi par utriqve Tribunali notio, reo eligendi fori optionem (hoc ultimum Brunſvicenſibus maximè Cæſarei tribuebant, multo ære alieno oneratis, ideoq; Aulæ juſtitiam formidantibus,) ſolita aſperitate urgebant.

Objurgatis ideò à Cæſareis 10. Mart.

XXII. Vicit horum auſteritas Cæſareanorum patientiam. Accito igitur univerſo Evangelicorum Ordine, meliora Auguſtū ſperaviſſe ajebant, & tempeſtiva magis promovendæ concordiæ conſilia, quā Evangelicos hucusq; cepiſſe atq; obfir-

firmaſſe, uſus oſtenderit, eas conditiones reſpuentes, quarum ne votum quidem, nedum petendi audacia Majores ipſorum inceſſerit. Non equidem veteres ab Imperatoribus Pontificiisq; , neq; ipſos ante hac, tam nova petiviſſe. Exiguum jam Proteſtantibus videri, ſuo arbitrio proprias res moderari, niſi aliis, ipſique Cæſari, leges ſtatuant, ad quarum formam ditiones ſuas gubernent. Neminem, modo oblatas Proteſtantibus conditiones inſpexerit, inficiaturum, omnia illos aſſecutos eſſe, quæcunq; religionis in illorum terris ſecuritati prodeſſe queant, ſolam de Cæſaris Pontificiorumq; Provinciis litem retineri, quorum tamen juribus invadendis ipſis duarum tabularum legibus prohibeantur. Nulla divinarum literarum auctoritate licentiam approbari, qua Principem Principi ſibi poteſtate æquali religionis ſubditis permittendæ leges ferre, aut ſi non pareat, armis urgere, conceſſum ſit. Proteſtantiū Proceres ſua ipſorum confeſſione, exutis in terris ipſorum bonis ſacerdotibus atq; Monachis, omnes Catholicos in ſervatæ antiquæ religionis pœnam exilio mulctaſſe; at jam eodem Jure uti dedignantes, qvod ipſi in alios ſtatuerant, Cæſari ſui Juris Principi & Pontificiis, non Proteſtantium, ſed Dei Imperiiq; gratia, atq; pari cum iſtis imperio terras ſuas regentibus, ut inviſos retineant, imperare, vel cum patriæ exitio hactenus auſos eſſe. Deſiſterent tandem cœptis, uſur- 1647.

1647. patamque obſtinationem meliori temperamento mutarent, iis contenti, qvæ largiſſima manu offerantur. Quòd ſi poſt acceptatam a Regibus ſatisfactionem, remotasq; cauſas, bello quondã prætextas, animum obfirmare pertendant, argumentum id Cæſari fore, nullam illis pacis ſecum atq; Catholicis reparandæ, ſolam extirpandæ Romanæ Religionis curam eſſe, adeoque ſacro bello orituro, alias Imperatori ſociisq; rationes circumſpiciendas fore, neque defutura ſeſe tuendi remedia, cauſæ æquitatem, ipſumque Deum juſtitiæ vindicem in partibus habituris; neque Regibus votorum damnatis cauſam belli manſuram, aut, ſi ponere renuant, Evangelicorum eam culpam fore, qui importunitate ſua enixisq; apud Reges precibus concordiam impediant, adeoq; præ iſtis turbatæ pacis, perditæ patriæ opprobria, atq; Cæſaris Catholicorumq; indignationem, odia, armaq; merituri.

Reſpõſum Evangelicorum dilatorium.

XXIII. Inopinus ſermo, & ad metum atque iram accommodatus, terruit ſimul audientes & accendit. Petiere tamen tempus, tanquam ad integram conſultationem, & de reſponſo deliberaturi. Interim Cæſarei, pacis indigentes avidiq; celerando negotio, ſine ſummo periculo ultra non differendo, & adverſæ partis duritiem moderatione ſua mitigaturi, Urbium Imperii ſtatum inter *Ante-gravatos* (ſic iſtos vocabant, qui ante Annum M. DC. XXIV. damnũ tuliſſe querebantur,)

Alia rurſum Cæſareorum

tur,) ab Evangelicis nominatarum, in rebus ſa- 1647.
cris ad annū iſtum, civilem ad æqualitatem redu-
cendū; Wirtembergiæ Duci ablata, præter Blau- obla-
beyram & Heidenheimium, integris tamen Au- tio.
ſtriacis actionibus, reddenda; Imperii pignora ad
priſcum modum revocanda; In Auſtria emi-
grandi Edictis abſtinendum, & Evangelicis illic
morantibus divino cultui operaturis alio profi-
ciſcendi (*Excurſum* ſive das Auslauffen appel-
lant) copiam faciendam, Sileſiæ, & inprimis Ura-
tislaviæ, religionis publice obeundæ, ceteris Prin-
cipatibus (den Tafel-Fürſtenthümern) ut & re-
liquis Archiducum provinciis credendi libertatē,
imo utrisq; cōmunem religionis uſum conceden-
dum; cauſas denique Evangelicorum æquali Aſ-
ſeſſorum numero audiendas judicandasq; obtu-
lere. Eaq;, quamvis Proteſtantium vota non om- Evan-
nino implerent, propiori tamen ſpei commoda, gelicis
ingenti illorū gaudio accepta, Oxenſtiernii Brun- non o-
ſvicenſium precibus detenti cunctatione dilata mnino
ſunt, magna horum apud omnes religionis ſocios ingra-
invidia, qui, emolumenta ſua (ſupra eorum men- ta.
tionem fecimus,) ſaluti publicæ præhabentes,
neceſſariam patriæ tranquillitatem ſua aviditate
morarentur.

XXIV. Ceſſit tandem Oxenſtiernius inſtan- Reſtau-
ti Salvio, ſi renuere Collega pergeret, invito eo, ratum
rem perſecuturo, ut cum Volmaro colloquium inde
reſtauraret, Non tamen plus eo promotum, quam inter
Volma-
rum &

 ut

1647. ut prioribus inſtarent Proteſtantes, quanquam negato Gallorum patrocinio aliqvantum timidiores, qui (*t*) Oſnabrugenſem Epiſcopatum & Evangelicis Catholicorum civibus, religionis libertatem vindicantibus, apertis ſtudiis obniſi, qvosvis cruciatus ipſamque mortem potius adituros, quam ut illum Epiſcopatum Evangelicis permitterent, teſtati fuerant; licet Groulartus (La Court) ab horum Delectis rogatus, mitiora & negligendum Franciſcum Gvilielmum polliceretur. Atq; hic quidem ingenio trux, & longo exilio efferatus, cum alia non ſuppeterent, diras atq; excommunicationis fulmina minitabatur, inania adverſum ſpernentes arma, non niſi in eos, qvi expaveſcunt, valentia.

Salviū colloqvium. 16. 17. Mart.

Irritum ob poſtulata Evangelicorum.

Sequiori Gallorum ſtudio.

XXV. Repetiti nihilominus inter Cæſareanos, Svecos, atque Evangelicorum Delectos conventus; at quo magis procederent, minus proficiebant, præcipuo ex libertate religionis Auſtriacæ Domui ſubjectis indulgenda impedimento, cum Bohemiæ, Sileſiæ, Moraviæ, & Auſtriæ cauſas Juraque dividenda Evangelici cenſerent, pacta maxime, Cæſaris mandato interElectoremSaxonem & Sileſios inita, memorantes, Trautmansdorffio Cæſaris juſſa in contrarium verſa prætexente, tanto ardore, ut pro belli denunciatione, ipſosque Proteſtantes, ni petito deſiſterent, pro hoſtibus ſe judicaturum affirmaret, quorum in-

Conventus inter Cæſareos, Svecos, & Evangelicos reſtituti. 29. 30 Mart.

Difficultas ob Avtonomiam

(t) *Vid. Memoir. de Monſ. D. p. 30. 31.*

inſtantiæ Svecorum hac in re contumaciam debe- 1647.
ri nemo ignoret. Præterea neque Pacta neque Privilegia adduci poſſe, nulla Cæſaris confirmatione roborata. Diploma de Religionis libertate (Majeſtat-Brieff) Anno M. DC. IX. natum, per novem, quibus vixerit annos, non niſi ſeditionum tumultuumq; monſtra peperiſſe. Sileſiis indulta, inſecuta Saxonis defectione & Pragenſi poſteà pace infirmata fuiſſe, cujus ſubſcriptione etiam adjecta de Sileſiis pacta (Neben-Receß) adprobaſſe Septemvir cenſendus ſit. Diadematis ſceptriq; Cæſari extorquendi facinus moliri, omnēque pacis inhibere ſpé, qvi hoc ſuper negotio ipſum vel precibus aggredi ultra auſurus ſit,

In Auſtriacorum terris hereditariis.

XXII. Hæc Saxonicis Electoralibus nunciata, licet cetera permodeſtis, adeò bilem commovere, ut, protinus Trautmansdorffium inviſentes, mandatum cum Sileſiis paciſcendi à Germano Cæſare Germano Principi datum, & germana fide ſuſceptum, Germana etiam conſtantia cuſtodiendum ſervandumq; clamitarent; Trautmansdorffio, Cæſari id perſcriptum, neq; interim poſitos ſibi fines egredi conceſſum, reponente. Imputabatur hæc Comitis rigiditas nuncio, aliquot ante horas ſecreta nocte de confecta fere inter Gallos atq; Hiſpanos pace à Chiſio atq; Longavillano accepto; & aucta ex eo ſuſpicio, quo proximo inde Cæſareorũ cum Svecis congreſſu Trautmansdorffius pridie conceſſa fere revocans, ceteris conditio-

Saxonicorum Electoralium inde indignatio & expoſtulatio cum Cæſareis.

1647. ditionibus à ſe conſcriptis ne minimum quidem decederet; Hiſpanicam potentiam conciliandæ paci efficacē non obſcure jactitans, minori Evangelicorum ſollicitudine, Bojoarum reſpicientium, qui firmando illorum favori, Palatinatui atque Electoratui retinendis opportuno, mutua officia pollicitus, arma ſe pervicaciæ Auſtriacorum propugnandæ commodaturū, aut Hiſpanis locum irrumpendæ Germaniæ facturum aperte negabat; Cæſareanis ex contrario Gallorū ſtudiis in Evangelicos frigidioribus tumidis, ex quibus Memmius à Proteſtantium Legatis rogatus, ut deſideria ipſorum, Oſnabrugæ Epiſcopatum & Avtonomiam cupientiū, ſi promovere nollet, impedire ſaltem deſiſteret, ea conditione annuit, ſi ſine pacis turbamento obtineri queant; ceteroquin Galliam, pacem optantem, vel invitis ſociis amicisq; cum Cæſare in gratiam redituram.

XXVII. Vulgatus non multo poſt rumor, Trautmansdorffium abitum meditari. Idq;, à cunctis pro indicio tractatuum rumpendorum acceptum, eo majores curas adferebat, qvod de nova Tractatione fœderibusq; Ulmæ, ubi de induciis inter belligerantes agebatur, ſanciendis ſermo inceſſerat, forte, an ſtudio editus, & credulitate metuentium auctus. 5. Apr. Miſſi igitur ex Electorum, Principum, Urbiumq; Evangelici ordinis Senatu, qui abeuntē auctoritate aut oratu retinerent. Permulſit honoræ Legationis cultu virum, ſuopte inge-

ingenio tractabilem, ut manſurum ſe polliceretur, modo mitiora de Oſnabrugenſi Epiſcopatu, & Avtonomia Auſtriacorum admitterent. 1647.

XXIIX. Editæ poſtridie novæ à Cæſareanis pacis tabulæ, exiguo Evangelicorum applauſu, terminum Amneſtiæ ad An. M. DC. XXIIX. revocatum, Palatini cauſam ex Auſtriorum libitu deciſam, Procerum Jura levi oratione perſtricta magis quam explicata, aut roborata, lites deniq; cum Catholicis alto ſilentio obvolutas, improbantium. Aſtutia etiam notabatur, Reformatos eodem cum ceteris Proteſtantibus Jure cenſentium, devinciendis iſtis, & fovendis eorum cum Lutheranis diſſidiis. Mollivit tamen rigorem ſcribentium colloquentium moderatio, ſveta & neceſſaria facilitate, quæ obtinere non poterant, remittentium. Conceſſa quippe ab iis Evangelicis Aqvisgranenſibꝰ ædes ſacra extra urbis pomœria extruenda; Oſnabrugæ, ſi Catholici permitterent, Epiſcopatus; Pontificiorũ ſubditis, qui eo tempore terras illorum incolebant, manendi libertas, eorumque poſteris parando abitui duo luſtra, integra iis ſacrorum publice celebrandorũ facultate, ubi aut pactis aut longi temporis uſu Anno M. DC. XXIV. eam habuerant; ſex deniq; aut octo in Senatũ Imperii aulicum adlegi permitebant, Proteſtantium dogmata profitentes, quorũ ſive in Aula ſive Spirenſi Tribunali cauſæ non niſi ab utriusq; Religionis Aſſeſſoribus judicari debeant.

Inſtr. Pac. ſecundũ Cæſareorum. 7. Apr.

Ab iis mitigatum. 9. ejsd.

XXIX.

1647. XXIX. Maximum negotium qvæſtio de Evangelicis Auſtriacarum provinciarum faceſſebat, Trautmansdorffio ipſorum mandatorum, quæ inſpiciunda exhibebat, fide, ne quid remitteret, ſe prohiberi, demonſtrante, quanquam fiduciã ſubjiceret mollioris à Cæſare ad Regum Procerumque & Saxonis præſertim Electoris preces reſcripti, hortatus ſimul, ut reſponſum, quantum poſſent, Evangelici maturarent.

Deliberatio in id Evangelicorum à Magdeburgicis & Brunſvicenſibus turbata.

XXX. Verum deliberaturis his Magdeburgici atq; Brunſvicenſes interceſſere. De Magdeburgi atq; Halberſtadii Epiſcopatu ſolliciti, negotiũ ad Svecos remittendum cauſabantur. Et quo major res ineſſet, tanta ſocietate ſubnixis, honorem iſtorum obtendebant, ad ignominiam ipſorum id ſpectare aſſerentes, niſi tractationi & ipſi adhiberentur. Cum nihil proficere ſe viderent, ceteris Proteſtantibus, non id agi, quod iſti objicerent, oſtendentibus, ipſisq; Svecis reſpondentib9, ſuũ ſibi honorem ignominiamve abſq; aliorũ monitu curæ fore, neq; iniquum, ut ad Cæſareanorũ petitum relatio ad Ordines Evangelicos fiat, quib9 deſideria ſua referri ipſi quandoq; petierint, Senatum convocare (eo enim numere Magdeburgii Collegarum voluntate fungebantur,) quanquam ſæpius rogati, monitique à Svecis, recuſabant, metum prætexentes, ne in rei Evangelicæ detrimentum quidquam decerneretur, neque Senatûs, ſi qvis invitis ipſis haberetur, Conſulto ſe obligari paſ-

·os teſtati. Conſcriptus tamen Svecorum 1647.
Senatus, (tanta horum in Evangelicos do- Inſtitu-
:ione, ut ne congredi quidem, niſi juſſu illo- ta.
ıut permiſſu, auderent, Collegiorum ſcilicet
orum crimen ſubituri, niſi Svecis probaren-
quo poſtremas Cæſareorum de ſummis Tri-
libus conditiones fere comprobantes, cete-
rſiſtendum decernebant.

XXI. Secutæ non multo poſt pacis tabulæ Inſtru-
:is compoſitæ, prioribus poſtulatis, ut Traut- mētū
dorffio videbantur, aliquando acerbiores. Pacis
liquandiu qvidem ſecretè habitis, præter a- Sveco-
:xules Auſtriacos, & expreſſis nominibus rum.
ıes Tieffenbachios, Wartenbergios, Geor- 14. A-
, atque Dietrichſteinios in integrum reſti- pril.
alatino (contra prius conventa, ut Cæſarea-
bant,) totum Palatinatū, excepto Chamen-
nitatu, Bojoaro cum perpetuo reluitionis
:elinquendo reddi, primo inter Electo-
co utriusqve familiæ Principibus per vices
ıris; & (nam hoc quoque obſervari forſan
:ur) de alieno liberales, Oſnabrugam in
tii præmium Imperii libertate donari; E-
quoq; Erfurtumque liberis Imperii civita-
rurſum adſcribi; vivo adhuc Imperatori
ſſorem non, niſi ex Comitiorum autoritate,
gari, legibus adſtringendum, quæ, cuncto-
mperii Procerū ſuffragiis latæ, futuros quo-
:æſares tenerent, (*Capitulationem perpetuam*
voca-

1647. XXIX. Maximum negotium quæſtio de Evangelicis Auſtriacarum provinciarum faceſſebat, Trautmansdorffio ipſorum mandatorum, quæ inſpiciunda exhibebat, fide, ne quid remitteret, ſe prohiberi, demonſtrante, quanquam fiduciā ſubjiceret mollioris à Cæſare ad Regum Procerumque & Saxonis præſertim Electoris preces reſcripti, hortatus ſimul, ut reſponſum, quantum poſſent, Evangelici maturarent.

Deliberatio in id Evangelicorum à Magdeburgicis & Brunſvicenſibus turbata.

XXX. Verum deliberaturis his Magdeburgici atq; Brunſvicenſes interceſſere. De Magdeburgi atq; Halberſtadii Epiſcopatu ſolliciti, negotiū ad Svecos remittendum cauſabantur. Et quo major res ineſſet, tanta ſocietate ſubnixis, honorem iſtorum obtendebant, ad ignominiam ipſorum id ſpectare aſſerentes, niſi tractationi & ipſi adhiberentur. Cum nihil proficere ſe viderent, ceteris Proteſtantibus, non id agi, quod iſti objicerent, oſtendentibus, ipſisq; Svecis reſpondentib9, ſuū ſibi honorem ignominiamve abſq; aliorū monitu curæ fore, neq; iniquum, ut ad Cæſareanorū petitum relatio ad Ordines Evangelicos fiat, quib9 deſideria ſua referri ipſi quandoq; petierint, Senatum convocare (eo enim numere Magdeburgii Collegarum voluntate fungebantur,) quanquam ſæpius rogati, monitique à Svecis, recuſabant, metum prætexentes, ne in rei Evangelicæ detrimentum quidquam decerneretur, neque Senatûs, ſi quis invitis ipſis haberetur, Conſulto ſe obligari

paſ-

paſſuros teſtati. Conſcriptus tamen Svecorum venia Senatus, (tanta horum in Evangelicos dominatione, ut ne congredi quidem, niſi juſſu illorum aut permiſſu, auderent, Collegiorum ſcilicet illicitorum crimen ſubituri, niſi Svecis probarentur,) quo poſtremas Cæſareorum de ſummis Tribunalibus conditiones fere comprobantes, ceteris perſiſtendum decernebant. 1647. Inſtituta.

XXXI. Secutæ non multo poſt pacis tabulæ à Svecis compoſitæ, prioribus poſtulatis, ut Trautmansdorffio videbantur, aliquando acerbiores. His, aliquandiu qvidem ſecretè habitis, præter alia, exules Auſtriacos, & expreſſis nominibus Barones Tieffenbachios, Wartenbergios, Georgeros, atque Dietrichſteinios in integrum reſtitui; Palatino (contra prius conventa, ut Cæſareani ajebant,) totum Palatinatū, excepto Chamenſi Comitatu, Bojoaro cum perpetuo reluitionis jure relinquendo reddi, primo inter Electores loco utriusqve familiæ Principibus per vices gaviſuris; & (nam hoc quoque obſervari forſan meretur) de alieno liberales, Oſnabrugam in hoſpitii præmium Imperii libertate donari; Egram quoq; Erfurtumque liberis Imperii civitatibus rurſum adſcribi; vivo adhuc Imperatori ſucceſſorem non, niſi ex Comitiorum autoritate, ſubrogari, legibus adſtringendum, quæ, cunctorum Imperii Procerū ſuffragiis latæ, futuros quoque Cæſares tenerent, (*Capitulationem perpetuam* Inſtrumentū Pac:s Svecorum. 14. April.

1647. *vocamus*,) dignitate bonisve nullum Ordinum, niſi ex Senatus univerſi ſententia, exui; quoquo triennio comitia haberi, ultra tres menſes nō producenda; Proceribus contra Cæſarem defenſionem fœderaque permitti, aliaque, ut Cæſareani querebantur, aut Imperatoris dignitati, aut Electorum prærogativæ, aut priſco denique mori adverſa depoſcebant, non paucorum in Senatu Oſnabrugenſi, Salisburgii nempe, Herbipolenſis, Saxonum, Culmbaceni, aliorumq; ſuffragiis laudati, qui poſtrema & Ferdinando præſcripta lege, de bello, pace, fœderibus, tributis, aliisque, ad cunctos Imperii Proceres ſpectantibus, decernendi arbitrium ſoli Cæſari atque Septemviris delatum, & quotiens uſus obvenerit, exercitum, eorumque placita pro legibus ceteris obtruſa arguentes, proſcriptiones maxime incuſabant, ſolis illis in Imperii Optimates arrogatas, ipſorum Electorum quibusdam, interq; eos Brandenburgio, improbatas, deteriorem Septemvirûm Principumqve Germaniæ, quam infimi Poloniæ Nobilis, conditionem futuram Ratisbonæ quondam profeſſo, ſi de capite, bonis aut dignitate eorum extra comitia agi poſſet.

A Cæſareis improbatum. Seſſ. 39. 30. Apr. Laudatum etiam à Pontificiorū Procerum quibusdam, præſertim in Puncto Proſcriptionis, Anno 1623.

XXXII. Promotum tamen negotium, Gallorum maxime & Bojoari opera, præcipua ab Epiſcopatu Oſnabrugenſi, quem Memmius inprimis Catholicis aſſerebat, & Auſtriacis Evangelicis difficultate, quibus ne plura largirentur, crebris ſe Au-

Largior Cæſareorum oblatio.

Aulæ reſcriptis vetari, Cæſareani affirmabant. 1647.
Cetera non illiberales, Catholicorum ſubditis Evangelicam Religionem ſectantibus, ſive adhuc apud eos morarentur, ſive belli temporumq; injuriis alio profectis, publico Sacrorum uſu Anno M. DC. XXIV. non gaviſis, manendi & vicinos locos divino cultui obeundo frequentandi licentiam, iisque, qui poſt confectam pacem diverſam ab Imperante religionem amplexuri eſſent, quinque annorum, bis, ſi neceſſitas ferat, repetundorum ſpatium; ſi in cauſis Evangelicorum judices ex utraque Religione deligendi in unam ſententiam convenire nequeant, Comitiorum decretum expectari; Cameræ Imperiali, pares utrinque numero Aſſeſſores habituræ, de alia ſede proſpici, atq; alia pleraq; non ingrata Proteſtantibus indulgebant.

Evangelicis maxima ex parte probata.

XXXIII. Ita in reliquis ferè conſentientibus unum ferè de Evangelicis ſub Auſtriacæ Domus imperio degentibus certamen manebat, Svecis, crudelitatis ſcil. legum ſuarum conſciis, capitis ſupplicium in Catholicæ religionis cultores ſtatuentium, frigidius inſtantibus, ut Bohemis, Moravis, Auſtriacisque, Auguſtanæ Confeſſioni addictis, templa ſcholæq;, Sileſiis vero ea tribuerentur, quorum facultatem ex Privilegiis à Cæſare datis (Majeſtät-Briefen) & initis cum Saxone Septemviro pactis jam olim habuerint; Ingenti Evangelicorum voti potiundi fiducia, quod non Electores tantum belli pertæſos, Colle-

Unica ferè difficultas in Avtonomia Auſtriacorum.

1647. gæ Bojoari exemplo, ſed & Archiducem Oenipotanum medias partes ſecuturum rumor jaceretur, & ne afflictæ Domui calamitates deeſſent, Pannonum quoque, Jeſuitas, cum precibus non poſſent, armis pellere meditantium, tumultus ſperarentur. Ita molliora admiſſurum Cæſarem, neque pertinaci ſubditorum ſuorum odio ſibi excidium accerſiturum credebant. At Cæſarei id ſolum priori Conceſſioni adjicientes, ut Sileſiis, ad patrimonium Imperatoris pertinentibus; (in
Art. 13. Tafel-Fürſtenthümern/) & Auſtriæ inferioris Proceribꝰ, adhucusq; terras illas habitantibꝰ, migrandi neceſſitatem remitterent, conditionem Proteſtantiũ aſpernari, & ſi Sveci atq; Evangelici urgere pergerent, tota tractatione ſe abſtenturos dicere. Et ut verbis fides conſtaret, abſtinuere; Trautmansdorffio quoq;, qui jam Oſnabrugæ Monaſterium redierat, atque ex longinquo minorem Principis gratiam, &, ut ipſe dixiſſe perhibetur, *ne Imperator fieret occupantis*, metuebat, Viennam ſe reverſurum, & præter hunc, etiam Volmaro abitum minitante.

XXXIV. Pertranſiit tum temporis Oſnabrugam Duglaſſius, in Sveciam tendens, miles & Scotus, dignus ſcilicet, cujus audiretur rapto victitare aſſveti, prædamq; atq; populationem Germaniæ ut alienæ ſpectantis de pace Imperii conſilium. Hic, meliores ex bello conditiones promittens, armis negotium perficere ſvadebat; leviori

ta-

tamen plerorumq; adſenſu auditus, imminens, 1647.
ni pace averteretur, Germaniæ excidium, &, dum pro religione pugnatur, Atheiſmū magis induci, qvam iſtam propagari, advertentium. Remiſit quoq; de abeundi propoſito Trautmansdorffius, à Wittgenſteinio Comite perſvaſus, Auſtriacæ Domus incommoda oſtendente, ſi poſt compoſitas Evangelicorum cum Catholicis lites, adeoque horum inter ſe concordiam, ſola ipſa ſibi ſuæq; imbecillitati relicta paci obniteretur.

XXXV. Hinc reſumptum negotium, tanta diligentia, ut paucis cauſis exceptis, (inter eas Palatina, Haſſiaca, Badenſis, Auſtriacorum Avtonomia, & ſtipendia militi Svecico ſolvenda eminebant,) ceteris finem imponerent; reliquis modo recenſitis, Monaſterienſi tractationi ſepoſitis, quo, quamvis in contrarium tendentibus Luneburgiis, ſuis antea votis ſubſcribi cupientibus, poſt Volmarum etiam Sveci abiere, acribus ex aula juſſis ſe urgeri, ut protractæ pacis probrum induſtria, & quantum liceat, feſtinatione eliderent; adeoq; potiorem obſequii, Reginæ Regnoque debiti, quam aliarum utilitatum ſibi rationem habendam, cauſantes.

Plerarumq; controverſiarum ſecuta compoſitio; reliquis Monaſterium rejectis.

22. Maj.

XXXVI. Præivit paucis diebus Oxenſtiernius, eumque mox Salvius cum Proteſtantium Legatis ſecutus eſt. Jamque articulorum concordiæ, inter Catholicos Evangelicosque patratæ, promulgatio, Volmaro annuente, expectabatur,

27. & 30. ejusdem. Inſtituta Monaſterii

 in-

1647. ingenti, ſi proceſſiſſet, Pontificiorum, Cæſareanorum præſertim, ut quidam exiſtimabant, præjudicio, cum iſtis legibus in Proteſtantium commodum pleriſque latis ea ratione obſtrictis, hi integram de Auſtriacarum Provinciarum Avtonomia, & deligendis Imperialis Judicii Aulici Adſeſſoribus litem retinerent, ut, ſi vel harum una pacē impediret, belli mala perpeti adigerentur Pontificii, quibus averruncandis duriſſimas conditiones ſubiiſſent; quando hi Trautmansdorffii cum Svecis atq; Evangelicis transactionem ſibi diſplicere oſtendebant, mutationem præſertim Auguſtanæ Urbis ſtatus, & paria Senatus Jura Lutheranis iſthic data indignati, atq; ad Annum M. DC. XXIV. cuncta revocanda flagitantes. Neq; eam conditionem admittebant, ut Evangelicis manendi in terris ſuis licentiam dare obligarentur, quam extra conventionis legumq; neceſſitatem poſitam ſui arbitrii gratiæq; manere volebant.

Tractatio.

Pontificii conditionibus à Cæſareis oblatis ſtare renuunt.

XXXVII. Ita, ut ſolet, res adverſæ diſcordiam peperere; plurimis Catholicorum, Monaſterienſibus inprimis, Cæſareanorum facilitatem & arrogatam, ultra quam decuerat, poteſtatem incuſantibus. Ne opprobriis quidē abſtinebant, privato tantum auſu actitata, ideoq; nullius roboris dictitantes, quæcunq; Cæſarei in Evangelicos hactenus contuliſſent. Mindanum Epiſcopatum horum aviditati objectū; credendi in divinis libertatem omnibus, ſi Auſtriacæ demantur, Catholi-

Catholicorum querelæ contra Cæſareos. 6. Apr.

corum

corum terris vulgatam, quaſdam Hildesheimenſis Epiſcopatus PræfecturasEccleſiæ ablatas; Gallorumque immodicæ Trautmansdorffii libertati ſuccenſentium, & Memmii præſertim, Oſnabrugam nuper ideo profecti, ut Proteſtantibus plura largiturum retineret, hortamenta, & oblata ſtudia neglecta querebantur. Rogitabant etiam, hanccine Proceribus ſacris gratiam rependi, quod Auſtrios tantis ſumptibus tam atroci atq; diuturno bello adjuverint? Cæſarem ex Catholicorum conſenſu diſcere oportuiſſe, conſtantiam ſervare, majori ſemper Reipubl. malo omiſſam. Additis Landgraviæ ultra cccc. cıɔ. thalerorum, duobus adhuc centum millibꝰ nihil aliud indeptos Cæſareos, quam ut integram myriadem illa depoſceret. Qvin & totos Principatus in alios, inſciis, quorum intererat, adverſa priſco mori audentia, transtuliſſe. 1647.

XXXIIX. Hæc publico plerumq; Senatu, gravia & regnatrici Domui infeſta, Auſtriacis coram ingeſta, & per hunc Cæſareanis nunciata, dolorē, iras, qveſtus, & propiores inimicitiis ſimultates movere. Illiq; haud neſcii, quibus inſectationibꝰ peterentur, atq; publicas criminationes publica quoq; defenſione refellendas rati, munꝰ id Richtersbergio impoſuere, qui data ſibi in eam rem Catholicorum Senatu, digniora Cæſareos laborum in rempublicam impenſorum præmia aſpectaſſe ajebat, quam ut tam acerbis criminan- Cæſareorum Apologia.

 tium

1647. tium vocibus proſcindi meruiſſent. Noviſſe Catholicorū Legatos, quam non ſua ſponte ad tractatus cum Proteſtantibꝰ ſuſcipiendos ipſi proruerint, ut ipſi Pontificii negotium hoc aggrederentur, ſæpius hortati. Neq; poſtquam illorū precibꝰ
24 Nov. 1646.
præterito anno dederint, ut provinciam hanc reciperent, omiſiſſe, aut ad ipſorum Senatum, quo loco ſe res haberent, referre, aut eorum, ad quos potiſſimum ſpectabant, conſilia exquirere, Moguntiacum, Colonienſem, Bojoarum, Bambergium & Conſtantienſem teſtes invocans. Memmium auxilia non niſi verbis, rerum vacuis, obtuliſſe, ne Svecorum quidem argumentis refellendis ſufficientem, Mindanum atq; Oſnabrugenſem Epiſcopatus à Gallis Proteſtantibꝰ adimi non poſſe monſtrantium, ni fœderis leges violatas velint, quibus Catholicorum in Germania ſtatu, ad Anni M. DC. XIIX. formam revocato, contentos ſe fore promiſerint. Neq; Catholicos quidquam ad rei ſummam præter animum conferre, bellis exhauſtos, ideoq; pacem *qvocunq; modo* confici crebris expoſtulationibus monitisq; urgentes. Bojoarum ne verborum quidem aſperitate contentum, Cæſaris partes, pactis cum hoſte induciis, ejuraſſe, cui non partem tantū copiarum, ſed & Auſtriacas provincias incurſaturo per ſuperiorem Palatinatum ingreſſum addixiſſe, non vano rumore compertum ſit. Ita Gallis non niſi vocabulorū ſubſidia præſtantibus, & Catholicos, quos inani interim

ſer-

ſermone miſerentur, armis atrociter perſequentibus, nullaq; Procerum conſtantia, bellum habere quã gerere malentium, quin imo medias ſpectantium partes, quid aliud reliquum Cæſareis, omni ſociorum amicorumq; ope deſtitutis, quã pacem quibuscunq;, duris licet incomodisq;, conditionibus redimere? Neq; enim ab inermi Cæſare Oſnabrugæ atq; Mindæ Epiſcopatus retineri poſſe, eosq;, ſi recuperare Catholici velint, virorũ armorumq; faciendum fore certamen. Nullius ex Pontificiis terras bonave à Cæſareanis, niſi eorum, ad quos pertinebant, conſenſu in alios translata, quibus exemplo magis quam hortatu Auſtriaca Domus præiverit, eorũ (Bojoaros deſignabant,) quos alia humanitas decuerat, minis, patrimonii ſui imminutione publicã propriamq; incolumitatem emercari coacta. Non Trautmansdorffii in eo culpam, ſi ex Præſulibus quidã DC. CIↃ. thaler. Cattæ perſolvere adigantur, ſed Gallorum id inventum, de quorum patrocinio adeo magnifice glorientur. Sæpius conſuluiſſe Cæſareanos, ut dimidia ſaltem iſtius pecuniæ pars ſupplendo militi impenderetur, quo tam iniqua petentium impudentia ſuperbiaque averti poſſet. Aſt ſurdis ceciniſſe fabulam. Avtonomiã non aliis conceſſam, quam qui jam olim uſurpaverint. 1647.

XXXIX. Neque ipſe Trautmansdorffius, ſe potiſſimum odio atque invidiæ deſtinari non ignorans; defenſione ſui abſtinuit, accerſitis Ca- Trautmansdorffii. 19. Jun.

 tho-

1647. tholicorum Proceribus ſua in rem communem officia, atque plurima incommoda ſolertiâ ſuâ ab iis averſa memorando, citatis in eam rem po- ſtremis Svecorum tabulis, quæ primis collatæ, multo mitioris concordiæ leges contineant. At conceſſa forſan ad Pontificiorum detrimentum ſpectantia? Verum non ſuum hoc, ſed fortunæ, crimen eſſe, quæ Gallis Svecisque integras Sveviæ, Franconiæ & ſuperiores Rheni Regiones ac fere Weſtphalicam addicens, Cæſari ceterorum præſidio nudato, ſalutis ſuæ propriis ſolum opibus tutandæ neceſſitatem fecerit, ea ex ingenti hoc & incruento fere ſucceſſu hoſtium ſuperbia, ut bellum vel optimæ paci ſe præhabere claris nimium indiciis prodant. Triſte id quidem Cæſari, hoſti quidpiam ex Catholicorum bonis permittere, quorum tutela non multarum modo auri myriadum vi, ſed & cariori civium ſangvine ſibi conſtiterit, ne proprio quidem parcituro, modo aliorum quoq; ſubſidio juvaretur. At verò, cum majores ſemper hoſtiũ progreſſus, Catholicos Proceres ſubactos exhauſtosve, & omnia ſummo diſcrimini indies propiora videat, multo id Deo gratius, multo utilius Eccleſiæ duxiſſe, iis conditionibꝰ pacẽ ſancire, quibꝰ majori, quam antea, ſecuritati reliquæ adhuc Catholicis opes donentur, quàm bello producendo omnium periculum, imo certam ferme jacturam, ſubire. Validam quoque & laudatam antiquitatem,

quo-

quotiens fortuna contra daret, ſaluti conſuluiſſe. 1647. Non eam Germaniæ faciem eſſe, ut pacem ei neceſſariam probatu indigeat, quovis idoneo ſatis & locuplete ſui deſiderii teſte. Abſurdum igitur, quietē tantis votis expetitam, ubi copia ejus ſit, ideo reſpuere, quod quorundam incommoda ſecum tractura ſit. Eo jam negotium cum Svecis Evangelicisq;, magnis quanquam laboribus, proceſſiſſe, ut ad exitum ſpectet, quo ſub incertorum ſpe omiſſo, tranſacta *Diſputationibus Scholaſticis* reſcindere, præſenti rerum ſtatui haud convenire. Meminiſſent Catholici, quam ſæpe, cum de Proteſtantium duritie quererentur, validiori conſenſu retundendæ illi opus fore, quam eò usq; monſtraverint, multo, at inefficaci apud incurioſos, ſermone monuerit. Noſſe illos Coloniæ Bavariæq; Electorum eam in rem queſtus, cuncta ſua tuendæ Catholicæ rei impenſuros teſtantium, modo rei expediundæ rationes Collegæ indicarent. Si quis itaqve illorum tantas opes atqve auxilia polliceatur, ut iri obviam queat, hunc & laudare ſe, & exonerari Cæſari laborum partem fateri; ſin accuſare Pacis conditiones velint, hoc illudve Cœnobium, hunc iſtumve Epiſcopatum, hoſti poſſeſſionem eorum jam armis nacto, & retinenti non relinquenda, hac illave Urbe (Auguſtam Vindelicorum innuens) ex ſtatu civili nihil innovandum, neq; Acatholicorum ſubditorum neceſſitatem Pontificiis

1647. Proceribus inducendam aliaque gravia memorando, dein cum gloriam ejus rei adepti ſint, nullas à ſe opes oſtentent,& medias partes amplexi, Cæſari bellum relinqvant, crederent, hunc quoque non eſſe armorum bellique moleſtiarum avidum, quas cum graves pro Republica & Catholicorum ſalute toleraverit, inanes & irritas, neque niſi hoſti uſui futuras jure deprecari; neque hortatibus auſcultare, quos verbis ingentes, rerum inanes publicosque juxta ac privatæ rei noxios plerique ingererent. Improbari potiſſimum, ut compererit, Catholicis, religionis libertatem ſubditis ipſorum permiſſam. At neque Imperatori eam placere, vitæ potius omniumque, quæ in terris à Deo acceperit, diſcrimen adituro, quam ſibi eam legem poni ſineret, eadem quoq; conſtantia à ceterorum ditionibus malum hoc averſuro, ſi vires ſuas illi ſociare vellent poſſentve. At nullo in his auxilio, ipſoque quorundam locorum ſitu diverſum expoſcente, poſt multam diſceptantiũ contentionem, & conditiones ab editis primum à ſe pacis tabulis decies mutatas rejectasque, in poſtremas denique, à Catholicis nunc improbatas, utrinque conſenſum, ea tamen ſolertia compoſitas, ut modo hominibus tam ſuſpectis cum induſtria intendatur, vel centum occaſiones adfuturæ ſint, quibus libertas iſta aut adſtringi, aut ipſi, nondũ elapſo trium iſto luſtrorũ ſpatio, terris ejici queant. Quod ſi ni-

ſi nihilominus, leges has adſpernantes, bellum 1647.
præoptent, id quidem Cæſarem prohibere non poſſe. At cogitarent, præter Bavariæ Electorem omnibus reliquis eam hoſtium vim imminere, ut arma, ne ſi velint quidem, movere queant. Moguntiaci præcipuas Urbes à Gallis, Svecis & Caſſellanis occupatas; Treviro Gallos, quanquã amicorum nomine, ita tamen incubare, ut amicitiam mutare ne volenti quidem ſine exitio liceat; Colonienſis Epiſcopatus pleraque Svecicis & Haſſiacis armis detineri; Herbipolenſis, Bambergiæ atq; Eichſtettanæ ditionis loca Svecorum exercitu ita inſideri, ut ipſos Epiſcopos ſedibus ſuis exturbare, mancipare captivitati, omnes ſacris ordinibus devotos expellere, totamque inde Catholicam proſcribere religionem, quando placeat, poſſint; neque ambigi debere, placiturum id, quam primũ transactionem hanc Catholicos abnuere inaudierint, fractis jam usque ad exitium inſtituri. Neque Evangelicos, exemplo ſubſidioq; Svecorũ animatos, ſegniores futuros ad Pontificios ejiciendos, expilandos, ac ſacrorum bonorum reliquias invadendas, paucas intra hebdomadas eum exercitum habituros, cui neque Cæſar, neque, qui arma adhuc induti ſint, Catholici ſufficere queant. At vanos hos eſſe, ſi in Hiſpanorum Gallorumve opibus fiduciam collocent. Hos ipſos enim Acatholicorũ Pontificiis Proceribus obtrudendorũ, atq; ademtarum

1647. tarum Eccleſiarum & Monaſteriorum auctores, adeoq; infenſiſſimos ſui in Germania hoſtes experti, jam quoque viribus ita defectos, ut parum præſidii ab iis ſperandum. Neque hoſtilia in Svecos auſuros, quibus ut amicis hactenus atque ſociis uſi ſint. Hiſpanos verò, quanquam de ſalute Imperii, ſacris contra Turcam & Evangelicos bellis immenſis ſumptibus hactenus ſuſtentata ſollicitos, Gallicis tamen armis occupatos, ſuarum rerum, quam aliarũ, potiorem curam habituros, neminem dubitaturum. Non etiam in Pontifice aliisve Italiæ Principib9 quidquam ſpei ſupereſſe, auxilium ſæpius rogatis, verum Turcarum contra Venetos bellum & Gallicorum in Italia motuum timorem oſtendendo, propriæ incolumitatis prærogativam repulſæ obtendentibus.

XL. Hæc quanquam Cæſarei cum Catholicis, ipſi tamen quoq; accepto non multo poſt de ſoluta Ilerdæ obſidione nuncio, & defectione Joannis Werthii, celebris inter Bavaricos Ducis, belliq; veteris, ſuperbiores, pacis celeritatem tardabant, mira feſtinantium cunctantiumq; varietate. Abiit deniq; Monaſterio, poſtquam ſæpius ſe retineri paſſus fuerat, Trautmansdorffius, crebris ab Aula juſſis revocatus; lætis Pontificis, Hiſpani, & Catholicorum quorundam Legatis, mite viri ingeniũ, & moderatiora, quam Pontificiũ decerent, conſilia improbantibus; & Auguſta-

Trautmansdorffius Viennã abit. 6. & 16. Jul.

næ

næ Confeſſionis, cui olim (*u*) addictus, affectum nō omnino exuiſſe, ſuſpectabatur. Collegæ quoque, cunctis ferè Svecorũ Evangelicorumq; officiis in iſtũ verſis, æmulatu accenſi, ejusq; faſtigio ſe præumbrari cernentes, non ægre tolerabant, eum diſcedere, quo præſente ipſi minores habebantur. 1647.

XLI. Non tamen multum, ut primum metuebatur, moræ tractationi Trautmansdorffii profectio attulit, cum, quamvis cũ Volmaro ut ſecundæ dignationis, & Lambergio Comite, Oſnabrugam quippe deſtinato, Oxenſtiernius agere dedignaretur, Salvii tamen induſtria plurimas cum Volmaro lites componeret. At non deerant, quæ proximum fini negotium morarentur. Præcipuum ex eo turbamentum, quod Galli pacem admittere recuſabant, niſi Cæſar, etiam ut Auſtriæ Princeps, auxilio Hiſpanis contra Gallũ præſtando prohiberetur, barbaro, ut pleriſque videbatur, poſtulato, & cujus atrocitatem ipſi quoq; cum Evangelicis Sveci damnabant. Memorabantur communia humanitatis Jura, cujus officiũ, neceſſitati alterius atq; periculis ſubvenire. Immiſericordem ſententiam eſſe, & naturæ humanæ communioni adverſam, adverſam Principũ gloriæ; iisq;, quod maximũ eſt, tollere, qui oppreſſis opem ferre non permittant. Et quo alio obtentu ab

Tractatio inter Lambergiũ atque Volmarum & Salviũ continuata.

Aſſiſtentia Auſtrio-Hiſpanica.

(u) *V. Memoir. de Mouſ. D'. p. 28.*

1647. ab (*x*) Henrico olim, jam à Ludovico Evangelicis, religione diverſis, ſuppetias latas? quo Trevirum contra Cæſarem, Luſitanos & Catalaunos in Dominum rebelles protectos? At Gallo, quanquam ambitionē tantum & proferendi imperii cupidinem prætextibus his obvelanti, aliorū ſc. miſeriæ occurrere fas eſſe; Auſtriacis contra illicitum, Hiſpano opitulari, non propinquo modo ſed & ejusdē familiæ Principi, & cujus bona malaq; ad Auſtriacā Domum pertineant. Iniquiſſimam & extremæ ſervitutis conditionem eā ſubituram, ſi in Gallorum gratiam, perpetuorum, etiamſi arma ponant, utilitatis dignitatisq; Auſtriacæ hoſtium, omnium nexuum Jura, omnemq; ſangvinis caritatem negligere adigatur. Ampliori certe libertate Germaniæ Proceres gaudere, militiam partesq;, quorū velint, antiquo more ſequentes: At non nimium videri debere, ſi pari cū ceteris Imperii Civib9 ſorte, Cæſar & agnati Principes cenſeri expoſcant. Imperatori ſane, quanquam id quoq; indignum, novas leges præſcriberent; at Auſtriæ Archiducum Jura ſinerent integra, quando jam major in ſummum Principem, quam in Cives Optimatum poteſtas ſit. Neq; ad aliud tendere hanc Gallorum immodeſtiam, quā ut, avulſis ab Hiſpano Auſtriacis, facilioris in utrosq; dominationis compendium faciant, atq;, dum

(x) *De Henrico II. Thuan. L. XIII. (p. 275. Edit. Francof.) Victor. Sirius Hiſtor. de' tempi correnti L. I. (p. 20.)*

dum ſinguli iſti pugnant, ambo vincantur. Timendum, ne eas tandem leges Galli Auſtriacis ferant, ut ſui quoq; defenſione, quamvis laceſſiti, abſtineant. 1647.

XLII. At fruſtra hæc apud Gallos, nulla inter arma Jura, atq; id in ſumma fortuna æquius, quod validius, cogitantes; Bojoari ſuffragio adjutos, labefactata jam in Cæſarem fide, maximam pervertendis Auſtriacis induſtriam commodantis, ſive ut ſincerum in novos amicos ſtudium acribus conſiliis adprobaret, ſive imminutâ iſtâ Domo, quæ ſola Bavaricæ luminibus officeret, majorem ſibi paraturus potentiam, aut humanæ malignitatis ingenio, quo acerrima amicorum odia eſſe, longo uſu probatum eſt. Erant, qui expediundæ difficultati conſulebant, ut ad certum copiarum numerum, certasque provincias ea auxiliandi facultas, pari ſcilicet modo, adſtringeretur, quo quinq; Catholici Helvetiorum Pagi Mediolanenſi Ducatui contra Gallum operam pacti ſint; aliis, Veneto præſertim, ſubſidii tuendo Hiſpano, non offenſuro Gallos ferendi copiam Auſtriacis dandam, cenſentibus. Imo ſimulatam Auſtriacorum contradictionem eſſe, ut excuſatius ſub neceſſitatis prætextu naturæ leges negligerent, cogi optantium, quidam ſuſpicari audebant. Neq; omnino vanus is rumor videbatur, Trautmansdorffii verba expendentibus, Hiſpanum Auſtriaca ope deſtituendum affirmantis, modo Luſitanos Galli deſererent, quod ſi hi abnue-

Bavari in ea re pro Gallis ſtudia.

Temperamenta à quibusdam propoſita.

1647. nuerent, multo validiori æquitate & ipſius ſangvinis ratione fundata Auſtriaca pro Hiſpanis auxilia niti.

Satisf. Caſſellana à Gallis ſuſtentata.

XLIII. Catti etiam properos paci importunis ſollicitationibus revocabant; Gallorum patrocinio feroces, cum hi, exemplum edituri, quanta utilitate Germaniæ Proceres, exuto in Cæſarem obſequio, Galliæ fidem ſequerentur, infelici contra eorum ſorte, apud quos Imperii Cæſarisq; amor potior eſſet, quamvis immodica Caſſellanæ vota calidiſſimè propugnarent, eo tendentia, ut præter Marburgenſem ditionem & expunctionem æris Waldecciis Comitibus ob damna bello inflicta, exſolvendi, partem ultra montanam Epiſcopatus Paderbornenſis, cum Urbibus Marsberga, Volckmars, & Bevering, Comitatum Arnspergenſem, cum Mettelsbachio, Wintersberga & Hallenberga, Præfecturam Furſteneck & Roggenſtul, quatuor oppida Moguntini in Haſſia ſita, & in pretium reddendorum locorum, at ſine tormentis, juxta cum reliquo belli paratu apud victorem manſuris, in Colonienſi atq; Monaſterienſi Epiſcopatu armis obtentorum Præfecturam Buchholz & cc. cIɔ. thaler. dumque ii perſolvantur, certos locos pignoris nomine, Jura in Comitatum Schauenburgi pridem à Cattis prætenta, ſuis denique non minus ac Svecorũ militibus ſtipendia acciperet; Cæſareanis ſupra renunciationem actionũ Darmſtattino contra Caſſellanos ad multas auri myriades competentium,

Cæſareorum oblatio.

tan-

1647. Ubiq; rejecta.

tantum ex Marpurgia hereditate terræ, quantum ad reditum xx. cIɔ. florenorum annuorum ſufficeret, & Hirsfeldiæ Abbatiam offerentibus, exigua utrinque gratiâ, cum & Sveci conditiones has ſibi exhibitas protinus ad Cæſareos remitterent, pacem in eas coalituram negantes, atque Darmſtattini ultima potius pericula Dominũ, defenſioni jam, quantum neceſſe ſit, paratum, quam adeo iniquas leges ſubiturum edicerent; Caſſellani deniq; terras ex Darmſtattini patrimonio, tanquam alio Jure ſibi debitas, & Abbatiam (y) Hirsfeldenſem, ut jam ſuam, atque utrasque ſumma iſta (xx. cIɔ. thalerorum) minores, adſpernarentur.

Continuatio Tractationis Caſſelanæ.

XLIV. Aſſenſere ultra priorem conceſſionem Cæſarei, ut à vicinis Epiſcopis c. cIɔ. thal. Cattæ penderentur, additis præterea quibusdam Schauenburgici Comitatus Præfecturis (40000. thal. annuos reditus (z) ferentibus); Gallis inſuper Schmalcaldiam, partem Comitatus Cattimeliboci, & ex Marpurgenſi terra, in octo portiones dividunda, tres Landgraviæ adſignantibꝰ; At iſta parte illa non contenta, univerſam, aut tres quadrantes ſaltem cum integro Cattimeliboci Comitatu expetebat, Gallis vota ſua minus promoventibus irata; his contra juxta cum Svecis avaritiam

(y) *Notandum, Hirsfeldia reditus annuos 200000. libris æſtimari à Monſ. D, Memoir. p. 88.* (z) *d. Memoir. p. 88.*

1647. illius increpantib9, quæ oblatam poſtea dimidiam Marpurgiæ hæreditatis partẽ, atq; conceſſam in tolerati damni reſtitutionem Hirsfeldiam & Præfecturas Schaumburgicas, ac denique DC. CIↃ. thaler. & donec numerentur, Comitatum Arnsbergium pignoris interea vicem ſubiturum ſpernens, M. CIↃ. thal. inſuper poſtulare perſiſtebat, quorum una pars præſenti pecunia, altera terris à Moguntiaco & Fuldenſi, aliisq; propinquis Præſulib9, tertia pignoribus certorũ locorum, ad eoſdem Præſules ſpectantium, intra quinquaginta annos non reluendorum, præſtaretur.

XLV. Delecti quidem à cunctis Imperii Curiis, qui concordiam utrisq; Haſſis, & Caſſellanis moderationem ſvaderent, at nihil profectũ, his DCCC. CIↃ. thal. cum pignoribus, donec iſta perſolverentur, à Præſulibus tradendis, & tres ex octo partibus Marpurgenſis ditionis ſibi flagitantibus, Catholicis DC. CIↃ. tantum, & potius, quàm terras ſuas iſtis Germaniæ, ut dicebant, raptoribus pignoris nomine profanandas darent, ſupra omnem uſurarum conceſſum legibus modũ à Judæis mutuo accipienda; Darmſtattinis verò ultra prius conceſſa, nihil offerentibus, quanquam niſi propoſitis adſentirentur, excidiũ & atrociores prioribus clades Caſſellani minitarentur; non exiguo rei Evangelicæ incommodo, cum Catholici, interq; eos præcipuus Moguntini Legatus, Reigersbergius, Hiſpanis addictus, Bavaro quoque, un-

unde præcipua Evangelicis ſpes, in partes tracto, propoſitas concordiæ leges ſe accepturos negarent; intempeſtivū ſibi dicentes, cum Proteſtantibus ſacra Bona olim occupata eâ potiſſimum causâ permiſſuri eſſent, quo ceterorum ſecurior poſſeſſio foret, Cattis præſentem pecuniam, Creditoribus alioquin adeò gratam, adſpernantibus terras ſuas pignoris nexu in dimidium, ut feratur, ſeculum, at ex vero, in perpetuum obſtringere; re à fine cedendarum ſacrarum provinciarum multum diversâ. 1647. Catholici ob Caſſellana poſtulata trans actionē Gravaminum confirmare recuſant.

XLVI. Hæc ſivè vero timore, ſive Reigersbergii aſtu jacta, Germaniæ pacem prolaturi, donec Hiſpani, quibus præſentia proſperè fluebant, feliciori in dies armorum ſucceſſu pingviores à Gallis conditiones elicerent, majori ex Catholicorum Monaſterienſium literis ſuſpicione cumulabantur, Svecis, & ab his Proteſtantibus à Bavaris traditis, inſigni proditionis ſpecimine ſuam in promiſſis conſtantiam teſtaturis. Iis (z) ſcilicet Maximiliano, nimia & exterminium Romanæ Religionis ſpectantia Svecorum Evangelicorumque poſtulata atque Catholicorum calamitates miſeranti, ſuaque arma, modo extra verborum apparatum, opes viresque reſumendo bello idoneas ipſi quoq; oſtenderent, pollicenti, Dominos ſuos id Septemviri reſponſum reſciſcentes eo curam cogitationesque vertiſſe re- Suſpicio & ſollicitudo Evangelicorū ex Pontificiorū literis ad Bavarum, ab ipſis Bavaris communicatis. 4. Jul.

(z) *Lundorp. Tom. VI, Lib. III. c. 119.*

1647. reponebant,qua ratione oblata occaſione,diſtra-
ctis jam Gallorum Svecorumq; copiis, in Imperii reique Catholicæ emolumentum qvàm commodiſſime uterentur, non quidem bello, ſed honeſtiori tantùm paci intentos, quam ob adverſariorum inſolentiam neq; ſine Numinis offenſa accipere,neq;,ſi accipiant, ſecuram ſinceramq; habere poſſint, variis hactenus illorum mutationibus, tergiverſationibus morisque eluſam, & Svecorum præſertim aviditate impeditam,qui tanquam ex facili tolerantibus plura ſemper injungentes, nulla religione jam ſemel placita pro lubidine reſcindant, tempori interim inſidiantes, atque hoſtilia proſequentes, adeo nulla tractatæ pacis reverentia, ut celeberrimo Europæ Conventu coram, iis etiam locis arma intentent, quibus pacta Hamburgi conventa terrorem eorum demere debuerant; neq; iis contenti,quamvis Senatu Imperii nondum recepti, præcipuarum Imperii familiarum locum per aliquot ſecula inſeſſum invadere, ipſi novi veteres cives anteire, imo hos PrincipumCuriâ (Bojoari auribus id dabant,proprii doloris ſenſu acrius excitandi,) movere,aliaque non alium in modum audeant, quamſi, Cæſare Imperioq; debellato, illis ſolis rerum Judicium victoria tribuerat,Germaniæ Proceribꝰ obſequii tantum gloriâ relictâ. Certum igitur Catholicis Principibus, penitusque infixum eſſe, viribus ſuis Cæſari atq; Bojoaro adjunctis,religioni patri-

patriæq; adverſum hoſtes tam inſolentes tutandæ ultima experiri, eventum Deo, cauſæq; juſtitiæ commendaturi. Meliorem certè pacem, & Catholicis commodiorem ex conſenſu ſperandam, quàm ſi diſſidiis convulſi diverſa ſequantur. Non ignotum ſibi, verbis bella non confici, ſed arma, viros, ſtipendiaqve requiri, neque Dominos, quo minus omnes ſuperſtites adhuc opes inſumant, recuſare. At cum præſentem militem tempus expoſtulet, non opportunum magis expediundæ rei modum videri, quam ut Cæſari, proviſo jam apparatu, & XXCIↃ. militum exercitu inſtructo, præſentia ipſius, ut feratur, in majorem alacritatem animando, Septemvir ſuas copias adjungat, Svecis, Gallorum ſeceſſu imminutis, aut Germaniâ, aut conceſſis ſaltem Bavariæ hoſpitiis exturbandis. Neque ambigendum, modo temporis, occaſionis, & virium plus, quam neceſſum ſit, validarum ratio habeatur, Deum melioribus adfuturum, pacemq; daturum, religioni atque ſaluti Catholicorum leviori damno & ignominia conſtituram. Non defuturos interea Proceres, quo minus bellum, cum milite non poſſint, pecunia adjuvent; neq; ceterorum ſubſidiorum inopiam fore, quæ (futuri, ut ex eventu apparuit, conſcii aut præſagi,) ſcripto committere non audeant, ne ad alios emanarent, ſolliciti. Addidere in fine incommoda, & quæ Catholicæ rei religionique pericula imminerent, 1647.

1647. rent, ni fortioribꝰ conſiliis cöerceantur; Septemvirum, ut neceſſariam Eccleſiæ ſibique decoram fortitudinem reſumeret, multo cum hortatu precantes.

Epiſtola Jeſuitæ Mühlmanni, Egræ à Svecis inventa. Dat. Monaſter. 12. Jul.

XLVII. Joannis quoque Mühlmanni, Lipſiæ Patre Theologiæ Profeſſore nati, ex Lutherano Juſuitæ, inventæ Egræ à victore Sveco litteræ ſollicitudinem adjicere, quibus Æſculapii (hoc Trautmansdorffio nomen in contrariam ſignificationem verſum indiderat,) in Evangelicos facilitatem proſcindens, ut conſcientiæ Cæſaris conſuleret is, ad quē ſcribebat, ejuſdem, ut videtur, ſocietatis homo, monebat. Ne blandirentur ſibi (ita porrò iſte) Cæſarei externæ neceſſitatis obtentu, neq; enim ullam tantam eſſe poſſe, ut quædam Tabulis Svecicis comprehenſa excuſationem admittant. Oſtendiſſe Deum in Belgio, oſtendiſſe in Catalaunia, quàm bene cupiat Auſtriacæ Domui. In eo fidendum, atque Dei cauſam Eccelſiæque ſtrenue agendam eſſe. Cogitarent ſolutam Ilerda obſidionem, & Condæum ſaucio inde capite profugum, mutata partium fortuna, Balaqverii ab Hiſpanis obſeſſum. Demittere jam hîc, (Monaſterium innuebat,) non nihil capita ſua Francos, Kœnigsmarckium quoque Wiedebruckum, (eſt id Weſtphaliæ oppidum) nō ſæpius aggreſſum, quam ſuorū cum clade depulſum, eundem cum Ilerda, adventantibus præſertim Lotharingi copiis, exitum promittere.

XLIIX.

XLIIX. Hæc, licet à privato homine ſcripta, occulta tamen, &, quando procederent, in ſuũ damnum exitura conſilia agitari, Evangelicis non obſcure indicabant, Cæſareanorũ etiam ambiguitate anxiis, , qui negotiũ pacis cunctando trahi velle, & poſt defectionem Joannis Werthii, quem ad Imperii Principum dignitatem à Cæſare proxime evehendum (hominem ex infima plebe, parentibus ſcilicet agreſtibus natum) confictio à Colonienſibus atq; Bavaris in Ferdinandi opprobriũ rumore ſpargebatur, atq; Trautmansdorffii in Aulam reditum, nova conſilia mandataq;, quanquã id negabant, expectare, non abſurdis argumentis credebantur. Confirmavit ſuſpicionem Memmii & Groularti, apud Evangelicos, pleroſq; cum Salvio Oſnabrugam reverſos, ſermo, minus in Cæſareis, quam ipſo Penaranda Hiſpaniæ Legato, promovendæ pacis ſtudium ſe deprehendere adſeverantium, conditionibꝰ noviſſimo Martio (dubiis tum magis Hiſpanorũ rebus) ſubſcriptis ſe ſtaturum, neq; auxilio Luſitanis ferendo interceſſurũ pollicito; tanta hinc rei conficiundæ fiducia, ut intra ſex hebdomadum ſpatium pacem Orbi Chriſtiano ſe daturos belligerantes jactarent, cui perpetrandæ etiam Batavorum Legati Monaſterium advenerant.

1647. Cæſareorum ambiguitate. Jul.

XLIV. At Oxenſtiernius, Cæſareanorum moræ impatiens, Svecos quoq; liberam eorum, quæ cum illis pepigerant, retractandi facultatem uſur-

Oxenſtiernii minæ de retra-

1647. paturos denunciabat, ni Catholici placitas Trautmansdorffio ſibiq; ponendarum cum Proteſtantibus litium conditiones ratas haberent, & Cæſarei reliquis quoq; finem imponerent; non magnâ ſane Evangelicorum lætitiâ, compoſita fere in ſuam utilitatem jurgia ad antiquas diſceptationes vocari, & , ſi fortuna belli vertat, incommodiorem tranſactionem formidantium. Anxiis animum Salvius reddidit, non alium Collegæ animum fuiſſe affirmans, quam ut Cæſareos minis iſtis Exulibus ſubditisq; Auſtriacis æquiores efficeret. Neq; enim aut Numini, aut Sveciæ Regno excuſandos fore, ſi, perfectâ ferme in potiſſimis pace, ob minora, &, ſi ceteris conferantur, nullius momenti litigia, reſciſſâ, cuncta novo bellorum diſcrimini objicerent.

ſtandis Pacis.

A Salvio explicatæ mitigatæque. 24. Jul.

27. ejuſdem. L. Non multo poſt Oxenſtiernius media, ut prius, nocte Monaſterio Oſnabrugam remeavit, eumque proxime ſecuti Lambergius Craniusq; ; qui, quod prius abnuerant, nova ab Aula juſſa ex Trautmansdorffii relatu componenda ſe opperiri obtendentes, progredi ſe poſſe negabant; acriter objurgante Oxenſtiernio, prioresque minas repetente, ſi moras nectere iſti perſiſterent. Acriori nempe bello urgendos, qui pacem admittere pervicaciter recuſent, ſi patria cordi foret, cum gaudio accepturi.

Reſtaurata Tractatio. LI. Reſumtum ab iis negotium, non abſque omni operæ pretio, tranſactis penè, quas Trautmans-

mansdorffius reliquerat, controverſiis, neque 1647.
procul abfutura pace, ſi Epiſcopatu ſuo privari
Oſnabrugenſis, decem & ſeptem ſuffragiis, aliorũ
nomine ſua ad vota ferendis in Senatu præpotens, Ejus
aut Auſtriaci exulibus patriam, Civibusq; ſacram difficul-
libertatem reddere voluiſſent. Horum Patro- tates.
num ſeſe Alexander Erskeinus ferebat, Oſnabru- Alexandri Erskeini
gam tum, militi Sveco ſtipendia petiturus, ingreſ- pro Exulibus
ſus, totos in eo Wrangelium & Kœnigsmarkium Auſtriacis ſtudia.
eſſe dictitans, ut Auſtriacas terras reviſuri, me- Bavaricorum ad
liores Commilitonibus (Auſtriacis nempe Svecis promovẽdam
militantibus) conditiones ab obſtinato Cæſare pacem promiſſa.
extorquerent. Et Bavari, inter Catholicos 1648.
ac Proteſtantes medii, quanquam in hos pro-
niores videri vellent, ſuarumque & veluti ter-
tiarum partium principes, modo Colonienſi,
eadem proſapia oriundo, ad pactorum cum Brun-
ſvici Ducibus de Hildesheimio Epiſcopatu inito-
rum leges ſatisfieret, lites Pontificiorum cum Sve-
cis Evangelicisque ſe compoſituros ferebant, re-
licto Domui Auſtriacæ bello, & ceteris, qui pacem
ferre non poſſent. Quanquam erant, qui mentem
callidi ſenis & ſimulandi artes edocti contra in-
terpretarentur, & quamvis abditos ambigui Prin-
cipis ſenſus, & quid occultius pararet, adſequi de-
ſperabant, aliud tamen, quam præ ſe ferret, agi-
tare ſuſpicabantur.

LII. Exhibuit Erskeinus Cæſareanis ſuprà vi- Erskeini Poſtulata
ginti Bohemorum Auſtriorumq; familias, quarũ

1647. gentiles fidem militiamq; Gallorum Svecorumve ſecutos in dignitatem bonaque reponi flagitabat, ceteris etiam, quicunque Bohemiam Auſtriacasque terras incolerent, priſtinam religionis libertatem expoſtulans; quod ut novam belli denunciationem Cæſarei explicabant, ſpem tamen mollioris ex aula Reſponſi facientes.

pro Auſtriacis Evangelicis. 1. Aug.

Colonienſis & Oſnabrugenſis armiſtitium cum Svecis & Lādgravia renunciant. Colonienſis literæ ad Lādgraviam, Wrangelium, & Kœnigsmarkium. 5. & 15. Aug.

LIII. In hanc fiduciam erectos Proteſtantium animos allatus de Ferdinando Ubiorum Archiepiſcopo & Franciſco Gvilielmo Oſnabrugenſi nuncius in diverſum adfecit, quorum iſte, poſtulati Caſſellani immenſitate & illatis à Kœnigsmarckio in Weſtphaliam armis offenſus, iſte, ſuopte ingenio vehemens, & petita Brunſvicenſibus compenſatione, tum ademto inprimis Verdenſi & Mindano Epiſcopatu, ac occupatis à Kœnigsmarckio Vaſtenaviâ & Weidenbrucho, Oſnabrugenſis ditionis oppidis, irritatus, poſitis, quas ſuſceperant, mediis partibus hoſtilia reſumſerunt, literis ad Landgraviam, Wrangelium & Kœnigsmarckium datis à Colonienſi (*b*) excuſata, quibus de fide ſua, & quam ſanctè inducias Ulmæ ſancitas, (infra curatius memorandas) coluerit, præfatus, nulli eas uſui ſibi fuiſſe querebatur, præcipua in Landgraviam criminatione, poſthabitis induciarum legibus adeo nihil de exactionum acerbitate remittentem, ut nullum in ea re

(b) *Add.* Chur-Cölln. *Manifeſt. apud. Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c. 136.*

re ſibi modum ſtatui ſe paſſuros, Legati ipſius ex- 1647.
preſſo ſermone teſtati ſint, ne ludibrio quidem abſtinentes, Legatis Septemviri, populi calamitatem miſerantibus, copias iſti adhuc reliquas in afflictorum levamentum exauctorari ſvadere auſi, iis interim conditionibus Svecorum fiduciâ inſiſtentes, quibus conſentire religionis honorisque reverentia vetet. Hunccine Amneſtiæ, toties à Landgravia jactitatæ, fructum? Deone poſterisque ſuam habendi lubidinem ſeſe probaturã conſideret, quæ falſa pignorum nunquam luendorum ſpecie aliorũ terris inhians pacem impediat, & bellum, in ſupremum patriæ excidium deſiturum, retinere nitatur? Neque Svecos majori religione inducias habuiſſe; occupata Amiſenâ terrâ, (das Embs-Land) & Pirmontis Comitatu aliisque ſibi obnoxiis, vetare ſuſtinentes, ne victus inde copia Electoralibus fieret, & Kœnigsmarckio quoq;, irrupto Monaſterii Epiſcopatu, ipſius Urbis, totius fere Europæ Legatorum præſentia ſanctioris, ſecuritatem turbante. At non, ſi iſti cuncta pro lubitu agere rapereq; velint, ſibi patiendi obligationem impoſitam, vim, contra induciarum fidem illatam, ex communi Naturæ Jure & oblato à Cæſare auxilio depulſuro.

LIV. Reſponſum à Landgravia: Affectui ſuo indulgere, qui pacem conditionibus à ſe latis protrahi criminentur, æquiſſimis (ita iſta ſibi cauſæq; ſuæ utiq; favens) ab omnibus habitis, quibus judicium

Reſpõſum Landgraviæ.

1647. cium nullum in partes odium amorve corruperit. Neq; induciarum pactione id ſe egiſſe, ut flagitata
17. 27. Aug. ſatisfactione & damnorũ reparatione abſiſteret, aut tributorum Septemviri terris imperandorum leges acciperet, quanquã tam Colonienſis quam Monaſterienſis ditionis locis leviora exacta negari non poſſit; neq; etiam ſeſe unquam transactionem eã in rem, aliquantum quidem dilatam, renuiſſe. At Electoré, qui, ut interceptæ literæ aliquando forſan edendæ doceant, hoſtis partes nunquã ſincere exuerit, temporum ſolũ momenta, & rumpendarum induciarum opportunitatem ſpeculatum, cauſas, cùm reperire nequiverit, confinxiſſe, ne violata fides omni honeſtatis ſpecie careret.

Kœnigsmarkii. 19. 29. Aug. LV. Kœnigsmarkius quoque, nihil à ſe induciis adverſum perpetratum, (*h*) reponebat, Vechtæ quidem urbe, ſed ex legum formula, occupata, quibus Cæſaris militem Septemviri terris exigere Svecis conceſſum ſit. Comeatum etiam provincialibus imperaſſe, at non novo more, ſed frequenti non amicorum minus quàm hoſtium uſu, præſenti maxime bello, inolito. An verò Monaſteriũ usq; milites ſui populando progreſſi ſint, id ſibi incognitum, nec, ſi innotuiſſet, impunitum; quanquam, id factum forſan, omnino inficiari non audeat, non eadem militis campo, ac urbe attinendi obſervandive facilitate, ne ſupplicii quidem ſeveritate, quod in contumaces ſæpe ſtatuerit,

rit,

(h) *Lundorp. d. Lib. 6, 137.*

rit, inſolentiam illorum ſatis cöercente. At verò non Ducis illico in eo culpam, ſi miles modum excedat, quam, ſe certe inſcio aut prohibente commiſſam, amicitiæ ejurandæ ſufficere non debuiſſe; nullo præſertim prævio queſtu, quo neglecto demum juſta reſumendorum armorum cauſa futura fuerat. Pirmonti à ſe nullam vim illatam; contra aëris tantum tempeſtatumq; injurias innoxium ſuffugium, neq; amico, ut credebatur, incommodaturũ, non præſidium meditato, quod Vechta etiam atq; Weidenbruko ſe deportaturũ promiſerit, ſi Wahrendorpium Cæſaris milite Septemvir liberaret, ad cujus preces trium hebdomadũ ſpatio ejꝰ obſidione abſtinuerit; quamvis minorem ab illo induciarũ conſtantiam colligere potuerat, ſi ſuſpicionibus indulgere voluiſſet, ipſis epiſtolis innixis, quibus Lambojo à milite Paderbornenſi pecuniam ſubmiſſam, & Satrapam Weſtphalum [familiæ nobilis id nomen eſt] Cæſari ſuam in iſtam rem fidem firmaſſe, probari queat. 1647.

LVI. Hiſce novorum motuum curis agitatis Proteſtantibus alia ex pace inter Hiſpanos Galloſq; Batavorum opera propediem, ut putabatur, ſancienda acceſſit, ne concordia inter iſtos ſtabilita difficiliorem cum Pontificiis conventionem redderet, metuentibus. Ut tamen non ullo magis negotio permixta ſpei timoriſque argumenta unquam fere extitiſſe notatum eſt, ita immi-

nuti

1647. nuti hiſce nuntiis Evangelicorũ animi lætioribꝰ reficiebantur, Bojoaro induciarum eorumq;, quæ Sveci ac Proteſtantes cum Trautmansdorffio de Procerum inter ſe litibus pepigerant, ſpondente conſtantiam, & Colonienſi Electore armiſtitium ſe redintegraturum oſtentante. Hic etiam majoris fere gaudii materiem ex eo præbebat, qvod Evangelicorum votis ſe non omnino adverſaturum innuebat, modo de poſtulatorum pignorum auſteritate (ipſis Regibus, quanquam ſecretis vocibus, improbata) Catta decederet. Et concordiæ etiam pronior inde exiſtimabatur, quod ademta Franciſco Gvilielmo Oſnabrugenſi (cui inferioris Saxoniæ atq; Weſtphaliæ Pſeudo-Apoſtoli cognomen Evangelici impoſuerant;) uſurpata ſuffragandi nomine Archiepiſcopi libertate, Reckium (von der Recke) Collegii Paderbornenſis Præpoſitum, & Joan. Buſchmannum adjunxerat, licentiam Epiſcopi mandatis aliorum (quanquam & horum pleriſq; ab iis, qui dederant, revocatis aut ſuſpenſis) in ſuam rem abutentis moderaturos.

Spes Evangelicorũ ex Bavaro & Colonienſi.

LVII. At Bavari, quantumcunq; induciarum fidem & in Evangelicos ſtudium cum ambitione jactitantis conſilia pleriſq; ſuſpectabantur, quem recentem ſacri in Proteſtantes belli auctorem, militem Catholicis, modo ſuas quoq; opes conferrent, in Senatu Monaſterienſi obtuliſſe, compertum fuerat, à Leuxelringio maxime Auguſtani Epi-

Eorundem ſuſpicio in Bavarum.

Leuxelringii Au-

Epiſcopi Urbisq; Legato, dolore mutandi Civitatis Status incenſo, & Oſnabrugenſi fere acriori adjutum, qui Epiſcopi Urbisq;, quantum ſupereſſent vires pollicitus, bellum tributis, jam hoſti exſolvendis, alendum, Gallum, factumq; Gallici Regni Ordinem & cum Pontifice ceteros etiam Italiæ Principes in partes advocandos, Gallos Hiſpanosq;, ut pacem muturarent, inſtigandos, contumaces lentosq; inter Catholicos Germaniæ Proceres reſtituendis ſumtibus, quibus negligentia ſua alios onerent, adſtringendos, deligendos Senatores, qui diſciplinæ militari, ingenti bellantium damno collapſæ, medeantur, aliaq;, tanquam bellum cum Proteſtantibus jam Senatus juſſiſſet, cenſuerat, non tamen omnium (in *Auſtriacos, Oſnabrugenſes, Dubios & Pacificos* diſtingvebantur) æq; conſenſu auditus; acriter quidem à Reigersbergio plerisq; increpitis, quod rerum tempora queſtibus conſumerent nihil profuturis, &, ubi præſenti ſubſidio opus ſit, excuſationum commentis conſilia meliorum infringerent.

1647. ... guſtani pro bello conſilia.

Catholici in quatuor factiones diviſi.

LIIX. Quieſcebat interim, velut indicto juſtitio, pacis negotium, poſtquam Proteſtantes cum Svecis Monaſterio Oſnabrugam redierant; cum Volmaro potius promto ſinceroq;, &, quod præcipue ſpectabant, rerum cum Trautmansdorffio actarum conſcio, quam Lambergio Craniove earum ignaris, & minus promtis obſtinatisque, agere expetentes. Neque repugnabant hi, quo mi-

Volmari Tractatio à Proteſtantibus expetita.

1647. minus, ſi id è pace videretur, Volmarus Oſnabrugam adveniret, ipſe quoque, augendæ Proteſtantium in ſe benevolentiæ, ingentem rei quàm maturrimè conficiundæ ardorem oſtentans. Jamque venturus credebatur, ſi non Pontificiorum, quorum placita & de tabulis pacis ſententiam aſpectabat, cunctatio & Reigersbergii præſertim artes obſtitiſſent. Is in eam curam intentus, quà commodiſſima ratione paci Germanicæ intercederet, donec Gallo cum Hiſpanis conveniſſet, omnes tardandi negotii occaſiones arripiebat præbebatve, fidum avertendæ concordiæ ſocium Oſnabrugenſem nactus, tanto horum in Hiſpanos affectu, ut publica gratiarum ſolemnia *pro Cauſa Catholico-Hiſpanica*, conſiliis ſuis adjuta ab illorum Legatis meruerint.

Reigersbergius Hiſpanizans.

LIX. Qvin & Cæſareani, quantumvis diverſum ſimulantes, eadem, at occultis magis conatibus, agitare plurimis credebantur, ſangvinis propinquitatem, atque Cæſaris filium certum fere Hiſpaniæ Regi, generationi, ut putabatur, inidoneo ſucceſſorem æſtimantibus; magna Bojoari, licet induciis poſitis arma Imperatori rurſum ſociaſſet, multis potentiorum Catholicorũ ſuffragiis ſtipati, Saxoniæq; Electoris indignatione, pacem cum Regibus, ni Cæſareani procurarent, ſuis auſpiciis ſeſe inituros illisq; bellum ceſſuros minitantium, quibus armorum miſeriæ quietem perſvadere non poſſint; Atq; inter hos Oſnabru-

Cæſareorum in protrahendo pacis negotio conatus.

Saxoni, Bavaro, aliisque Catholicorũ improbati,

gen-

genſis reparata mandatorum quondam ſuffragiorum copia, Adamus Adami Corbejenſis Collegii Prior, & Leuxelringius triginta *votis* alienis propriisque nominibus ferendis in Senatu prævalidi, tanta vecordia agebant, ut irarum ſpeique pleni Svecos intra menſem Auſtriacis provinciis, ac proximo anno tota Germania ſeſe exacturos, & tum demum de ſacris Bonis Proteſtantibus cedendis inſpecturos decreturosqve, inani ſtrepitu fremerent. 1647.

LX. Adiere Cæſareos Saxoniæ Septemviri Ducumq; Legati, cauſas moræ, prolatiqve hactenus Volmari adventus exqvirentes, utq; malo remediũ indicarent, precantes; atq; ii, qvamvis Volmarũ tanto ambitu qvæſitum ſibi præhaberi ægrè ferre non omnino diſſimularent, datis tamen mitibus reſponſis, omnem invidiam in iſtos minorũ, ut vocabant, gentium Deos derivabant, qui Philoſophiæ ſuæ atq; Syllogiſmorũ, ex Thoma Aquinate, Scoto, Sorbonæq; Doctoribus confectorũ, retinentes nullam ſtatus rationem admittant; horum veſaniam ipſi irridentes, exercitum Svecicum tam facili brevique labore fugandum ſperantium, quem ſi ex leporibus conſcriptus eſſet, vix canibus tam anguſto, ac definiverint, temporis ſpatio Germaniâ expulſuri forent. Ita morbũ oſtendentes fatentesque in medicina hærebant: quanquàm enim Colonienſem, Trevirum, Bojoarum, Auſtrium, Burgundũ, Saliſburgium, Bam-

27 Sept. Saxonicorũ ad celebrandam pacem officia apud Cæſareos impenſa; horumq; reſponſum.

1647. bergium ac Herbipolenſem, (hos inter *Pacificos* digniſſimos Cæſareani nominaverant,) Monaſterio accerſi Saxones rogarent, reliquos minores, ne pace tota exciderent, in conſenſum tracturos, ipſum Cæſarem memorando, pacem, cujus deſiderio ampliſſimis Provinciis deceſſerit, in unius alteriusve Cœnobii gratiam ſe omiſſurum negantem, quemq; Elector Saxo imitans ſibi qvoq; incommodum ſtatuat, Religionem, Electorale decus, terrasq; ſuas pertinaciæ inferiorum Civium conſecrare, quibus nulla ſucceſſoris curâ, ex uno Monaſterio in aliud, aut è Germania in Italiã aliove tranſire liceat; Nihil tamen pro cauſa, ſed conſulendos prius Collegas, Cæſarei reſpondere. Iisq; Sveci Catholicorũ moras, ut rumpendo pacis negotio proviſas, imputabant. Gallis exadverſo Monaſterienſes Evangelicos hortantibus, ne Pontificios pacemve nimia feſtinatione urgerent, exiguo eorum applauſu, qui, prima Gallorũ cum poſterioribus comparantes, multum à promiſſorum magnificentia eos deflexiſſe judicabant. Accedebat in eosdẽ ſuſpicio, quod revocato ſuo exercitu, ne pecuniam quidem Svecis ex fœdere debitam adhuc dum exſoluerant. Quin & integra cum Bojoaro Svecorum hoſte amicitia, Lavingã, ſolam ex locis transfretando Danubio neceſſariis, ſociis reliquam Maximiliano reddidiſſe, quanquã falſo, ferebantur. Hinc tardioris tractationis longiorisq; belli metus, quod niſi ante proximum

mum Decembris menſem componeretur, ſe validius reſumturas, partes profitebantur, in extremã Imperii diſſolutionem exiturum; ea inde Batavorum ſpe, ut Epiſcopatum Monaſterienſem, aliasq; Weſtphaliæ regiones non inidoneas ſibi futuras, occupantibus ſcilicet, ac ſi nullius forent, ceſſuras, vulgare non erubeſcerent. 1647.

LXI. Interea Galli, editis à ſe Pacis tabulis, novæ quoque liti, quanquam, ut plerisq; cenſebantur, inſontes, materiẽ dedere. Ut Auſtriaci Landgraviorum Alſatiæ nomine poſthac abſtinerent, flagitabant, abnuentibus id Auſtriacis, non absq; multorum irriſu, Domum terrarum liberalem tituli tam tenacem traducentium.

Satisf. Gallica. Galli, ut Auſtriaci Landgraviorum Alſatiæ titulo abſtineant, petunt, ut & Ducem Civitates ad Præfecturã Hagenavienſem ſpectantes.

LXII. Difficilior de Imperii Urbibus quæſtio fuit, Præfecturæ Hagenavienſi, in Gallos quoque ceſſæ, certo modo obnoxiis, horum obſequium induere acerrimè recuſantibus. Atque illæ, exhibito Proceribus tàm Monaſterii quàm Oſnabrugæ coactis (*a*) libello, injuriis atque incurſionibus Weſtraſiorum atque Lotharingorum, ad mutuæ defenſionis ſocietatem tribus ab hinc ſeculis adactas, è vicinis Principibus, Cæſaris ſponte, ſeſe ſumſiſſe memorabant, qui junctas fœdere urbes validius tueretur. Eam provinciã primò Luzenburgiis, inde Palatinis obveniſſe, ne ob-

 la-

(a) *Memorial* an die R. Stände. *Incipit.* Gleichwie Gegenwärtige. *Aliud apud Lund. Tom. VI. Lib. III. c. 133.*

1647. latum aſſerendæ libertati munus in contrarium verterent, ſacramento, quoties adſciſcerentur,
Anno 1542. obſtrictis. Ipſos Auſtriacæ Domus Principes, turbidis Reip. temporibus, tractâ in ſe Præfecturâ, Palatinis augmento vectigalium Rheni pacatis, nova ſæpe molitos, fruſtra ſemper fuiſſe, acriorem Urbium libertatem expertos, qvàm dominationi conduceret. Certè Leopoldum Archi-Ducem non ſuo Auſtriacæve Domûs Jure, ſed Cæſaris Imperiique auſpiciis, Præfecturam tenere, publicè profeſſum eſſe; quo vitâ defuncto, neque dato acceptove ſucceſſore, & nullo per præſentes belli calamitates ab Auſtriacis Principibus præſidio, liberas ſibi quantum ad iſtos jam ædes eſſe. Præterea, quicquid ejus foret, Protectionem, non niſi à Germaniæ iſthucusq; Principibus geſtam, invitis ſe in peregrinum Principem non transferendam; Sacramenti tam Imperio quam Gallo peregrino dicendi incommoditatem; plurima Archiducibus ut vicinis Cæſarumque Domus Principibus ex indulgentia permiſſa à Gallo tanquam ſuo Jure uſurpanda; tributa Imperio pendi ſolita aliqvot florenorum millium, in exterû ceſſura, aliaq; non Reip. minus quam ſibi gravia cauſantes, ut Præfecturæ Hagenavienſi exemtæ integræ libertati reſtituerentur, à Maximili-
A. 1504 & 1558. ano atq; Ferdinando Auguſtis qvondam obtentæ
Seſſ. 46 orabant, ſi aliqua parte externo libanda daretur,
9. Aug. totâ perituram monſtrando. Et juvabantur cun-

cto-

ctorum fere Proceru̅ ſuffragiis, (b) qui relatione in Senatu de Lotharingo paci innectendo, de *Vaſallis* Metis, Tulli atq; Viroduni Epiſcopatuum (nam & hos Imperii libertate hactenus uſos tanquam appendicem ceſſarum ditionum ſibi Galli vindicabant,) & iis, quas diximus, Urbibꝰ, facta, de Lotharingo, ut Nomenii Marchione Civeque Imperii eadem ut quondam, neq; Vaſallos iſtos, quorum numero Luzelburgii, Lotharingiæ & Bipontini Principes, tum Naſſavii, Hanoviique Comites, aliiq; magnæ dignationis Proceres continebantur, libertate privandos cenſentes, etiam Urbium curam habendam decrevere, in quas nullâ Præfecturæ Imperii nomine (Reichs-Land-Vogtey) poteſtatem ſibi arrogare queat Gallus, non Civis, ſed peregrini ſuique Juris Principis titulo, Alſatiam habiturus.

LXIII. Revertor ad Palatinos. His Cæſareani conditiones propoſuerant, ut proximus poſt Bohemiæ Regem inter Electores locus cum ſuperiori Palatinatu Bojoarum, Palatinum ultimus cum inferiori, iſtis tamen legibus, maneret, ne dona, à Cæſare aut Bojoaro in alios collata, aut Monaſteriis Herd & Euſſersthal in Præfectura Germersheime̅ſi ſitis, ceterisve Catholicis exercitæ hactenꝰ Religionis Jura infringerentur, & Via Montana (die Bergſtraß) ad Archiepiſcopatu̅ Moguntinu̅ rediret. Palatini contra expetitu̅ Bojoaro locu̅, dum

1647. Procerum pro eis, ut & Lotharingo, ratione Marchionatus Nommeniaci, & Imp. Vaſallis in Epiſcopatibus Metenſi, Tullenſi, & Virodunenſi ſententia. 6. & 7. Sept. Cauſa Palatina. Conditiones Palatinis à Cæſareis oblatæ Palatinorum declaratio 15 Feb. 14. Jan.

(b) *Apud Lundorp, c. 173.*

1647. viveret, at eo defuncto, filiis poſterisq; ejus poſtremum adſignabant, inferiorem Palatinatum nullis donationibus Viâve montana imminutum, & ſuperiorem qvoq;, præter Chamenſe dominiũ Maximiliano manſurum, repetentes; Gallorum qvanqvam in Bojoarum proniorum promiſſis confiſi, ex quibus Servientius Domum tam bene de Gallia meritam cordi Regi fore magnificis verbis jactaverat.

4. Mart. Svecorum pro Palatinis ſtudia.

LXIV. Reſponſum à Cæſareis ad priorem formam; acriter obnitente Oxenſtiernio, qui conſilia Bavari, tam amicis quam hoſtibꝰ infenſa, doloſq;, qvibus utroſq; circumvenerit, Itum recentia ex Aula mandata, & Dani atq; Batavorum in Palatinum ſtudia commemorans, reſtitutioni *in integrum* ſe inhæſurum aſſeverabat, parte forſan ex Palatinatu ſuperiori in Bavarum transferenda, & Auſtriacis, ni iſte adqvieſcat, Svecicis opibus pignoris obligatione liberandis. Qvod à Cæſareanis Bavaricis nunciatum tanta hos irâ accendit, ut, priusquam iſta admitterent, ejurato Imperii obſequio, & tractis ſecum Franconiæ, Sveviæ atque Weſtphaliæ regionibus, Gallorum fidei atq; protectioni ſe permiſſuros, non obſcuris ſermonibus jacerent.

Käyſerl. Commiſſions Decret, in

LXV. Seqvutum paulò poſt Cæſaris ad Ordines decretum, qvo de crimine Friderici Palatini, &, quam is omnium fermè conſenſione meruerat, proſcriptione, translatoque in Maximilianum Bojoarum cum Electorali decore Palatinatu, præfa-

fatus ſolennia, eò rem rediiſſe non diſſimulabat, ut ad Reipublicæ ſalutem interſit, non ſine cura remedioq; haberi cauſam inter Bojoarum atque Carolum Ludovicum Friderici Filium controverſam, tantisque utrinq; ſuffragiis, favore, patrocinioqve ſubnixam. Ne hunc equidem ita ſeſe adhuc usq; præbuiſſe, unde Cæſaris gratiam comparare liceret; quo in ſummum Principem patriamqve animo eſſet, hoſtili nempè, neqve à paterna indole atq; pravitate diverſo, non uno documento teſtatum. Et tamen, ſi ad officium obſeqviumque reverti poſſet, non defuturam Cæſaris Clementiam, ita utrique partium conſulturi, ut ſalvo Bojoaro hujusq; Familiæ dignitate Electorali, cum ſuperiori Palatinatu Carolus Ludovicus inferiorem reciperet, ipſe qvoque inter Electores locum, aſt poſt cæteros omnes, occupaturus. Gnarum tamen Cæſarem (1.) ſecumq;

1647.

Cauſa Palatina.

Hh 4 ex-

(1.) Als haben Sie beneben/um willen Sie wohl vorgeſehen/ daß ohne Einwilligung dero Chur-Fürſten und Ständen wider die Güldene *Bull*, kein mehrer und ferner *Electoratus* und Chur-*dignitet* eingeführet werden ſolte/ Chur-Fürſten und Stände gnädigſt erſuchen wollen/ ſintemalen Sie ſelbſten und ihres theils/ hierinn kein bedenckens machen/ ſondern vielmehr darfür halten / daß dieſes ein ſicheres Mittel/ zu *Stabili*rung der innerl. Ruhe im Reich ſeye / und dardurch dem Pfaltzgr. eine Hohe Käyſerl. Gnade beſchehe. Es wollten auch Chur-Fürſten und Ständte Ihnen ſolches Mittel des *Octavi Electoratus* gefallen / und um des lieben Friedens willen / Ihre Einwilligung gehorſambſt ertheilen/ und deswegen / den ſo hoch-verlangten Frieden- und Ruhe-Stand im Römiſ. Reich nicht ſtecken laſſen.

1647. expendentem, abſq; conſenſu Electorum cæterorumque Ordinum novum aliumque Electoratum adverſus Auream Bullam conſtituere nefas fore, rogatos hos velle; ipſi quoqve rei, ad reparandam pacem adeò neceſſariæ, commodarent aſſenſſum, neque nimiâ legis reverentiâ Patriæ jam ſatis afflictæ incolumitatem morarentur.

Præſertim de novo Electoratu inſtituendo.

Deliberatio Principum Seſſ. 34. 6. Mart.

LXVI. Facta inde relatione in Principum Curia ab Auſtriaco Senatus Præſide, Cæſaris pro reconcilianda pace ſolicitudinem commendante, ſuſpenſos aliquantum tenuit rei novitas, inſolentia, atque magnitudo Senatorum animus, iſthinc ſeptenarii numeri, non civilibus ſolum ſed & myſticis ex rationibus præſtituti. & ad id uſq; tempus continuo tenore retenti ſanctitatem; hinc ſalutis Imperii hoc tantum modo expediundæ ſupremam legem; pluribus in rebus & levioribus ex cauſis Aureæ Bullæ obrogatum; ipſam Imperii, Carolinæ olim familiæ hæreditatis, formam ſæpius immutatam; neque ſervandarum legum cauſa Rempublicam, cui ſtabiliendæ repertæ ſint, exitio permittendam, differentium. Et plerique, etiam Oſnabrugæ, dandum neceſſitati publicæq; quieti novum Electoratum, adſentiebant; A. B. Cæſaris, Electorum Principum, cæterorumque Imp. *Statuum*, auſpiciis, ſuffragio, atque adſenſu perlatam, ferente ita atqve urgente neceſſitate, ſervandæ Reip. atque averruncando ejus exitio, mutari ab iisdem fas eſſe, neminem ſanè iturum

rum inficias. Ipſum Carolum, Bullæ conditorem legem, Ordinum conſilio atque voluntate ſancitam, ipſis his auctoribus ſvaſoribusq;, ſi nunc negotio, quo de agatur præſentes adeſſent, Electoribus, qvi hucusque fuerant, octavum addituros fuiſſe. Neque dubium eſſe, quæ communi Imperatoris omniumq; ordinum juſſu adprobatuqve conſtituta, horum arbitrio eâdem ratione, quâ latâ, poſſe antiquari. Ita tamen (z) rem temperandam, ne perpetuus is numerus eſſet, ad octonarium, quam primum queat, rediturus; neve ad exemplum trahere liceret, rem ſoli neceſſitati pacique reparandæ deſtinatam. Atq; hunc in modum de ipſo Electoratu admittendo Proceres; contentionem de digniori loco reliqvisque conditionibus, declinandæ invidiæ, belligerantium tractatui, ita tamen, remittentes, ne quicquã ultra de negotio iſto Cæſar, Regesve, Ordinibus non rogatis inſciisve aut invitis decernerent. Fortiꝰ Electorales & ad Cæſareanorũ ſenſum propius Monaſterii pro Bojoaro pronunciavere; ſolis Brandeburgiis priſtinam Palatinæ Domus prærogativam, & ereptas Friderico non ſatis legitimè terras inſontibus liberis integras reddendas (fruſtra quidem nulloqve operæ precio) aſſeverantibus.

1647. Hildesheim. Darmſtadt. Iſenac. Altenburg. Lüneburg. Cell. Grubenhagen. Concluſum Electorũ.

(z) Daß dieſes *Extraordinarium in conſeqventiam* durchaus nicht gezogen / noch dieſer *numerus perpetuirt* werde.

1647. LXVII. In eandem (quod ad ipſum Electoratum ſpectat) ſententiam etiam Urbes cenſuere; Optandum qvidem, eam rei Germanicæ eſſe conditionem, qva Electorum nnmero A. B. definito alium addi non expoſceret ipſa ſalutis tranquillitatisque publicæ procurandæ neceſſitas; aliamq; ſupereſſe rationem, qua res tanti ad Remp. momenti ſortiri exitum poſſet, quò nempè magis prævertì liceret moleſtias (3) aliquando inde orituras; evulgato arcano, poſſe Electorem ſupra numerum fieri. At verò eô nunc rerum Statu, quo ipſa ſervandæ Reip. neceſſitudo, omni lege validior, non aliud admittat eluctandæ difficultati remedium; ſibi quoqve videri *ex cauſis tam arduis, urgentibus, & momentoſis*, non malè actum iri, *ſi diſſidii componendi & pacis tàm diu exulantis poſtlimiò quaſi reducendæ gratiâ* Electorum numerus Ordinum aſſenſu augeretur, ne tamen (4) inde aliis in caſibus aliquando præjudicium fieret.

Urbiū.

Re- & Correlat. 18. Mart. Seſſ. 36. LXVIII. Ita poſt communicata invicem Electorum Placita, Conſulta Procerum, atque Urbium Scita, ex concordi omnium Curiarum ſententia reſponſum Cæſari; Moleſtum equidem pleriſque

(3) Zumahl auch dardurch alle aus dergleichen *mutationibus* beſahrende *inconvenientien*/ abgewendet werden könten. (4) Da beneben aber auch/ daß dieſer derenſelben *Conſens* zu keiner *Conſequenz* in andern Fällen künfftiger Zeit gezogen werde/ mit allem Fleiß verhütet.

que eveniſſe, mutari numerum Electorum, ſanctiſſima A. Bullæ &, qua ipſa Reip. Germanicæ ſalus nitatur, lege præſcriptum. Aſt verò pro temporum calamitate cum non alia patriæ ſervandæ ſuppetat ratio, neqve fas ſit, cuicunq; ſanctioni non potiorem haberi Reip. ſalutem, legem omnibus legibus antiquiorem; neqve etiam ambigere liceat, penes Cæſarem ordinesque eſſe, qvæ quondam conſtituta, aliâ lege, poſcente præſertim ipſa Reip. incolumitate, mutare, neque id nunc agatur, (5) ut perpetua atque immutabilis iſta numeri Electorum auctio, ſed, quando ita fata olim darent, extincto Octavo Electoratu prior, neqve major ſeptenario numerus eſſet, Ordinibus qvoque omnium Curiarum placere; ſalva BojoaroElectorali dignitate etiam Palatino repetendi reſumendique amiſſi honoris gratiam fieri. Additum (6) ex Evangelicorum, qui Oſnabrugæ commorabantur, (hos intererant etiam Jac. Lam-

1647. Reichs-Gutachten 39. ejusd.

(5) So dann dieſe *auctio numeri* nicht *perpetua & immutabilis*; Sondern auf zutragenden Fall der *Octavus extingvirt*, und der *numerus eligentium* wider *ad Septenarium & eundem ordinem*, wie ſelbiger anitzo von der güldenen *Bull* verordnet / *reduci*ret werden ſollte. (6) So iſt demnach der mehrer Theil der Augſp. *Conf.* verwandten Ständte zu Oßnabr. der Meynung: daß zwar der *Octavus Electoratus in abſtracto* um des lieben Friedens willen einzuführen; Gleichwohl dieſe aus dringender Noth vorgenommene Veränderung der güldenen *Bull* / über kurtz oder lang / in einige *Conſeqvenz* nicht gezogen werden ſolte.

1647. Lampadius atq; Jo. Langerbeckius Lüneburgii,) ſententiâ, ne condonatus Reip. neceſſitudini Octavus Electoratus quandocunqve in Exemplum verteretur. Ita nimirum coërceri poſſe putabant Evangelici (futurorum aut anxii aut præſagi,) ambitionem, ſi quem aliquando Procerum cupiditas inceſſeret, eosdem prenſandi invadendique honores; ambitum noni Electoratûs Octavi documento, quamvis diſſimilimo in caſu, ingenti ſcilicet Ordinum omnium diſcidio, turbamento publicarum conſultationum, ipſiusque Reip. diſcrimine tuiturum; cujus reliquias diutino bello afflictas, uti, qvantum poſſent, ſalvas incolumesque præſtarent, Cæſar, Electores, Principes, Urbes, Evangelici atqve Catholici, ſuprema patriæ ab exitio vindicandæ neceſſitate adacti, qvamvis cætera maximè diſcordantes, egregia animorum conſenſione ſtatuerant. Cavendum nempè exiſtimabant, ne quis Principum, priſtinam fortean fortunam quantumvis magnam dedignatꝰ, efflagitatione intempeſtivâ quidem & improviſâ conſurgeret, atque opibus, potentia atque gratia fretus, paratis jam ad vota amicorum ſuffragiis, urgeret cæterorum modeſtiam, cum invidia Senatus atque Procerum, ſive indulſerint ambitioni, ſive abnuerint. Exstituros enim, qui ſolo Cæſaris nutu atq; Electorum quorundam ſuffragio, cæteris omnibus omnium Ordinum Senatoribus adverſantibus, & ſententiam

ne

ne rogatis quidem, creari poſſe extra numerum atque ordinem novum Electorem, nemo ſperaverat. 1647.

LXIX. Suam qvoque ſententiam, quanquam non rogati, Eqveſtris Imperii ordinis Legati Jo. Giphenius & Wolfgangus Gemmingio pro octavo Electoratu, eo obtentu dixere, quod Aurea Bulla etiam Nobilium conſenſu de Principe, ſibi quippe non minus ac ceteris Proceribus imperaturo, eligendo ſancita, ipſorum diſſenſu, aut incommodo mutari non debeat. Etiam cavebant, ne mori uſuique antiquo, Ordinisque Equeſtris conditioni Juribusq;, quidquam officeret res eo modo patrata. Ita ſcilicet ad ſe quoque pertinere exiſtimabant liberioris per Germaniam conditionis Nobiles ſententiæ de negotio dicendæ facultatem, de quo pro re atque diſciplina nuper admodum nata nunc ne Principibus quidem ſuffragii jus atque latio eſt. Et confecta ferme pro Bojoaro res erat, ni Sveci reſtitiſſent; arcano Cæſareorum metu, ne exutum patrimonio Palatinum ipſi Auſtriâ ſuperiori Bauaro cedenda luere tandem cogerentur; & Evangelicis quoque, Maximilianum, gratiam in litibus ipſorum cum Pontificiis pacandis redditurum, ſibi conciliaturis, omnes moras difficultatesque cum anxietate accipientibus.

Eqveſtris Imp. Ordinis. 10. Apr.

Contra Svecorum.

LXX. Inviſere Svecos delecti in eam rem Moguntiacus, Saxo Electoralis, Herbipolenſis, Alten- 20 Mart. Deputatio

1647. tenburgius,Hildesheimius,Collenſis,Wetteravius,Argentinas & Ratisbonenſis, qui cõmuni Procerũ nomine longiores moras deprecantes, negotium, qvantum poſſet, celerrime abſolvendum commendabant; prolixa Svecorum humanitate auditi. Addidit animos vulgatꝰ de Aula Holmienſi ſermo, plura Palatino, quam Ordinibus Germaniæ viſum fuerit, reddi non urſurâ, neque armis pertinacius defenſurâ cauſam, ab Angliæ Daniæque Regibus & Brandeburgio Electore, Batavisque non niſi verbis adhucusq; ſuſtentatam. Neque vanum rumorem fuiſſe, non multo poſt conſtitit, cum Sveci Gallorum pro Bojoaro ſtudium, & inexplicabile, ni de priſtino rigore remitterent, negotium cernentes, Evangelicorum ſententiam requirerent; qui, quanquam omnem Palatinis felicitatem & antiquo ſplendori parem comprecari ſe dicerent, eo tamen rem deveniſſe monſtrabant, ut absque patriæ interitu eorum in integrum reſtituendorum conſilia obſtinari non poſſint. Curarent igitur pro ſua auctoritate Sveci, ut, ſi ſuperiorem Palatinatum dimittere Bojoarus omnino recuſet, nummorum ſaltem ſubſidio, at nullo cum Imperii, ſolo eorum, qvorum referat, impendio, Principes longo exilio egeni levarentur; Carolo Ludovico inferior Palatinatus nullis donationibus delibatus, integrisque pignoribus (Stradam Montanam deſignabant,) & ſi omnino neceſſitati obtemperare oporteat, poſtre-

omniũ Imp. Curiarum ad Svecos in hac cauſa, Benigne accepta.

Sveci Evangelicorũ ſententiam rogant.

26 Mart. Proteſtantiũ reſponſum.

ſtremus inter Septemviros locus tribueretur. Addita pro Religione Auguſtana cautela, in utroque Palatinatu libertati ſuæ linquenda. Repoſitum à Salvio; Hanc fere unicam difficultatem eſſe, pacis progreſſus ad exitum feſtinantes morantem, Cæſare Galloque Bojoari partes tanto ardore conſenſuque propugnantibus, ut exigua ſpes ſuperſit, quæ integram Carolo dignitatem provinciamve promittere qveat. Fruſtra cunctationem Brandeburgios ſvadere, nulla pro Palatino utilitate, & remedia tantum, non mala dilaturam. Nihil à Svecis hucusque omiſſum eſſe, quo minus innocentem Principem Majorum in ſtatu reponerent. Neqve calamitates ſibi ignotas eſſe, aſſerendæ afflictæ Domui diuturnas hucusq; atque extremas à Proteſtantibus toleratas. 1647. Svecis approbatum.

LXVII. At Palatini Legati, inter qvos Streiffius morti proximus, & Meiſterlinus ex podagra lecto affixus, (multis fortuita iſta adverſis Domino fatis imputantibus,) omnem in Camerarium Collegam curam transmiſerant, repetitis innocentiæ argumentis, & Mulhuſiani Conventus Actis, ubi ipſius poſtea Moguntini, atque Metternichii Imperatoris Legati confeſſione, non niſi in Friderici proſcriptionem, in liberos non protendendam; Saxo atque Brandenburgius conſenſerint, de Electoralibus tanta facilitate in aliorum lamina ſuffragantibus conqueſti, Juris, imbecilla nimium etiam quando ſuppetunt, adverſus Palatinorum repugnantia. 2. Apr. 28 Mart. 1628.

ar-

1647. armatos præſertim, auxilia implorabant, concordiæ tamen, modo commodis rationibus ineundæ, conſilia nunquam ſpreturi, cujus ſtudium majus ſemper præ iis oſtenderint, qui ne pagum, imo ne unicum quidem agreſtem, paci ſe donaturos profeſſi ſint. At neglectis his, & prævalido fere omnium in Bojoarum favore, honoratior huic locus cum ſuperiori Palatinatu remanſit, legibus (*b*) ex ipſis pacis tabulis prolixius diſcendis.

Irrita, cauſâ ad Bavari votū deciſâ.

Armiſtitium Gallo-Sveco-Bavaricum.

LXIIX. Ita obtentis, quæ cupiverat, alacrior Bavarus, ruptis cum Svecis induciis, ſive tempori tantum proviſis, ſive publicæ rei intereſſe putaret, bellum reſumſit. Quibus verò initiis induciæ iſtæ cœperint, quo deſierint fine, longius hic repetemus.

LXIX. Svaſerant Pacis, qui Monaſterii degebant, (*c*) Pararii, inter partes concordiæ reſarciendæ intentas arma quieſcere, promovendæ tractationi, ex belli eventibus facile turbandæ, & adſveſcendis ad mitiora animis, poſitis hoſtilibus, in veræ amicitiæ integritatem facilius coalituris. Approbavere Galli maximè atque Bojoarus haud inidoneum reducendæ paci, ſiſtendisque interim bellorum malis, conſilium. Obniſi quidem primò fuerant Sveci, qui imminuendo Gallorum in Maximilianum affectui, exercitam ab illo in Catholicos æque ac Evangelicos avaritiam, neque aliis

(*b*) *Inſtr. Pac. Svec. Art. IV.* (*c*) *Lundorp. Tom. VI. lib. III. c. 102.*

aliis quam ſuis commodis intentum, Gallos, imagine amicitiæ ſæpius deceptos, ad Dutlingam & Marienthalam ingenti affectos clade, aliaque fidei non ſatis integræ argumenta referentes, nullam Regibus à callido Principe ſibiq; ſoli providente utilitatem indicabant, miſſo etiam Lutetiam La-Gardio fraudes ejus enarrantes, (c) quod *à multo tempore neutralitatis ſpem fecerit, ac in eum finem per literas, nuncios, ac tractatus ſpecioſa verbis, re inania, obtulerit, inde conſecutus, ut Rex Chriſtianiſſimus cum illo, utpote pacis amante & Catholico Principe, moderate agendum ſtatuerit; cum interea ipſe, rerum gerendarum occaſionem nactus, Gallicas copias iterato adortus, & in fœderatorum Regum perniciem nihil non molitus ſit, imo iſta æſtate ob dilatam conjunctionem armorū res Svecicas in ſummum diſcrimen præcipitarit. Quo factum, ut Monaſterii degentes adverſarum partium Plenipotentiarii animum protinus mutarint, retractare auſi, quæ antea ſponte obtulerant, ac omni periculo ſe defunctos arbitrati, cum viderent, metum à Turcis ceſſare, Auſtriam quodammodo liberatam, Suecorum in Haſſia exercitum ad anguſtæ redactum, dubias in Italia res, & unitas Provincias Belgii ſeorſum tractare. Nunc poſtquam divino auxilio arma denuo conjuncta, & præter hoſtium ſpem fortiter eluctata ſint, Reginam certo* 1647.

Legatio ob eam rem à Svecis Lutetiam miſſa.

Ii per-

(c) *Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c. 48.*

1647. *perſvaſum habere, Bavariæ Ducem ad priſtinas artes rediturum, apud Chriſtianiſſimum Regem per nuncios & literas ſollicitando, ut communium ſacrorum & Religionis intuitu ſtatus & ditionum ejus ratio habeatur, & Gallicus exercitus, Svecis jam conjunctus, cito gradum ſiſtat, aut revocetur. Quod ut fœderatorum rebus longe exitioſiſſimum, paciſque tractatui ſummo impedimento futurum eſſet, ita ipſam Chriſtianisſimum Regem inſtanter requirere, Turenio in mandatis dare velit, ut ſuſceptam expeditionem ſtrenue perſequatur, unitiſque viribus & animis ad finem perducat, ne Regum armis iterum deluſis, & de pace concepta ſpes evaneſcat. Nunquam Reginam in animum induxiſſe, Bavarum & Provincias ejus infeſtare armis, aut in Catholicæ Religionis præjudicium quidquam admittere; ſed fœderum pacta in his aliisq́; ſancte ſervare, imò dictum Principem eo loco habere, quo ipſe Rex Chriſtianisſimus velit. Verum cum Dux labantes hoſtium vires ac potentiam quovis modo omni ratione ſuſtentare conetur, & huc uſque contra unitos Reges auctoritate, ope, conſilio, extrema tentarit, Reginam exiſtimare, publicæ ſalutis & ſecuritatis intereſſe, ut illius molimina fortius retundantur.*

LXX. Prævaluit tamen Gallorum pro Bavaro ſtudium, cui cedere pars prudentiæ erat, miſſique à Svecis Caſpar Cornelius Mortaignius, Rober-

bertus Duglaſſius, & Georgius Schnolskius, juxta cum Gallis inducias tractare pangereque. 1647.
Et placuit Ulma, ubi de induciis tractandis belligerantes convenirent. Comparuere hinc Galli cum Svecis Cattisq;, inde Cæſarei atque Bavarici. Induciæ perfectæ. 14 Mart. Cæſareanorum erat, Armiſtitii conditiones proponere; quod cùm iſti, ſæpius quanquam rogati, abnuerent, atq; in eo res eſſet, ut irritâ infectâq; Galli Sveciq; abituri viderentur, Bavarici tandem id muneris ſubiere, ſpe addita, etiam Cæſarem ratas leges habiturum, modo æquas atque tolerabiles adverſarii admitterent. Verùm Cæſareani adverſabantur, regiones (Kreiſſe/) hoſpitiaq; permittere conſtanter recuſantes, quæ alendo ſuo militi iſti poſtulabant. Omiſſa igitur cum Cæſareis conveniundi ſpe, abitum rurſum parabant Galli ac Sveci, cùm Septemvir, à ſuis de ſtatu rerum edoctus, juberet, ſi Cæſarei nollent, ſolos, aut adſcitis, quibus conditiones obtinendæ quietis placerent, cum Gallis Svecisque inducias ſancire, Saxonis, ut dicebat, atque Brandenburgii exempla ſecuturus, qui, quanquam Cæſari fidi, bello tamen non impliciti, etiam Gallis Svecisque amicis uterentur. Et coiere tandem in iſtas maximè conditiones, ut, (a) tota Bavariæ atq; Palatinatûs regione armorum vi metuq; ſoluta, Elector neq; Cæſarem neq; alium quemcunq; Regum hoſtem commeatu, ho- Receſſ. 14. 4. Mart.

(a) *Lundorp. c. 106.*

1647. ſpitiis, ope conſiliove juvaret, Svecis quoque, firmandæ horum ſecuritati, Memmingam ac Uberlingam, &, modò Præfectus (der Commendant) annuat, Offenburgum, at iſto detrectante, belli Jure haberi permitteret, in gratiæ vicem Rainum, Donaverdam, Wembdingam atq; Mundelheimium recepturus. Et quoniam Electori dimittendæ exercitûs partis animus eſſet, liberum his fore, Regum, aut quorumcunq; aliorum velint, modò non Cæſaris, aut qui Cæſari faveant, caſtra ſequi; ejusq; rei proximos copiarum Gallicarum Svecicarumque Duces certiores reddendos à Septemviro, in militiam, quantum lubeat, adlecturos; magno Cæſareanorum queſtu, qui beneficiorum Cæſaris in Maximilianum magnitudinem, Electoralis decoris donum, aliaque memorantes, ingratitudinem, perfidiam, & tantum, non proditionem tam amico nuper Principi objectabant. Beneficia ſcilicet eo usq; læta eſſe, dum videntur exſolvi poſſe, ubi multum antevenere, pro gratia odium reddi. Proclivius eſſe, injuriæ quam benevolentiæ vicem rependere, gratiam quippe oneri, ultionem in quæſtu haberi. Intuta nimirum eſſe adverſa, &, quo ſe fortuna, eodem etiam favorem hominum inclinare, Bavarumque proſperis Ferdinandorum rebus certaturum ad obſequium, adverſam ejus fortunam pariter cum aliis detrectare.

Improbatæ Cæſari.

Ejus ad Ba-

LXXI. Neque diſſimulavit dolorem Imperator

tor, ſcriptis ad Maximilianum literis, quibus non expediundæ propriæ publicæve ſalutis, ſed celerandi exitii, eam rationem eſſe, arguens, turbando Pacis tractatui & Chriſtiani Orbis bono idoneam, iſto forſan, *Ordinis* videlicet *Beneficio*, ut poſtremus id Bavarus aditurus ſit, cunctas ſuas copias tutando Septemviro, etiam propriarum ditionum periculo, offerebat, modo conſilio utriſque noxio deſiſteret, neq; egregia ceteroquin in Cæſarum Domum Imperiumque merita, pervicaci defectione fœdaret. 1647. varum literæ. 19 Mart.

LXXII. Reſponſum (*f*) ab Electore, neceſſarium id ſibi unicumque avertendo excidio remedium, univerſas alioquin Gallorum Svecorumque vires experturo, quibus imparem Cæſaris ſuumq; militem eſſe, ipſe Gallaſſius requirenti ſibi reſcripſerit. Neque latere ſe incommoda, ſeparatas à Cæſare inducias ſecutura, ſed poſtquam conditiones ſæpius rogatus monitusq; hic reſpuerit, neceſſitate adactum, incolumitati ſuæ tam acerba medicina conſuluiſſe. Melius quidem Cæſari, ſi fida ipſius conſilia ſecutus iſtos ſprevisſet, qui, propriam tantum utilitatem ſpectantes, Cæſari malorum juſtitium inviderint. Neque aliorum, ſi quæ ex his induciis damna publicæ Catholicæque rei obveniant, quam eorum culpam futuram, qui omnes armiſtitii, pro univerſis, ſi acciperetur, valituri leges adſpernati,

Bavari reſponſum excuſatorium. 28. Mart.

Ii 3

(f) *Lundorp, c. 112.*

1647. ti, tantâ Gallos Svecosque irâ accenderint, ut protinus abituri, junctis copiis Bavariam ſe incurſaturos, ſibique ad exitium usque inſtituros interminati, juſto interitus & in conſtantiſſimum efficaci metu privatam conventionem expreſſerint. Qvod enim operæ pretium, certum & inevitabile excidium ſubire, nihil Reip. aut Cæſari profuturum? integris viribus, ſi res expoſtulet, validius adjuvandis. Neque æqvum eſſe, quod Cæſar exiſtimet, ultimorum potius periculum faciendum, ſeſeq; victimam pro Auſtriacæ Domus incolumitate cædendam, quam inducias admittendas fuiſſe, Theologorum, quos conſilio adhibuerit, ſententiæ, ipſiusq; naturæ, ſibi quemq; commendantis decretis adverſum; neque ſacramento, Cæſari Imperioque dicto ſe obligari, ut iſtius pertinaciam, omnes induciarum pactiones contemnentis, ipſe ipſique ſubjecti immeritis calamitatibus expiare cogantur. Ceterum præſtita à ſe Cæſarum Domui per viginti & octo annorum ſpatium officia, impenſasque cum ipſo ſangvine opes, melioris gratiæ ſpem miniſtraſſe, quam in præſenti, multis turbatæ pacis, neglectæ Reip. & perdendi ferè Chriſtiani Orbis opprobriis oneratus accipiat, ſolo Auſtriacæ Gentis odio atrociores hoſtes hactenus expertus, primusque fere ſemper *beneficio ordinis*, cui Regum vires incumberent. Neque in oblato à Cæſare milite quidquam ſubſidii fuiſ-

fuiſſe, quem hoſte crudeliorem ſæpe, at fruſtra, 1647.
conqueſtus ſit, abſentem tum, &, ſi veniſſet, commeatus inopia, ac, ſi hic ſuppeteret, hoſtiū multitudine debellandum; Adeo nullo in armis, ſolo ex induciis afflictis rebus ſubſidio.

LXXIII. Et Dominorum diſſenſio in rixas Miniſtrorum profecit, Auſtriaco publico Catholicorum Monaſterii Senatu induciarum crimen traducente; Bojoarus contra ignavum Cæſaris militem, imbellem in hoſtem, & in agreſtiū tantum injurias ſtrenuum, ac Gallaſſio, inſcio Electore in Bohemiam profecto, deſertam Bavariam, atq adverſariorum libidini expoſitam; Auſtrius rurſum, ſolutam à Mercii milite, tantum hoſpitibus metuendo, diſciplinam, binasq; intra duodecim dies Auſtriæ urbes illius flagitio incendio conſumtas, mutuis conviciis acerbè utrinq;, neuter falſo oggereret.

Rixa Auſtriacorum cum Bavaricis. 6. Apr.

LXXIV. Majorem non multo poſt turbarum ſermonumq; occaſionem Jo. Werthius ſuggeſſit, ex agreſti Baro, ex gregario milite Dux, bello non inceiebris, (caniturq; adhuc apud ruſticam gentem,) relicto Bojoaro, multisq; commilitonum in ſocietatem tractis, in Cæſaris caſtra transgreſſus, multa Svecorum in Bojoarum, ut ſemper in callidos proclivior eſt, ſuſpicione; qui, quanquam pluribꝰ publicisq; in Werthiū, ut perfidum, perjurum, deſertoremque contumeliis, quàm ægre defectionem iſtam ferret, teſtificaba-

Werthii Bavarici Ducis ad Cæſarem defectio. Suſpicio inde Svec in Bavarū.

1647. tur, ſinceri tamen animi fidem vix faciebat; prolixis Wrangelii, cui caſum tam moleſtum ſibi excuſaverat, querelis, Cæſaris exercitum tanta occaſione auctum, impeditam inde pacem, & novas belli moras, quanquam obſcurius, nec ſupra modeſtiam, Electori imputantis. Non certè inducias Svecis placituras fuiſſe, ſi Bojoarum militem tam diuturni temporis obſequio reverentiæ in ſe adſvetum, in officio continere non poſſe crediдiſſent. Et ut abditum Maximiliani ſenſum, ac ſi quid occultius pararet, propius exquireret, non aliud probandæ fidei & animi perfidiam Werthii abominantis argumentum fore, adjecit, quam ſi junctis ſecum copiis Cæſaris aut transfugarum ſaltem perſequendorum conſilium ſumat. Ea quanquam, miſſo unà Benedicto Hornio Barone Ordinum Ductore, præſenti ſermone adaucta, aſtutia tamen Electoris eluſa; rediiſſe ad officium milites (g) reſcribentis, inſontes inſciosque Werthii dolo ſeductos, quem cum Sporkio Creuzioque defectionis popularibus fuga juſtæ ſeveritati abſtulerit.

Et ad eum Wrangelii literæ. a. 12. Jul.

Atque Legatio.

Bavari reſponſum. 18. Jul.

LXXV. Scripſerat (h) quoque non multum ante ad Cæſarem Elector, imprudentiam ejus perſtringens, quod cauſarum retenti militis, & miſſæ nuper Lutetiam Legationis, nova Catholicis fœdera procuraturæ, non ignarus, optima & in rei

Et literæ ad Cæſarem. 6. Jul.

(g) *Lundorp. c. 122.* (h) *Lundorp. c. 119.*

rei Catholicæ reparationem exitura conſilia intempeſtiva ſolertiâ corrupiſſet. Werthium quippe ſervitio ſuo abſtractum, & inter militiæ Cæſareanæ Duces adſcitum, atque cædes, rapinas, ceteraque in hoſtes ſolita adverſus veterem Dominum exercentem, quid aliud, quàm hoſtilis inter Auſtriacam Bavaricamque Domos animi ſigna præferre? magnâ Proteſtantibus & reliquis Imperii inimicis lætitiæ materiâ, quibus nimia jam proſperitate florentibus nihil præſtare fortuna majus poſſit, quàm Auſtriorum Bavarorumque diſcordiam. Ita Catholicis metum, Proteſtantibus jam ſua ſponte elatis fiduciam addi, antiquorum votorum immodeſtiam audacioribus poſtulatis propulſuris, neque deſituris prius, quàm, Republica ad ſuas leges ordinatâ, Religionem tantopere exoſam expulerint. Iniquam nimium ſeſe ſortem experiri, cui hinc, ut compererit, non fortunarum tantum, ſed & libertatis capitisque periculum Cæſar intentet, illinc Galli Svecique, Werthii perfidiam in deterius trahentes, ruptasque interpretantes inducias, arma exitiumque minitentur. 1647.

LXXVI. Repoſuit (i) Cæſar, militem hunc jam patris Ferdinandi tempore pro Cæſaris Imperiique exercitu ab ipſo Bojoaro, iſtius ſponte copiis illis præfecto, habitum, Auſtriacarum & ceterarum Imperii Provinciarum ſumtibus ma- Cæſaris Reſponſum, 4. Jul.

 ximam

(i) *Lundorp. c. 120.*

1647. ximam partem ſuſtentatum, neque Saxonicas, Weſtphalicam, Rhenanam, Franconicam, Svevicam, Bavaricamque Regiones tranſitus, hoſpitationes, tributaque aliquot myriadum ſummam egreſſa, quibus Proceres ſumma cum Cæſaris invidia Bojoarus afflixerit, toleraturos fuiſſe, ni Cæſareani nominis veneratio patientiã tanta acerbitate oppreſſis perſvaſerat. Franconiæ præterea, Sveviæ atq; Bavariæ regiones ipſi ferè ſoli aſſignatas, multa millium florenorum millia in ipſi9 ſubſidium erogata, neq; militem modo ſed & corpus ſuum pro ſalute Septemviri objectum memorabat. Ipſe dolorem ſuum æſtimaret, ex induciarum pactione conceptum, quibus Imperii copias Imperatoris ſervitio abſtrahere, ſeparatas ab eo habere res, ne quis militum ſuorum ad hunc tranſiret, edicere, locaq; (Uberlingam, Memmingam, & Heilbrunnam deſignabat) præſidiis cuſtodiæq; Maximiliani permiſſa, hoſti dedere ſponderit; tanta ex adverſo Imperatoris conſtantia, ut quaſcunque conditiones, niſi in Bojoari quoq; commodum ceſſuras, pervicaci fide abnuerit. Relicturum tamen Septemviro militem fuiſſe, niſi hoſtibus, traditis ab illo locis, & auxilio Cæſari denegato ferocioribus, omneſq; induciarum cum Cæſare leges ſuperbè adſpernantibus, atque occupatâ Sweinfurto Egram tendentibus, undecunq; ſubſidiũ arceſſere, ingruens neceſſitas imperaſſet, cui levandæ, non, quæ malevolorum

cri-

criminationes ſint, Electoris ipſiusve Miniſtro- 1647.
rum vitæ, libertati, terrisve intenderit. Nullam Bojoaro iræ cauſſam in Werthium ſupereſſe, quem Gallica captivitate Cæſaris ære (cui onus hoc Maximilianus delegaverit,) liberatū, pro Cæſaris miniſtro ipſe agnoverit. Additum de revocanda inter ipſos concordia, ſolo hoſtium compeſcendorum remedio, conſilium; & pro ceteris quoque copiis in auxilium ſibi mittendis preces, oblata injuriarum oblivione, ex tam noxiis ſibi induciis acceptarum, modò renovato obſequio officioq; iſtas Elector penſaret.

LXXVII. Et rediit Bavaro neceſſitatis, ut inter Principes, utilitatisve reſpectu in Cæſarem amor, ſuum periculum, &, debellatis Auſtriacis, ſe quoq; victoris prædam, cogitanti. Rurſum igitur copias ſuas iſtius exercitui iis (*k*) legibus junxit, ut (*l*) Cæſari defendendis, ſi hoſtilis vis ingruat, Septemviri terris, & conſervando Electoratui cum Palatina ditione obſtricto nulla ſe inſcio invitove induciarum pacisve pangendæ facultas, neq; tamen Bojoaro, celerandæ Germaniæ quieti hanc armorum ſocietatem, uti videri volebat, deſtinanti, ultra tempus bello adhuc commodum (*die Campagne*) eorum continuandorum neceſſitas eſſet. Gallus quoq; exceptus, cui arma ſe illaturum Elector negabat, contra Svecos

Bavaro induciis cùm Svecis renunciat.

(k) *Receſſ. inter Cæſar. & Bavar. 7. Sep.* (l) *Lundorp. c. 131.*

1647. cos tantum Haſſosque reſumenda. Nec defuit promiſſis; denunciato illicò Wrangelio (*m*) bello, ne ſponte pactorum fidem neglexiſſe videretur, violatas inducias, poſtulati pro Svecico milite ſtipendii enormitatem, & obtruſum ferme Cæſari, quanquam accipere recuſanti, in perniciem ſuam armiſtitium prætendens. Sveciæ quoque Reginæ miſſâ epiſtolâ novam inimicitiam excuſavit, quâ de ſuo in pacem ſtudio atq; de Satisfactione ſuis maxime laboribus conſiliisque Regibus procurata, quanquam magnifice, non ſine modeſtia tamen præfatus, inducias, poſtquam Cæſari non placuerant, ſibi peculiares à Turenii atque Wrangelii Procuratoribus oblatas, ſalvo quidem in Cæſarem Imperiumque obſequio, iniiſſe narrabat, ſpe pacis, inter amicos quam hoſtes facilius conciliandæ; quam, Legatis Svecicis in belli conſilia pronioribus, & in ſe quoque minas jacientibus, inanem expertus, inducias Wrangelio renunciare adactus ſit, nihil tamen omiſſurus, quod paci feſtinandæ à ſe conferri poſſit, cui tam arma ſua, quam otium perpetuis votis nuncupaverit.

Literis ad Wrangelium & Sveciæ Reginam. 14. ejusdem.

LXXIIX. Reſponſum (*n*) à Chriſtina: Satis apparere Bojoari conſilia, inducias non promovendæ paci, ſed, ut tempori conſuleret, pacti. Non ſuum eſſe inquirere, quousque ſacramentum, quo Cæſari Imperioque teneatur, pertingat. At

Reginæ reſponſum. 15. Oct.

(m) *Lundorp. c.* 132. (n) *Lundorp. c.* 138.

At Bavarum ſui alioquin officii ſatis conſcium, primæque dignitatis Civem, neque alias honoris dignitatisqne ſuæ incurioſum, non ignorare debuiſſe, quantum ſuæ Reipubl. debeat. Meliori certe fama pactis abſtiturum fuiſſe, quæ muneri ſuo adverſa ideo tantum, ut violaret, inierit; neque Wrangelio de Werthii ad Cæſarem transfugio ſollicito, miſſis Conſiliariis ſpem ſervandarum induciarum facere debuiſſe, quas mox perrumpere agitaverit. Protractæ pacis culpam penes ſe ſuosve Legatos non eſſe, cui reparandæ omnem laborem induſtriamque contulerint, perfectæ jam, ſi non adverſæ partis, armorum ſucceſſum opperientis, cunctationes impediviſſent. Non certè ſuum Legatorumve crimen eſſe, quod novis diverſiſque mandatis, revocato Trautmansdorffio, & eorum, qui remanſere, ſegnitie fraudibusvè proximum fini negotium Cæſaris Aula turbaverit. Petitum quoque militi ſtipendium, ut iniqvum traduci non meruiſſe, Bojoaro ſaltem nimium videri non oportere, haud ignaro, æquali pretio alios quanquam minora ſua officia æſtimaſſe; nec illud ita præfracte poſtulatum, ut non moderationem admittat. Non etiam, ſi quid Legatis fortuito exciderit ſermone, inter belli inſtaurandi cauſas reputandum, ſibi quoque non defuturas, ſi conquirere voluiſſet. 1647.

LXXIX. Eadem literis (o) ad Galliæ Regem de Et literæ ad

(o) *Lundorp. c. 140.*

1647. de Bojoaro conqueſta, *de nullius Germaniæ Principum affectu in cauſam communem dubitandi majores ſibi unquam extitiſſe rationes* affirmabat,

Galliū. 29. Oct. *quam de animo iſtius communi Regnorū, Sveciæ & Galliæ rei applicando. Tot enim tantisque nexibus jungi Domui Auſtriacæ Principē, ſuopte ingenio non Svecis tantum, ſed ſuis etiam infeſtum, ut hactenus maxima parte conſilia Domus Auſtriacæ per Germaniam ſi non direxerit, particeps tamen fuerit & ſuſtinuerit, nullo habito ſive conſangvinitatis ſive viciniæ, multo minus exterorum reſpectu. Ideoque & divum Parentem, ſeſeqve, exemplo ejus ac rationibꝰ motam, nullius amicitiam minus affectaſſe, facile animadvertentem, qvidquid ſtudii operæque in eo collocandum fuiſſet, id ſine fructu ac uſu, & ſibi amicisque fraudi ac nocumento futurum. Hæc licet non ignota ſibi fuerint, atque quoties tractatuum cum Duce Bavariæ injiceretur à Galliæ miniſtris mentio, juſſerit ſuos declinare, præterita tamen hyeme cum exercituum Duces Wrangelius & Turenius conjunctim Franconiâ & Sueviâ agerent, & ea occaſione invaderent Bavariam, fixo illic pede, Bavarum nullo alio conſilio ſe tuendi reperto, ad tractatus recucurriſſe, deſertoq; in ſpeciē Imperatore armiſtitium pepigiſſe, fratre quoque Electore Colonienſi incluſo, conditionibus ſibi in præſens proficuis, &, ut videri voluerit, pacificandæ Europæ non ineptis, duraturum usque ad generale armiſtitium, & pacem univerſalem, cum ampliſſimis promiſ-*

miſſis, ſe nihil ſtudii operæque intermiſſurum, quo 1647.
hæc obtineri poſſent. Annuiſſe ſe hiſce tractatibus, motam auctoritate Chriſtianisſimi Regis, & ſuaſu Miniſtrorum ipſius, quidquid tranſactum Ulmæ, ratum habentem, executioni dari juſſiſſe, tranſmiſſo ſolenni ratificationis inſtrumento, & ante præſcripti temporis exitum reddito, atque ut cuncta majori ſinceritate peragerentur, verſis armis in hereditarias provincias Cæſaris, bellum omne à limitibus ejus transferri juſſiſſe, eâ ſpe, fore, ut Princeps ejus ætatis ac dignitatis datam fidem eſſet perſeveraturus; comperto præſertim, illum, Legatione ad Gallum miſſa, multa de ſuo candore & ſinceritate dixiſſe. At vero jam expectantem ejusdem ratificationem, primo intellexiſſe Electorem Colonienſem, armiſtitium, quod acceptarat, renunciaſſe; nunc paulo poſt ipſum Electorem Bavariæ, miſſis literis ad Wrangelium, quo die ratificationem ſuam mittere debuiſſet, Suecicâ detenta, armiſtitium repudiaſſe. De cujus infringendi prætextibus ab eo excogitatis nihil dictura ſit, per ſe manifeſtis, & quaſitis tantum coloribus inſervituris, ne in futurum amplius fideret. Hoc tamen moveri, quod armiſtitio ſecum inito renuncians, cum Galliæ Rege pactum ſe conſervare videri velit, ac ſi technis ipſius capi ille poſſit, aut quod credibilius ſit, quod credat ipſius artibus, amicitiæ fœderique & confidentiæ hujus ſecum aliquid detrimenti apportari poſſe. Orare igitur, ut junctis ſtudiis, conſiliis & viribus hanc à

Ba-

1647. *Bavaro ejusque fratre acceptam injuriam Gallus vindicet, reducto in Germaniam exercitu, quo pacis tractatus nunc aliquo tempore non parum turbati iterum reſtitui, & ſuos habere progreſſus queant; & ne ſola relicta, magisque pro defenſione agere coacta deſerere hereditarias Imperatoris provincias, mole belli in ſolos ſuos exercitus redundante, neceſſum habeat.* Additæ ad Reginam matrem & Cardinalem Mazarinum (*p*) epiſtolæ in eundem ſenſum, acerbior quidem ad Mazarinum, qua Bavarum, ut *Principem callidum & cautum, nihilque dicentem ex animi ſenſu, atque cuncta tempori accommodare gnarum* traducens, *vix toto hoc bello, adeo multis vitiis obnoxio, ſimile factum reperiri*, aſſeverabat; *nam cetera qualicunque prætextu colorari poſſe, hæc præmeditato conſilio & ad decipiendum congeſta fuiſſe*; hortata, curam haberet Cardinalis, *ut hoſtis communis infidum conſilium in ipſum potisſimum redundaret.*

Ut & ad Reginam matrem ac Cardinalē Mazarinum.

LXXX. Et certe vix dici poteſt, quam diverſis animorum motibus nuncius rei hujus acceptus ſit, variè, & prout cuique in partes affectus, interpretantium; quantumcunque & editis libellis & Miniſtrorum ſermonibus factum excuſare tuerique Bojoarus ſatageret. Ejusque exemplo etiam Legatus ipſius Jo. Erneſtus, ſcriptis Monaſterio ad Svecos literis, Electoris auſui pacis

Jo. Erneſti Bavarici, ad Legatos Svecicos, 8. Oct. 28 Sept. Reſpōſum,

(p) *Lundorp, c. 141, c. 142.*

cis cupidinem obtendit, pari armorum potentia, neque nimiis partis alterius viribus, facilius coituræ. Reſpondit Oxenſtiernius, abſente Collega: Non omnino improviſum nuncium fuiſſe, ruptas à Bavaro Electore inducias afferentem, caſu ex multis jam exemplis, receptoque fere more, jam tum, cum de iſtis ineundis Ulmæ ageretur, præviſo prædictoque. Id magis ſe mirari, quod Sveciæ Legatis violatæ ab aliis fidei crimen Bavari impingant, ipſius Erneſti literis diverſum teſtantibus, quibus, nulla neglectorum pactorum mentione, ſolam armorum æqualitatem adeoq; *arbitrium pacis bellique Septemviro aſſerendum*, prætendat. Quamvis ex ipſius Electoris quadam ad Cæſarem epiſtola, quo animo inducias pepigerit, indiciis ſatis perſpicuis appareat. Ipſo tractatuum uſu Svecorum in pacem ſtudia adprobari, cujus ſimulatæ à Bojoaro cupiditati tantum in Palatina, cauſâ ad votum fermè ejus tranſactâ, tribuerint. Cetera eventu monſtratum iri, pacine feſtinandæ, an producendo aſperandoque bello, nova hæc Bavari arma conducant.

1647. 4. 14. Octob. Dat. 6. Jul.

LXXXI. Atrocius novitas hæc Evangelicos perculit, tam utilem ſibi pacem recenti bello excuti, & Bojoarum difficiliorem metuentes. Erneſti tamen promiſſis recreabantur, quo falſo timori obviam iret, epiſtolis ad Altenburgios, Vimariensem, Culmbacenum, Brunſvicenſes, & Darmſtattinum exaratis, non alii fini, quam inaturandæ

Evangelicorum inde metus. Erneſti Bavarici Legati

1647. dæ paci, tuendæque ſaluti, peregrinorum alioquin lubidini exponendæ, arma à Septemviro reſumta aſſeverantis. Et ſolitam hactenus ipſisque Proteſtantibus laudatam reparandæ concordiæ induſtriam retenturum iterum ſpondebat; fortuitis quoque ſermonibus pacem vel invitis Catholicis, ſuæ magis quam publicæ utilitatis curioſis, ſeſe extorturum, nimiâ fere erga pares arrogantiâ, jactitabat.

conteſtatione mitigatus. 15. 16. 25. 26. ejusd.

Satisfactio Militiæ Svecicæ ab Erskeino flagitata. Jun. Conſternatio Pontificiorum & Evangelicorum.

LXXXII. Interea novo immenſoque poſtulato non Catholicos magis ac Proteſtantes, pacis bona jam animo præſumentes, Sveci adflixere; Erskeino militi bonis Teutonico atque Melitenſi Ordinibus in Germania dicatis, aut Cœnobiis ceſſarum ſibi provinciarum; aut XVI. &c, cùm poſtea modeſtiæ piguiſſet, viginti thalerorum myriadibus ſatisfieri; immani oris hiatu flagitante, tanta omnium conſternatione, ut Catholici honeſto potius bello, quam turpiſſimæ pauperrimæque paci ſua ſeſe impenſuros profiterentur; Evangelici adeo alto dolore torperent, ut, Svecis minora jam venerantium inviſentiumque erga ſe officia deprehendentibus querentibusque, *curas leves loqui, ingentes ſtupere*, reſponderent; egregio documento, quanto minori cura publicum dedecus, quam privata damna habeantur, cùm ii, qui nobiliſſimas Germaniæ provincias in externos translatas, vix ut mala loquebantur, pecuniæ ſuæ jacturam tam impatienter tolerarent. Neque

Lega-

1647.

Sveci ſpem faciunt eam ſolis Auſtriacis injungendā.

Exiguo Proteſtantiū aſſenſu.

Legatorum Svecicorum, ipſam quidem Erskeini militisque impudentiam agnoſcentium, ſermonibus multum levabantur; Wrangelium Auſtriacarum terrarum viſcera penitius irrumpere meditantem, pecuniam hanc aut univerſam, aut maximam ejus partem Sileſiacis Cæſaris Principatibus (Tafel-Fürſtenthümern) extorturum: non multum lætis Proteſtantibus, qui, quanquam Auſtriacorum impendiis ſibi conſuli non ægre ferrent, ſatius tamen ducebant, pacem, (cui in tam immites conditiones Auſtriaci, invalidioribus præſertim tum Svecorum armis, tam facile non conſenſuri eſſent,) quovis pretio, modo propere emercari, quam longiori bello atrociora ſufferre. Et hortabantur Sveci, (licet Erskeinus, pudenda excuſatione, Reginam militis in rebus ad bellum tantum pertinentibus Principem, in ceteris ſociam eſſe, obtenderet,) tentarent modo Proceres conventionem cum exercitu, ſi quid offeratur, de petitis remiſſuro. Et tertiâ ferè pecuniæ parte contentus fore, ſpem faciebant.

Literæ Cæſaris ad Ordines Imp. 14. 4. Octob.

LXXXIII. Et verò Cæſar, Svecorum immodeſtiam in ſapientiam vertendam ratus, ſcriptis ad plerosque Evangelicorum Procerum (q) literis, pacificationis moras, & Regiorum in iis culpam arguebat, adeò exiguo promovendæ rei apud hos ſtudio, ut ad oblatas quamvis ampliſſimas

(q) *Lundorp. VI. 3. 180.*

1647. mas conditiones, concordiæ impervii, ne indicare quidem ſuſtinuerint, quibus tandem legibus Germaniæ pacem permiſſuri forent, donec poſt editas à Cæſareanis Pacis tabulas, viginti quatuor annorum bellum potius, quàm iſtam ſeſe acceptaturos profeſſi ſint, dictâ inſuper viginti myriadum mulctâ, militi exſolvendâ, ſuo arbitrio armisque pecuniam exacturo. Atque hinc provincias aliaque Svecis, aut Svecorum in gratiam conceſſa, inde facilitatis iſtius, & intolerandæ feré ſuæ Procerumque patientiæ fructus expendenti ſibi, iſtud maximè occurrere, minus ab iſtis ipſas illas provincias, aliaque in favorem Procerum jactata obtentaque, quam perpetua inter hos, ſupremumq; Imp. Principem diſſidia intendi, iſtud agitantibus, ut Ordinum modò hunc modo illum mediarum partium, induciarum, ipſiusque præliminaris tractatus ſecuritate circumventos, liberate tandem, juribus, bonisque, ubi id lubuerit, exuant. Compeſcendæ huic libidini à Colonienſi Bavaroque arma reſumta, & ipſa tamen, Regibus ad molliora conſilia ſincerumque pacis ſtudium flectendis haud ſuffectura, niſi, ſociatis reliquorum etiam Procerum viribus, hoſtes eo præſidio deſtituantur, quo omnis ipſorum victoriarum, ac ſubjugandæ Germaniæ ſpes conatusq; nitantur. Atque hanc commodiſſimam maturandæ tractationis rationem fore, qua moderationis Reges admoneantur, paci validius adigen-

dos,

dos, ubi Germanis concordiam rediiſſe adverterint; novis jam ex rebus aucti, tuta & præſentia dubiis & periculoſis antepoſituri. Accederent igitur Ordines, junctisque opibus communem patriæ cauſam ſuamque ipſorum incolumitatem aſſererent. At ſurdis fabula narrabatur, vix ullo Evangelicorum reliquo, cui vires, nullo, cui animus eſſet, arma in Svecos expedire, quos, utcunque gravia paſſi, cauſæ ſuæ patronos vindicesque venerabantur. 1647.

LXXXIV. Remanebant interim Ordinum lites, Salvio Monaſterio, quo celerando negotio abierat, Oſnabrugam reverſo. Et Volmarum, quanquam rei profectionique maturandæ pronum, à Catholicis refractariis attineri referebant, quem non minus ac Trautmansdorffium, tanquam Eccleſiæ Romanæ negligentem, & memoria Evangelicæ, cujus præconem (r) egiſſe dicebatur, religionis ſuſpectum, Oenipontem, ubi Conſiliarii, Cameræque Præſidis munere fungebatur, revocari, cum Hiſpanis, Germanica pace anxiis, illi quoque eodem timore correpti, cupiebant. Quanquam ne Cæſar quidem ſinceris votis quietem expetere credebatur, Saxoniæ Electorem, oblatis ad recuperandam Lipſiam copiis, ad armorum ſocietatem, rumpendasq; cum Svecis inducias, quanquam fruſtra, vocaſſe compertus. Septemviro contra, non in alios minus quam in Cæſarem fidem ſibi conſtituram, affirmante.

Gravamina Princ. Octob.

Cæſar bellum malle ſuſpectus.

Kk 3 LXXXV.

(r) *V. Memoir. de Mons. D. p. 28. 29.*

1647. LXXXV. Et differebatur Imperatoris filius Ferdinandus cum ſorore, Catholici Regis ſponſa, Mantuam Carpetanorum abiturus, parando Hiſpanorum favori, & gentis, cui poſt Philippum, matrimonio, uti tunc putabatur, inhabilem, imperaturus eſſet, moribus imbuendus; Facili argumento, Cæſari quietem Germaniæ, integro adhuc inter Gallos Hiſpanosque bello, cordi non eſſe, filii hereditati detrimentum laturam, tota Gallicarum virium mole acrius infeſtandæ. Acuit Proteſtantium curam Franciſcus Gvilielmus Oſnabrugæ Epiſcopus, acerrimus Auguſtanæ Confeſſionis hoſtis, Hiſpanorum artibus, ut, defunctô nuper Anshelmo Caſimiro Moguntiæ Archiepiſcopo, novi Præſulis Electioni, Nuntii Pontificii loco, adeſſet, & ſi res procederet, magno concordiæ turbamento, ſucceſſor deſtinatus; Bavaro contra, modeſtiorum Catholicorum præcipuo, ni Hiſpani rebus abſtrahi ſe Cæſar pateretur, una cum Franconiæ, Sveviæ, Bavariæ, utriusque Saxoniæ, aliisque Proceribus pacis cupidis ſibi conſulturum, miſeriasque exiturum teſtificante.

Increpitus à Bavaro.

16. 17. 21. 26. 27. 31. Octob. LXXXVI. Et inſtitit crebris ad Imperatorem (s) literis, ut promovendo pacis operi congreſſus cum Proteſtantibus reſtaurari ſineret, deligendis ei fini ex Catholicorum Ordine, quibus quietis amor & moderatiora conſilia. Ita averti Evan-

(s) *Apud Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c. 181. & 182.*

Evangelicorum ſuſpicionem, Pontificios extrema armis tueri deſtinaſſe credentium, diſſidiis ſubveniri, & averruncari fœdera, cum Svecis aliisve ſupremo Reip. exitio ineunda. Utendum inclinatione Regum, qui, bello amittere timentes, quæ pacis conventione adepti ſint, publicis eam votis expoſtulent. Quod ſi ex Catholicis aliqui, propoſiti pertinaces, obniti pergant, neceſſarium congruumque ſummi principis officio fore, ſervandæ Reip. atque religioni, cum Regibus atque Evangelicis, quam optimis queat, conditionibus tranſigere, bellum habituris, qui pacem recuſent. Ad ſuum etiam honorem pertinere, ne diuturniori mora pacis progreſſus tardentur, cujus turbatæ invidiâ ipſe maxime flagret, novâ cum Cæſare armorum ſocietate bellum malle ſuſpectus, eo majori criminationis, licet falſæ, ſpecie, quod Cæſaris Hiſpanique Regis Legati, paci quondam adeò proni, jam aureos ſibi montes pollicentes, vix mentionem ponendi belli admittant. Et quid? ſi, dum moræ nectuntur, gravi aliquo caſu Cæſaris ſuaque arma affligerentur, hoſtibus vires, & à Proteſtantibus deſperatione pacis irritatis opes accederent? aliive Catholicæ religioni adverſi Principes in partes traherentur? At ſibi neque animum, neque vires ſuſtinendo diutius bello ſupereſſe, arma ultra autumnum, bellicis actibus adhuc opportunum (die Campagne) non retenturo. 1647.

1647. LXXXVII. At non ideo feſtinabant Cæſarei, Hiſpaniæ cauſam adeo aperto patrocinio agentes, ut Pontificio Venetoq; Oratoribus, ipſisque Gallis, nullam ſine Hiſpano ac Lotharingo pacem coalituram, omiſſa jam diſſimulatione, affirmarent. Pulſabantur interim Lambergius Cranīusq; crebris Evangelicorum monitis, pacem patriæ, cui, animam jam agenti, unicum ex quiete remedium, reddi obteſtantium: jactis etiam vocibus, ſi cunctari non deſiſterent, ſibi ipſi proſpecturos. Oxenſtiernius quoq; promto ad aſperiora ingenio, moras iſtas, ſuam Collegæq; contumeliam interpretatus, quinque jam menſium precibus, ut tractationem reficerent Cæſarei, at fruſtra oraſſe, querebatur, nullo illis cunctationis obtentu, quam quem à Pontificiorum quorundam contumacia arceſſant. At ignominioſum id Reginæ, noxium Imperio, neq; ſibi conveniens, quibus jam nihil reliquum, quam ut, renunciatis Cæſari tractatibus, ipſi domum repetant, bello militi, pace eventui, Deoq; causâ permiſsâ.

Cæſareorum profeſſum tardandæ in Hiſpanorum gratiam pacis ſtudiū. Magno Evangelicorum & Oxenſtiernii queſtu.

Abire minitantis.

LXXXIIX. Ingreſſus tandem Cæſaris juſſu prid. Non. Novembr. Oſnabrugam Volmarus, animis fiduciam & emortuæ fere tractationi animam reddidit, facile ſibi ab Evangelicis perſvaderi paſſus, ut, cum inutiles Pontificiorum cum Proteſtantibꝰ congreſſus rerum uſus oſtenderat, ipſi Cæſareani cum Svecis reliquas adhuc lites tractarent. Vocati tamen Catholicorum præcipui, ut

Tractatio Oſnabrugæ à Volmaro reaſſumta, 4. Nov.

ut paci faciliores, & Triumvirorum (id Oſnabrugenſi, Adamo Adami, atque Leuxelringio, quinquaginta ſuffragiorum jura, inaudito exemplo uſurpantibus, nomen indiderant) factioni adverſi, quibus Colonienſem injecta religione Oſnabrugenſis abſtraxerat, ni frater, Elector Bavariæ, revocaſſet, tantâ Legati hujus in auſteriores Pontificios vehementiâ, ut ſimulatæ pietatis & ambitionis probra coram ingereret; neque enim Septemvirum minori Catholicæ Religionis amore ardere dictitans, neque ſacrum ipſius Senatum ex viris divini honoris negligentioribus componi, quam iſti aut ſint aut videri velint. At iſtos tranſacta hactenus adeo Numinis reverentiæ non adverſari cenſuiſſe, ut peccato potius ſe obſtricturos exiſtiment, qui meliora crudeli ſangvinis impendio parare ſuſtineant. 1647. Bavaricorum pro pace, & contra Pontificios auſteriores vehementia.

LXXXIX. Et aluit diſſidium Fabius Chiſius; quanquam pacis conciliandæ provinciam Pontificis nomine obiens, belli tamen conſiliis propior. Atque is, literis ad Catholicos Proceres ſcriptis, *ab adverſariorum impietate Catholicæ Religionis conſervationem magnum in diſcrimen revocari*, queſtus, *quoniam tamen unanimi Catholicorum concordia improbis hiſce molitionibus egregie hucusque repugnatum ſit, ne modo in ipſa pacis concluſione* [*ſi contingat*] *ignaviter proſtituatur*, *eò fortius inſiſtendum*, urgebat, *ne contra Dei honorem*, *contra conſcientiam*, Nuncii Apoſtolici Cõteſtatio ad Proceres Pontificios. 29 Nov.

1647. *ac Sanctorum Patrum, Conciliorum Pontificumque Decreta quidquam contingat attentari; ſecus enim, ſicuti pro munere ſuo, quo fungatur, proteſtatus ſit, atque acrius in poſterum proteſtaturus: ita neutiquam pacem habendam aut tutam aut permanentem prævidere; niſi eadem debiti cultus ac pietatis in Deum Catholiciſque præſcriptionibus usquequaque conveniat. Rogare igitur, Legatis ſuis mandent, ut ſaniora & ſecuriora conſilia ſpectantes, conſtanter pro Dei cauſa ſe gerant, aliiſque præbeant exemplum, quid Catholicos Proceres deceat, pro ſui honoris ac ſtatus, pro animarum ſibi & bonorum commiſſorum conſervatione, quorum rationem Deo ante verendum illud Tribunal quiſque reddere teneatur, ubi & revelanda cordium penetralia, & ad exactiſſimam lancem tum vires ipſorum tum obligationes cum operibus conferenda ſint.* Addidit Pontificis hunc in ſenſum mandata, quibus reparandæ tranquillitatis ſtudium ita moderari Chiſius jubebatur, *ut nullum ad hanc ſtabiliendam Religioni detrimentum, Romanæque Eccleſiæ dignitati paretur*; prohibitus, *ne Conſtitutionibus, quibus divino cultui, Chriſtianæ fidei atque Eccleſiaſticæ immunitati periculum damnumve ullo modo conflari poſſet, vel minimum aſſentiens, conniventem his quoque modo adſenſum, aut præſentiam usque adhiberet, quin &, ſi opus fuerit, obſiſteret conſtanter ac repugnaret, ſeſeque adverſantibus Ec-*

Mandatum Pontificis Nuncio datum. 5. Oct. 1644.

Eccleſiæ ſententiis impavide opponeret, conteſtaretur, denunciaret, ediceret, operamque in id omnem verbis & re opportunam ſerio & fidenter impenderet, etſi ab ipſa rei tractatione ipſum decedere oporteret, ut pateat, ex æſtuante, ut par eſt, Apoſtolico Zelo humanas quascunque rationes Dei cauſæ omnino à Pontifice poſthaberi, eamque vel ipſo pectoris & vitæ objectu defendendam ac vindicandam. 1647.

XC. Hæc magnificè ſatis, at ex longinquo, nulloque operæ fructu Innocentius, cùm Olympiæ tantum ſuæ ditandæ fovendæque intentus, & ne erogati in rem Catholicam nummi Pamphiliæ gentis patrimonium imminuerent, ſollicitus, nil niſi verborum fulmina, etiam poſt confectam pacem, adeoque inania objiceret, faceto ideo, at acerbo, Cæſaris dicterio traductus, qui Melzio, Nuncio, uti appellant, Apoſtolico, noxias Eccleſiæ pacis hujus leges omnibus viribus & quovis periculò emoliendas (s) oggerenti: *Bene ſe habere Pontificem*, regeſſit, *cui Olympia caput demulcens ſomnum conciliet.*

Nō niſi verbis rem agentis, Ideoq; à Cæſare perſtricti.

XCI. Jam duas hebdomadas Oſnabrugæ Volmarus ſubſtiterat, neq; dum quidquam proficiebatur, Hiſpanorũ maxime artibus, qui, Neapolitanâ rebellione anxii, Germaniæ pacem curatius mo-

Hiſpanorum conatꝰ in impediunda pace.

(s) *Formalia: Ha bel tempo, ſignor Nuncio; il Papa, perche la donna olympia gli raſpa il capo, per farlo dormire. Abbat. Gualti nella vit. della Donna Olymp.*

1647. morabantur, Bavaricis etiam Palatinæ tranſactionis abolitionem comminati; ni Elector Hiſpaniæ res Germanicis miſceri pateretur. Neq; obſcurè Lambergius teſtabatur, Hiſpanum, ſi tractatibus his negligatur, neque Frankenthalam (Palatinæ ditionis urbs eſt, valido munimento inſignis) redditurum, neque transferendæ in Gallum Alſatiæ commodaturum adſenſū: tanta non Proteſtantium magis, quàm *Pacificorum*, ut appellabantur, Catholicorum ægritudine, inter quos Joannes Philippus ex Schœnborniorum gente, pridem Herbipolenſis Epiſcopus, jam Electorali Moguntini Archiepiſcopatus dignitate auctus, præminebat, ut ſuis auſpiciis cum Regibus ſe conventuros profiterentur, ſumtum belli periculumq; iis delegaturi, quibus pax perſuaderi non poſſit.

Suſtentatorū à Cæſareis. Ingenti Pontificiorum Pacificorum indignatione.

XCII. Ex adverſo Saxo Elector, ſive à Curtio Comite, à Cæſare in eam rem miſſo, ſive aliunde perſvaſus, moræ culpam penes Svecos Evangelicosq; eſſe, niſi ante diem Chriſto natalē pax conſieret, junctis cum Cæſare armis, dignitatē terrasq; ſuas ſe tuiturū minabatur; literis quoq; ad Wrangelium miſſis, (iis, contra induciarum leges pervaſtatas ſuas provincias, direptos ſubditos, unico Bohemiam verſus itinere corrupta, & paucis diebus per licentiam abſumta, quæ adverſus neceſſitates in longum ſuffeciſſent, Provinciales, quibus præter ſudorem ſanguinemq; lacrymis dilu-

Saxo arma reſumere minatur.

Literæ ejus ad Wrangelium. 6. Nov.

dilutum nihil ſuperſit, perverſos, ceteraq; inſolentis militiæ mala in amicos uſurpata, prolixe miſeratus, acerbitatem iſtam ultra tolerare ſuæ in cives pietatis, ſuive honoris eſſe negabat,) bellum tantum non indixiſſe creditus. Quin arma contra Svecos proximis diebus capturum Cæſari promiſiſſe, magnis autoribus ferebatur, multa Brandenburgii cura, Burgsdorfium, cubiculo præfectum, Dresdam deſtinantis, ut tam pernicioſa patriæ conſilia cohiberet. Isq; tertiam factionem inter ſolos Germaniæ Proceres, nullis peregrinorum partibus immixtos, ſvaſerat, eos pro hoſtibus habituros, qui quieſcentes laceſſerent. 1647. Brandenburgii conſtra conſilia.

XCIII. Interim Evangelici, nimiæ cunctationis pertæſi, cùm per Delectos minus hactenus profeciſſent, fortius agendum rati, Cæſareanos agmine velut facto (*t*) adorti, (omnes præter Meklenburgios, Caſſellanos, atq; Darmſtattinos aderant, duodecim carpentis ad ædes Lambergii devecti,) ne publicis Germaniæ deſideriis, pacem ſub belli onere ſuſpirantis, ultra deeſſent, inſtabant, qvam præcipui ſaltem Catholicorum pariter cum Evangelicis æqualibus votis expoſcant. Ne dubiam ſemper armorum aleam opperiuntes, infelici jactui occaſionē aperirent, remque publicam, excidio jam proximam, ſupremum in caſum dari permitterent. Penes ſeſe certè, utcunq; res cadat, culpam non futuram, id quoq; curaturos, ne aliorum Evangelicorum inſtantia apud Cæſareos ob maturandam pacem. 21 Nov.

(t) *Lundorp. VI. 3. 93.*

1647. rum pervicaciam bellum volentiũ ipſi luant, conſilii certi, moleſtias illius quàm primùm exire, iis relinquendas, qui pacem admittere renuant. Ad quæ Cæſareanis Oſnabrugenſem Epiſcopum, & à Coloñienſi Buſchmannum adſpectandos cauſſantibus, ne plerorumq; quidem Catholicorum judicio iſtorum præſentiam neceſſariam haberi, illi regerebant, perficiundis nimirum negotiis, de quibus Monaſterii jam ſatis tractatum ſit. Non Cæſarem minus Dominis, (Ihren Principalen) ac ipſis Legatos illius ſpem toties maturandæ Pacificationis feciſſet, at contumaci hactenꝰ cunctatione fruſtratã. Et eſſe ex Catholicis, qui aliud Cæſarem ſuis in mandatis dediſſe, aliud ad Evangelicos perſcripſiſſe, affirmare ſuſtineant. Adeò ſcil. vanam tractatuum horum rationem eſſe, ut cum pueris agi crederes, quibus res ludicras modò offerat nutrix, modo rurſũ eripiat. Oſnabrugenſem affectuum intemperie transverſum agi, quẽ totius Imp. detrimento piari, injuſtũ foret. Dira minitari Deum iis, qui, nulla innocentium miſeratione tacti, pacem averſentur, ab iis ſolis hucusq; impeditam, quibꝰ nullum ex bello damni periculum. Id ſc. agi, ut, reſciſſa transactione, res ad antiqua certamina redeat. Interim, dum iſti tergiverſantur, tot hominum millia variis miſeriarum calamitatumq; modis perire. Hinc nova Regiorum adornandi inſtruendiq; belli conſilia, quibꝰ etiã paria Cæſar forſan facturꝰ ſit; at parum ex ea

re ſibi ſolatii, ad unica pacis remedia intentis. Oſ- 1647.
nabrugenſi ſuam belli lubidinem ſeſe non invidere; modò ipſis fraudi noxæve non ſiet. Eamq; Bavari etiã ſententiam eſſe, ſuas nempe ſibi res habere jubendos Catholicos, qui concordiæ leges reſpuere pertendant; neq; ipſorum conditione uſuros ceteros Imp. Cives, ſublatis litigiis, belli cauſas jam amolitos.

XCIV. At non ideò in melius mutabantur Cæſarei, qui, accitis paucis poſt diebus Evangelicis, paulo lætiora opperiuntibus, ſuam in perficienda concordia & perſvadendis Catholicis induſtriam extollentes, irritam Proteſtantiũ opinionem oſtendebant, certa jam tranſactaque exiſtimantium, tabulis pacis nuper à ſe exhibitis conſignatã, ſolis adhuc diſceptationi obnoxiis, de quibus tum convenin nequiverit; neq; enim plena ab Imperatore conficiundæ rei mandata ſe accepiſſe, ex relatu ſtatuturo, quantum cedere libeat, & ex Catholicis etiam, in pacem proclivibus, (inter eos Moguntiacum, Trevirum, Colonienſem, Bojoarum, Salzburgium, Bambergium, Herbipolenſem, Conſtantienſem, Eichſtattenum, atque Baſileenſem tanquã potiſſimos recenſebant,) plurimis non omnes concordiæ leges placere. Ne igitur nimia feſtinatione aut Catholicos aut Cæſareanos urgerent ea concedere, quibus tanta Procerum multitudo repugnet. Cogitarent Pragenſem pacem, ideò evanidam, quod neglectis Re-

Cæſarei conventis cum Trautmansdorffio ſtari poſſe negant. 27 Nov. 7. Dec.

1647. Refragantium contradictionibus cum ſolo Saxone Imperator pepigerit. Neque Auguſtanæ Pacis fata Proteſtantes latere, haud ignaros, præſentium temporum miſerias ex *Reſervato Eccleſiaſtico & Declaratione Ferdinandina*, aſſertis iſthinc, illinc impugnatis, præcipuam originem trahere. Aliis ſcopulis rurſum allidi, certo cum naufragio Reipublicæ, tanta tempeſtatum intemperie jam ſatis laceratæ, conjunctum fore. Eſſe in Amneſtiæ cauſſa, quæ mutari corrigiq; Catholici Electores deſiderent; Sulzbacenſis Palatini reſtitutionem ſuis adhuc tricis involvi; neq; ſopitum Badenſiũ Marchionum litigium; Hachenburgium, Valenthurenſem, & Pirmontis Comitatum, hunc Coloniæ, iſtos Treviro Electoribus vindicari. Neque pleriſq; approbari æternam ſacrorum bonorũ ceſſionem in Evangelicos; Senatûs Auguſtani aliiſq; in urbibus mutationem; abolitam rerũ judicatarum auctoritatem; libertatem religionis ultra veteres fines evagantem; aliaq; tabulis iſtis conceſſa. Non tamen temperamenti omnino impatientes fore Catholicos, quos moderationis continuis hortationibus admoneant. Irent interim Evangelici, ac litibus ponendis promtiora conſulerent. Et objectantibus his mandata, maturando pacis negotio, & ne transacta revocandi licentiam Catholicis darent, ex Cæſaris Aula miſſa, incognitum ſibi eſſe regeſſere, cujus reſcri-

Præcipua puncta Catholicis ex jam conceſſis improbata.

Dat. 14. Oct.

pti

rit, eorum contra, quæ receperint, non ignaris. 1647.
Cæſari, non Catholicorũ magis quam Proteſtantium Judici, incongruum fore, in favorem unius partis, inaudita altera, pronunciare. Quantum tamen ſciant, non eam Pontificiis mentem eſſe, præcipuas transactionis leges evertere, minora & concordiæ ſaltem inter cives diverſarum religionum validius ſtabilendæ commodiora poſtulantibus. Repoſuere Proteſtantes, mandati à ſe allegati copiam Dominis ab ipſo Cæſare factam, quem diverſa ab iis, quæ Legatos juſſerit, retuliſſe, ſine Cæſaris opprobrio dici non queat. Neque partium cauſas in judicii modum, ſed amica diſceptatione tractatas; præcipuo quippe *de Judice competenti* litigio. Sperare igitur, Cæſareanos ſepoſita mora, neque in controverſis adhuc iniquitatem, neque in jam transactis nova jurgia admiſſuros.

XCV. Gliſcebant interim conſultationes Pontificiorum, Oſnabrugenſi (is, exercitæ in Cives crudelitatis conſcius, diſſimulata perſona cum Buſchmanno Oſnabrugam intraverat) præſidente, quamvis, ut unicum belli incentorem, cum Evangelicis etiam multi Catholicorum diris devoverent. Prodiere tandem illorum, (quanquam Bojoarus, Bambergius, aliiq; ſua eſſe negabant,) in Pacis Tabulas monita, (atque illis Saxones Electorales & Darmſtattini deſideria ſua, non ſine ceterorum Evangelicorum convicio, in-

Catholicorũ Declaratio ad poſtremũ Pac. Inſtrum. Cæſar.

7. Dec.

1647. nexuere,) revocata maximè religionis libertate, Evangelicis ingrata, & licet in totas tabulas Cæſareanis exhibuerant, ab his duabas poſteriribus partibus, quibus de *Satisfactione & Executione Pacis* agebatur, mutilata, ſollicitis, ne Svecos, negata mutatione ſacri ſtatus Epiſcopatuum illis ceſſorum, & petito Pontificiis Epiſcopatu Mindano, alterno cum Brandenburgiis ordine poſt Oſnabrugenſis Franciſci Gvilielmi fata poſſidendo, (eas conditiones Catholici ſcripſerant,) offenſos, in ceteris quoque duriores haberent; his tractatus ſe repetituros abnuentibus, niſi cum

12.Dec. reliquis articulis etiam de Militis ſive donativo

In puncto Satisf. Svec. ſive ſtipendio ſententiam iſti exponerent. Eademque cauſabantur, poſtquam de Satisfactionis capitibus animum Pontificii explicuerant; quanquã hi inter alia Præfecturæ Wilshauſen Catholicã Religionem, Epiſcopis Monaſterienſibus *Jus*, quod vocant, *Diœceſanum*, ſibi alias cum Epiſcopatibus Bremæ atque Verdæ, quando lubeat, terras commutandi, atq; interim ſacri Magiſtratus conſtituendi facultatem Pontificiis ibi degentibus proviſuri, tum Oſnabrugenſem atque Mindanum Epiſcopatum poſtulantes, omnes reſtitu-

13.Dec. endæ pacis rationes ſuſtuliſſe Evangelicis Svecisq; credebantur, quorum iſti, Cæſareanos illicò inviſentes, ſuprema ne hæc iſtorũ omniumve, an quorundam, ſententia eſſet? rogabant. Cæſareorum enim eam eſſe, ſibi vix perſvaderi, cum adeo diſcre-

diſcrepantia ab iis, in quæ ante octo menſes convenerint, jam ſtatuturos, credi non debeat. Neq; 1647.
cunctorũ Pontificiorum SCtum id habendum, quo longe mitiora Moguntiacum, Trevirum, Colonienſem, Bojoarum, Bambergium, aliosq; ſvadere compertum ſit. At ceterorũ minoris dignationis Civium rationem tantam non eſſe, ut bellũ mereantur. Mutarent igitur leges eã ad formam, ut paci prodeſſet; adderentq;, quæ militi bona cũ gratia dimittendo atque paci exequendæ firmandæque conducerent. Ceterum reticere ſe non poſſe, lentiorem multo Trautmansdorffium & temperamenti intolerantiorem fuiſſe, poſtquam de Werthio ad Cæſaris partes transgreſſo rumor inceſſerat; neq; deeſſe, qui à Cæſare id juſſum, locisq; tractatuum eum avocatum affirment; negante Volmaro, Trautmansdorffium mandata concordiæ adverſa unquam accepiſſe, aut Auguſtum ullã in Reſcriptis Werthii mentionem feciſſe, cujus commilitones fidem in Bojoarum retinuiſſe jam ante Trautmansdorffii profectionem innotuerat, aëris inclementiâ valetudini ipſius infeſtâ, atq; neceſſariâ Aulæ ejus præſentiâ abire coacti.

XCVI. Inſtabant interea etiam apud Svecos Evangelici, ne pacatas lites reſuſcitandi Cæſareanis Pontificiisve copiam facerent. Iſtos certè Cæſaris ſaltem atque Auſtriacæ Domus nomine ſervandis iis obſtrictos teneri, quæ ſuſceptorum inde man- Evangelicorum è contra inſtantia.

1647. mandatorum auctoritate transacta ſint : Neq; hos obligationi eximendos, ut qui Jurium ſuorum arbitrium in Imperatorem contulerint. Non decreviſſe quidquam Cæſareos, ab univerſis Catholicis, ut paciſcendi laborem reciperent, rogatos, quod ad commodum moleſtiamve horum pertineret, niſi compertâ ante illorum ſententiâ. Quin & Trautmansdorffium, Lambergium atq; Cranium Svecis, de Pontificiorum adſenſu dubitantib9, promiſiſſe evictionem, & Volmarum Actorum fide ſe Catholicos refutaturum adſeveraſſe, ſi invitis ſeſe inſciisve quidpiam actum cauſarentur. Qvanquam non eæ pacis conditiones ſint, ut multum lucri Proteſtantib9 ferant, omnibus fermè illorum Epiſcopatibus in Svecicam ſatisfactionem impenſis; onus, ſi belli auctores ſpectarentur, non niſi à Pontificiis ſuſtinendum.

XCVII. Et conveniebant rurſus Cæſaris Svecorumq; Legati, nullo tamen in rei ſummam fructu, conſtanti Cæſareanorum invidia, quos paci averſos, & ne perficerent, reſcriptis prohiberi, editis in vulgum literis probabatur, veris, aut onerando in Cæſarem odio, compoſitis. Et confirmabat ſuſpicionem jactus à Pennarandæ Hiſpanici Legati propinquo inter epulas ſermo, dejerante : Non propiorem ad Germaniæ pacem, quam à terris in cœlum viam fore, ni inter Hiſpanos Galloſq; concordia quoq; coaleſceret. Non enim ſine uſu futuros ſumptus in Catalauniam,

Ita-

Italiam, Belgium, Auſtriamque ſuprà vires pene, 1647.
proviſu in proximum annum, impenſos; tanta
Cæſaris adhuc potentia, ut, ne thalero qvidem ab
Imperio adjutus, exercitum XXCIↃ. virorum ſup-
plemento augere poſſit. Ipſi etiam Cæſarei,
vultum fere, quem induerant, exuentes, abſolu-
turos quidem Germanicam pacem affirmabant,
at Cæſarem ab Hiſpaniæ rebus illam avelli nun-
quam paſſurum. Quin recentibus etiam poſtula- Cæſareorum queſtus ob nova Svecorum poſtulata, ratione ſatisfactionis.
tis Svecos eam morari cauſabantur, Bremenſem
atq; Verdenſem (*u*) Regiones, ſacras hactenus &
Dei tantũ miniſtras, omnino profanari, Canoni-
catus juxta cum *Capitulo* Hamburgenſi aboleri,
XIV. pagos, ad Holſatiæ Duces ſpectantes, ſibi tra-
di, Bremæ libertatem ultra jam placita reſtringi,
& Visмariæ nomine novum ſuffragium in Im-
perii Senatu expoſtulantes, non ſine Reip. incom-
modo, cui periculoſum, externum Principem tri-
plicis ſententiæ Jure augeri. Ægre etiam tuliſſe
Svecos familiares Cæſareorum cum Saxonicis at-
que Brunſvicenſibus de Amneſtia habitos ſermo-
nes, quorum ſcil. in Evangelicos amor inde æſti-
mari queat, quod nuperis ſecũ congreſſibus *Gra-
vamina levi pede & deſultorie* unica die & nullo
exitu tractarint, cũ ſuæ Satisfactioni duplo majus
tempus diligentiamq; inſumpſerint; inficianti- Svecorum excuſatio.
bus ex adverſo Svecis, ſuum in eo crimen verſa-
ri quod tardius procedat pacis negotium, aut no-

 vita-

(u) *Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c. 194.*

1647. vitatibus interturbetur, quarum exemplum primi Cæſareani atq; Pontificii fecerint, petito Catholicis Bremenſis Verdenſisq; ditionis urbes agrosq; habitantibꝰ Pontifice, aliisq;, futurarũ inter novum Principem atq; ſubjectos ſuſpicionum diſſidiorumq; ſemina præbituris; quibus avertendis nova remedia non injuſte quæſiverint, cetera nihil mutaturi. Flagitato ob Viſmariam ſuffragio monitos ultro deceſſiſſe. Neq; Canonicatibꝰ abolendis inſtituros, modo & iſti ſacrificulum iſtum Regem omittant; XIV. pagos non ita poſtulaſſe, ut, niſi iis obtentis, pacẽ non admittere animus ſit. Bremæ libertatem ultra quam Anteceſſoribus ſibi non impugnari, at neque ampliorem conceſſûros, quàm olim uſurpaverat. Neq; (ut Cæſareani criminentur, verbis inſidiantes, quæ poſt mutilata & in deterius detorta evulgent,) colloquia Evangelicorum cum Cæſareis ſibi moleſta eſſe, à ſeipſis ſæpe Proteſtantibus commendata.

XCIIX. Ita tractandi tempora altercando conterebantur, Landgraviæ interim Militisq; ſatisfactione aſſerta, negata, transmiſsâ, urgentibꝰ hinc Svecis, iſthinc Cæſareanis, Imperatorẽ à Cive tam iniquas leges accepturum, aut Proceres militi, in ipſorum forte perniciem ruituro, ſtipendium, pace nondum certa, decreturos negantibus, Saxonis Septemviri adſenſu elatioribus, quem Legato, increpito, quod ceteris Evangelicis ſe ſociaſſet, acribus literis injunxiſſe, ne aut Svc-

Saxonis de his Tractatibus

Svecos tractandis Imperii rebus admitteret, aut 1647.
poſtremis Cæſareorum conditionibus refraga-
retur, non minori Svecorum Proteſtantiumque
dolore, infenſum communi propriæq; incolumi-
tati Principem uno ore execrantium, quàm gau-
dio Pontificiorum increbuit.

ſententia.

XCIX. Et referebatur aliud ejusdem ad Lega-
tum reſcriptum, plerorunq; Evangelicorum con-
ſilium, Catholicos externorũ armorum ope vo-
tis ſuis adigendi, improbantis; Conventum Li-
pſienſem memorando, quo in unica litigantium
partium transactione diſſidiis remedium quæ-
rendum, totus Proteſtantium ordo conſenſerit.
At verò Concilium illud ſe ipſum, & Brandebur-
gium Electorem, atq; alios Principes Comitesq;,
præcipuis miniſtris ſtipatos, ac Civitatum libe-
rarum nomine ſtrenuos, doctos, rerumq; exper-
tos viros frequentaſſe, eosq;, ſi eruditione pruden-
tiaq; Legatis Weſtphalicæ paci operantibus non
æquales ſuperioresve, non multum tamen mino-
res, quibꝰ tollendis inter ſe litibꝰ vicinos non ad-
vocandos, concordi ſententia viſum fuerit, me-
tu detentis, ne arreptis armis, non niſi cædes
cladesque laturis, Numinis iram accerſerent,
verbum ejus vaticiniumque impleturi, regno
domeſticis diſſenſionibus convulſo vaſtitatem
interitumque denunciantis. Hoc iter ſe Pra-
gæ ingreſſum, unicam componendorum civili-
um motuum medicinam in amica diſſidentium

Saxonis reſcriptum ad Legatum. 31 Dec. 1647.

1647. conventione collocaſſe, eique opinioni cunctos Proteſtantium, ſi Durlacenus atque Catta excipiantur, ſuffragantes, pacem illic conſtitutam ſua manu ſignisque adprobaſſe. Eadem proximis Comitiis, eadem Francofurti à Delectorum Concilio (auf dem Deputations-Tag) decreta; diem quoque locumque jam dictum, ubi perficiendæ concordiæ Germaniæ Proceres convenirent. Verum his omnibus inſuper habitis, & tractatione Weſtphalica ſuſcepta, pleroſq; externa potentia confiſos, votaque ſua peregrinorum ſucceſſibus metientes, illud ſcil. profeciſſe, ut, inducta patriæ ſolitudine & involutis ſua ruina Germaniæ terris, tot valida loca, tot commodos portus, tot ampliſſimas provincias, præcipuosque Imperii fluvios, adeoq; omnem commerciorum vim, exterorũ Regum aviditati prodiderint; propagandæ religionis prætextu Deo moratisque Gentibus haud adeo facile ab iis excuſanda, quibꝰ horrenda facinora, miſeriæ, calamitates atq; damna patriæ inde illata videantur exigua, quiq; violatos, vexatos, oppreſſos immeritos Ordines, Juſtitiam proculcatam, imminutam fidem, ipſamque Jurisjurandi ſanctitatem profanatã, non ut publica mala loquantur; nulla Reip. curâ, modo deſideria ſua violentis iſtorum armis propellant. Inde percurſis ſuis ad Leuberum mandatis, laudataque Pontificiorum modeſtia, ea largientium, quorum ne optandorum

qui-

quidem audaciam ſibi Evangelici quondam feciſ- 1647.
ſent, horum duritiem & nominatim Thumshirnii temeritatem perſtringebat, quod Leubero, ne Domini juſſis adeo pertinaciter inſiſteret, ſvadere auſus fuiſſet, ſatis ſcilicet temporis, ſi Catholicis quid concedendum foret, & metum ab Auſtriacis, tanquam Imperii hereditatem meditantibus, oſtentando; ac ſi magis timendi eſſent, anguſtioribus quotidie rebus tanta potentiæ ſuæ detrimenta patientes, quàm qui bellum non niſi lætis fere progreſſibus, victoriis, decore, atque utilitate eo usq; experti, non moderationis magis quam fortunæ terminos noverint. Quanquam neq; Auſtriacorum, neque cuicunque Principum familiæ honoris proſperitatisque incrementa ſeſe invidere, multoq; minus inducere animum, exterorum ope Auſtriacā gentem, ſi non omnino extirpare, eo tamen dejicere, unde Septemvirorum ſuffragiis ad Imperii dignitatem attolli non poſſet. Neque enim eas pacis publicæ leges latas, ut alter in alterius imminutionem excidiumve animetur, & periculum fore, ne decus Imperiale in peregrinos deniq; cedat, extincta inter Germaniæ Principes domo, cujus opus ſuſtinendo tanto muneri atque honori ſufficere queant. Tandem Saxonicorum rationes adgreſſus, à pactis cum Trautmansdorffio conventis neutiquam diſcedendum contendentiū, expugnandis eas rumpendisque tractatibus, & Catholicis, injuria-

1647. rum impatientiâ alias quoque gratias ambituris, novis atque acrioribus bellis accendendis, Imperiique diſſolutioni accommodatas arguens, nullum mandatum apparere dicebat, quo Trautmansdorffio, tractationi tantum delegato, perficiundæ etiam rei arbitrium Catholici detuliſſent. Neque enim precibus, à Pontificiis atque Evangelicis procurandæ concordiæ oblatis, id actum cenſeri debere, ac ſi, omni cura à ſe abdicata, ſummum unicumque rerum judicium Comiti dederint. Nullum certe neque temporis neque loci veſtigium conſpici, facultatis iſtius ab utriusque partis Legatis in Trautmansdorffium translatæ. Illud Actorum fide conſtare, conventibus, primordio ejus, qui tum agebatur, anni, de ſopiendis Ordinum controverſiis, habitis, cum Salvio plurimos Evangelicorum interfuiſſe, at nullam in
21. Apr. 1646. eis Catholici vocem auditam. Ipſum Lampadium permiſſæ ab Evangelicis Trautmansdorffio atque Oxenſtiernio tractandi poteſtatis conditiones expoſuiſſe, ne ſcilicet de quocunque articulo iſti tranſigerent prius, quàm conſenſum ſuum hi accommodaſſent; at iis ampliora mandata Catholicos dediſſe, credi non oportere. Et certè Trautmansdorffianis tabulis iſtos adſtrictos velle, à Svecis, viginti & quatuor annorum bellum, ſi eæ urgerentur, minitantibus, atque ab ipſis Evangelicis non uno in loco impugnatis, æquitati rationique adverſari.

XCIX.

XCIX. Hoc ſuffragatore erectiores Pontificii eo quoque ferociebant, quod poſt patratam cum Batavis pacem etiam cum Gallis proxime in gratiam Hiſpanos redituros ſpargebatur. Neque Sveci ſuam in eam rem curam diſſimulabant, Evangelicos, concordiæ inſtarent, ſæpius & intenta oratione inſtigantes, neglectis Cattorum turbamentis, ne de Imperii prius cauſis agerent, quàm cupitis Landgravia potita eſſet, idque Evangelicorum Delectis denunciarent, fruſtra orantium queſtusque miſcentium, non Svecicis ſcilicet tantùm commodis, ſed & Brandeburgii, Brunſvicenſium, & Meklenburgiorum nullo fœdere connexorum indemnitati proviſum, nulla Cattorum habita ratione, qui arma adhuc induti communem cauſam propugnent. 1647.

LIB. V.

SUMMARIA.

1. *Ulterior Evangelicorum Declaratio de Projecto Cæſareo Inſtrumenti Pacis.*
2. *Caſſellanorum turbamenta.*
3. *Longovillani Ducis abitus.*
4. *Catholicorum reſponſum ad Evangelicorum declarationem.*
5. *Conventus quorundam Catholicorum & Evangelicorum, ex ipſis Evangelicis quibusdam improbati.*
6. *Cæſarei Evangelicis novas conditiones afferunt.*

7. Pon-

7. *Pontificiis Conventus iſtos exprobrant. Saxonicus Electoralis iis abſtinere jubetur.*
8. *Congreſſus Cæſareorum cum Svecis.*
9. *Cum Electoralibus, Saxonicis & Brandenburgicis.*
10. *Reliquis Evangelicorum Deputatis.*
11. *Horum adverſus Catholicos querelæ. Iſtorum reſponſum; pactis Trautmansdorffianis ſtare conſtanter negantium.*
12. *Alius tractandi modus ab Evangelicis in medium allatus; Cæſareis, Catholicis, & tandem etiam Oxenſtiernio probatus.*
13. *Tractationis impedimentum à Saxonicis Electoralibus, atq; Gallis.*
14. *Tractatio rurſum ſuſcepta. Cauſæ nimirum adhuc controverſæ.*
15. *Punctus Juſtitiæ tractatus, & transactus.*
16. *In Puncto Avtonomiæ Cæſareorum conditiones.*
17. *Svecis & Evangelicis ingratæ; Evangelicorum moderata conſilia, & conditiones.*
18. *Svecis non adverſæ. Secus Cæſareis, & ceteris Pontificiis.*
19. *Poſt varias difficultates Punctus iſte tandem transactus.*
20. *Caſſellani de ſatisfactione ſua tractari petunt; Pontificiis & Cæſareis in Gravaminibus atque Amneſtia, præſertim Auſtriæ Exulum pergendum contendentibus. Punctus de Senatu Auguſtano, & de Compenſatione Brandenburgica ac Brunſvicenſi transactus.*

21. Re-

21. Renovata lis de ordine tractandæ Amneſtiæ Exulum, & ſatisfactionis Caſſellanæ. Svecorum conditiones pro Exulibus; Cæſareorum in ſatisfactione Caſſellana.

22. Evangelicorum & Catholicorum ad obſtaculum illud removendum conſenſus; neglectus à Cæſareis. Diſceptatio de Exulibus in aliud tempus dilata.

23. Nova Caſſellanorum Poſtulata.

24. Satisfactio Caſſellana in certis articulis transacta.

25. Continuatio Tractationis Amneſtiæ.

26. Cauſa Badenſis. Ejus origo.

27. Evangelicorum conſilium de transactione à Durlacenis ineunda.

28. Cauſa Badenſis proviſionaliter transacta.

29. Punctus Amneſtiæ usque ad cauſam Caſſellanam ſubſcriptus. Cauſa Exulum reſumta; atq; ejus difficultates. Ea à Svecis auro prodita.

30. Svecorum diſſimulatio pacti eam in rem initi. Evangelicorum contradictio.

31. Procerum de ea re conſultatio & ſententia Auſtriaci.

32. Ejusdem de ſatisfactione militis Svecici.

33. Ceterorum.

34. Deputatorum ab Ordinibus labor pro Exulibus apud Cæſareos initus.

35. Circuli Svecico, Cæſareo, & Bavarico militi adſignati; reliquis omnibus negati.

36. Ba-

36. *Bavarorum ultra poſtulatum.*
37. *De Reformatis, an ii ſub Pace Religionis comprehenſi? Affirmativa.*
38. *Negativa.*
39. *Lutheranorum de ea illis communicanda ſententia.*
40. *Tractatus de hac re. Lutherani Reformatos ad Pacem Religionis admittunt; at cum conditione non reformandi Lutheranos.*
41. *Rejecta à Reformatis; ad Svecorum opem confugientibus; à quibus non ex voto accipiuntur.*
42. *Suborta inde Quæſtio, an Jura Reformandi juri ſuperioritatis annexum ſit. Negativa.*
43. *Affirmativa. Sententia media.*
44. 45. *Continuatio Tractationis cum Reformatis.*
46. *Batavorum literæ ad Evangelicos pro Reformatis.*
47. *Reſponſum Evangelicorum.*
48. *Svecorum temperamentum, partibus non omnino ingratum. Variæ formulæ.*
49. *Nova Reformatorum poſtulata; rejecta à Lutheranis.*
50. *Brandenburgiorum Projectum; ab iſtis itidem repudiatum.*
51. *Aliam exhibentibus, Reformatis quoque tandem probatam.*
52. *Cauſa Reformatorum transacta. Electoris Saxoniæ Proteſtatio.*
53. *Projectum Cæſareorum novum Inſtr. Pacis.*

54. *Con-*

54. *Conſultatio Ordinum, de ſatisfactione militis.*
55. *Concluſum.*
56. *Oxenſtiernii ad illud declaratio.*
57. *De ea Ordinum ſententia; in ſpecie, de Puncto Executionis & Aſſecurationis Pacis cum Puncto ſatisfactionis militiæ jungendo.*
58. *Oxenſtiernii inſtantia.*
59. *Altercatio cum Bavaricis.*
60. *Continuatio tractationis de ſatisfactione militis Svecici.*
61. *Ordinum oblatio quatuor millionum; ſpreta.*
62. *Satisfactio pro milite ipſorum Caſſellanis flagitata.*
63. *Negata ab Ordinibus, & præcipue à Saxone impugnata.*
64. *Monaſterienſium contradictio, in puncto ſatisfactionis militis Svecici.*
65. *Oſnabrugenſes ſex tonnas florenorum offerunt; fruſtra.*
66. *Principum Curia quinque tandem thalerorum milliones Svecis certo modo decernit; adſentiente tandem Septemvirorum atque Urbium Collegio.*
67. *Sveci rem, non modum acceptant.*
68. *Monaſterienſium Decretum contra Conceſſionem iſtam; & Cæſareorum querelæ.*
69. *Oſnabrugenſium conatus, Gallicum quoque negotium Oſnabrugam Monaſterio trahendi; recuſante Servientio.*

70. *Et*

70. *Et multo magis Cæſareanis.*
71. *Inſtitutæ nihilominus iſtorum deliberationi intercedentibus.*
72. *Ordinum ad iſtorum obteſtationem reſponſum. Tractatio Oſnabrugæ abrepta.*
73. *Senatus Auguſtani renitentia contra transactam paritatem.*
74. *Evangelicorum Procerum literæ ideo ad Cæſarem.*
75. *Ad Senatum Auguſtanum.*
76. *Hujus reſponſum.*
77. *Continuatio tractationis de ſatisfactione militis, ratione ſolutionis & aſſecurationis.*
78. *Reginæ Sveciæ literæ excuſatoriæ ad Ordines.*
79. *Cæſareorum inſtantia ob ipſorum militem.*
80. *Termini ſolitionis cum Svecis conventi.*
81. *Notæ Svecorum ad noviſſimum Cæſareorum Inſtrumentum.*
82. *Continuatio de Amneſtia & reſtitutione Exulum Auſtriacorum; tandem transacta.*
83. *Singularis Catholicorum & Evangelicorum concordia.*
84. *Tractationis impedimentum à Cæſareanorum in Hiſpanos ſtudio.*
85. *Injectæ inde novæ quæſtiones difficultatesq;.*
86. *Ab Ordinibus ſolutæ.*
87. *Inſtrumentum Pacis à Cæſareis, Svecis, & Oſnabrugenſibus perfectum. De ſubſcriptione ſenatorum Regni Sveciæ.*

88.

88. *Inſtrumentum Pacis coram Ordinibus recitatum, Eorum ad id Monita.*
89. *Altercatio ob ſatisfactionem militis Caſſellani.*
90. *Deputati ex Ordinibus ad ſubſcriptionem Inſtr. Pac. Subſcriptio ob Gallos dilata.*
91. *Contentio de loco Pacem Gallicam tractandi. Oſnabrugenſium ſententia.*
92. *Lambergii Craniique reſponſum.*
93. *Cæſareorum Reſponſum. Oſnabrugenſium, etiam Pontificiæ partis, inde indignatio.*
94. *Monaſterienſium Proteſtatio contra Oſnabrugenſes.*
95. *Irrita. Declaratio Servientii ad Projectum Inſtr. Pac.*
96. *Procerum de ea ſententia.*
97. *Lis de immediatis Imp. Statibus Alſatiæ, Metis, Tulli, & Viroduni.*
98. *Tractatio Deputatorum cum Servientio.*
99. *Gallus Imp. Ordinibus adſcribi offert.*
100. *Procerum quorundam de dictis ſtatibus ſententia.*
101. *Salvii irritæ apud Servientium preces; & conſilium.*
102. 103. *An Alſatia Gallo cum qualitate ſtatus Imp. conferenda.*
104. *Electorum & Principum ſententia affirmativa.*
105. *Contra, Urbium.*

106. Cæſareorum cum quibusdam Urbibus ſermo & illecebræ; ob negotiationem Oſnabrugam non transferendam.

107. Fruſtra. Earum conſenſus de negotiatione iſta Oſnabrugæ ſuſcipienda.

108. Suſcepta. Declaratio ſtatuum in Puncto ſatisfactionis Gallicæ.

109. Salvio oblata.

110. A Servientio rejecta. Ejus adjecta Declaratio; ab Ordinibus accepta.

111. Ordinum litteræ ad Regem Galliæ.

112. De auxilio Hiſpanis à Cæſare contra Gallum ferendo. Electoralium ſententia.

113. Servientii reſponſum.

114. Approbatum à Salvio. Hujus temperamentum: Plerisq; Procerum probatum. Electoralium conſilium de re prius ad Cæſareos deferenda; diſſentiente Principum Collegio; cui & Electorales Urbesq; accedunt.

115. Formulæ transactionis de iſto Puncto.

116. A Servientio improbatæ. Illius formula.

117. Res hæc ex parte Ordinum transacta; cum reſervatione conſensûs Cæſarei.

118. Hiſpanica petiti Gallici de Circulo Burgundico à Paçe Imp. excludenda &c. Refutatio. Irrita.

119. Nova Gallorum Poſtulata; remiſſa. Inſtrumentum Pacis Gallicum obſignatum & depoſitum.

120.

120. *Oſnabrugenſium re confecta iter Monaſterium; & apud Cæſareos excuſatio.*
121. *Horum Reſponſum.*
122. *Servientii in Cæſareos ob ſtudium in Hiſpanos ſermones.*
123. *Cæſaris inpacem inclinatio.*
124. *Oſnabrugenſes ad accipiendum Cæſareorum Reſponſum unà cum Monaſterienſibus adeſſe jubentur.*
125. *Nota Cæſareorum ad inſtr. Pac. Gallicum, & de pace Oſnabruga confecta reſponſum dilatorium.*
126. *Ordinum è contra.*
127. *Cæſareorum ſecreta inde indignatio. Et ad iſtos reſponſum. Conſilia contra Cæſarem, pacem morantem. Jurgium inter Cæſareos & Bavaricos.*
128. *Colloquium Brunii cum Saxonicis.*
129. *Cæſareorum tergiverſatio.*
130. *Conſultatio cum Electoralibus & Hiſpanis.*
131. *Pacem Gallicam tandem acceptantium.*
132. *Nova ſignandi Inſtrumenti Gallici impedimenta, à Gallis, Svecis, remota.*
133. *Renata. Contentio inter Saxonicos & Brandenburgicos ab Juliaci Ducis titulum; ſopita.*
134. *Oxenſtiernius Inſtrum. P. Monaſterii ſubſcribere recuſat; tandem certis conditionibus annuit.*
135. *Dies ſubſcriptioni præſtituta.*

136. Ob Oxenſtiernium & Cæſareos dilata.
137. Pax tandem ſubſcripta.
138. Publicata.

I.

1648. ILluxit demum An. M. DC. XLIIX. qui, quanquam triſtioribus auſpiciis inierat, Germaniam longo adverſum Gallos Svecosque, atq; proprios Cives bello tandem, non tamen belli malis, abſolvit. Ediderant Evangelici Cæſareanis ſupremam ſuam de Tabulis Pacis ſententiam, qua, leviora quædam remittentes, cetera conventis cum Trautmansdorffio inhærebant, pactorum ſanctitatem, mandatorum Cæſaris reverentiam, dictorum factorumque conſtantiam, ſi toto Orbe perierat, Romano ſaltem Imperatori retinendam, dedecus Germanorum, ante quos nulli mortalium fide quondam habiti fuerint, aliaque acerba ſatis, non tamen omnino incongrua cumulantes. Cæſareæ auctoritatis veneratione atque fiduciâ tractationem (*x*) ſeſe aggreſſos, etiam à Trautmansdorffio majorem in ſpem erectos fuiſſe, rata habiturum Cæſarem, quæcunque Legati ipſius cum Svecis pepigiſſent. Et jam Lambergium olim Craniumque Evangelicos, ea de re ſollicitos, ſecuros eſſe juſſiſſe, nunquam Imperatorem conditionibus deceſſurum, quæ ſemel paciſcentibus utrinq; placuiſſent. Quin ipſum Cæſarem ſuis ad Saxonem, Brandeburgiũ, aliosq; Prin-

n. Jan. Vlterior Evangelicorum de Projecto Inſtrum. P. Cæſ. declaratio.

(x) *Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c. 196.*

Principes literis eadem teſtatum, ægre ſeſe ferre iſta Catholicorum reſcindendæ pactionis molimina, haud diſſimulaſſe, quibus ad meliora flectendis operam adhibere, ſuis præceperit. Nec etiam ipſis Catholicis integrum eſſe, obtento diſſenſu pactis ſe exſolvere, cum Cæſareanis conventis, in quos arbitrium controverſiarum ipſi contulerint, tranſigundi munere jam olim delegato. Quin oblatam poſtea tractationem reſpuiſſe iſtos, perinde id futurum cauſſatos, ſive ipſi ſive ipſorum adſenſu mandatoq; Cæſareani obirent negotium. Indignatum quoq; non poſtremi Ordinis inter Pontificios Legatum quendam, paucorum contentione publicam tranquillitatem tamdiu impediri. Ne ab unico quidem articulo diſcedere Cæſari fas eſſe, cui fidei nunquã temerandæ conſtantiam peculiari quadam indolis prærogativâ conceſſam eſſe, Lambergius atque Cranius prædicaverint. Declarando tamen ſuo ad avertenda belli mala reparandamq; pacem affectui, de ſuo jure non in uno tantum transactionis jam perfectæ capite, ſeſe remiſiſſe; reliquis eò conſtantius inſtituros, quo plura in ceteris paci condonarint. Inde ad ſuperſtites litium articulos digreſſi, præcipue Auguſtanorum, Confeſſionis ſociorũ, cauſam commendabant, quorum, & qui pari in *Urbibq*, uti appellant, *Mixtis*, conditione cenſeantur, deſideriis promovendis, ceterorum *Antegravatorũ* patrocinio deſtiterint. Mirari ſe Catholicorum 1648.

1648. rum auſteritatem, eo in negotio difficiles ſeſe exhibentium, quod neq; ad communem religionis, neq; privatam cujuscunq; cauſam pertineat. Sua certe, quanquam propinqui, nihil hic intereſſe, Bavarum faſſum, nec Pontificiis Urbis iſtius Civibus inde quid detrahi, eò ſolum intentis Evangelicis, ut pacis Auguſtanæ beneficio & iſti potiantur. Sine injuria Pontificiorum futurum fuiſſe, ſi illi multitudine prævalidi, etiam ex republica potiores ſibi depoſcerent partes; at ſtudio pacis contentos fore, in conſtituendo Senatu numero ſaltem coæquari, unico nimirũ remedio, quo Cives Evangelici, à Catholico Senatu *in opprobrium Confeſſionis* tantum non pedibus hucusque proculcati, in libertatem aſſerantur. Hæc aliaq; plura Evangelici, non adeo pronis Cæſareanorum auribus accepta; qui præſentibus Urbiũ Delectis, Argentinate, Ratisbonenſi, Lubecenſi ac Norimbergenſi, nunquam id à ſe impetraturos Evangelicos affirmabant, ut contra propoſitum tractationi finem, pingviori Jure qualemcunq; *Statuum* augeant, quàm quo Anno CIↃ IↃ XXIV. quisque gaviſus ſit. At verò tempore iſto, neq; Auguſtæ, neq; ceteris, pro quibꝯ jam iſti contendant, Urbibus æqualia Evangelicis cum Catholicis Senatûs Jura fuiſſe, neque, ſalva Religionis pace, introduci potuiſſe. Cæſarem certè ultra Anni CIↃ IↃC XXIV. modum nil conceſſurum, quem Reſtitutionis regulã ipſi Evangelici ſtatuerint. Non aliud

aliud diſcordantis Auguſtæ remedium eſſe, quàm 1648.
ut à Senatu Catholico tota regatur. Neq; enim intra æqualitatem conſtituros Evangelicos, multitudinis opumq;, quibus Catholicos præmineant, fiduciâ, patefacto ſemel aditu, cuncta tracturos. Ita nullum in Senatu Catholicis aliquando locum futurum, quem hactenus ferè totum ſoli impleverint; recenti ejus rei apud Ulmenſes exemplo, qui proximo anno mortuo Patritio, ſolo inter Senatores avitæ religionis retinente, ne expectato quidem ſolemni Senatûs legendi die, Evangelicum ſubrogarint. Neq; igitur conditionem ſibi imponi paſſuros Pontificios Auguſtanos, quam ſuis in Urbibus Evangelici detrectent.

II. Interea Catti, ne concordia cum Pontificiis prius ſanciretur, quàm votorum ipſi compotes fierent, ſolliciti, moram negotio injecturi, Oxenſtiernio, ut Oſnabruga Monaſterium proficiſceretur, perſvaſere, tanquam Gallos, cum Hiſpanis de pace tractantes, conſiliis adjuturo. Et abierat, ni Evangelicorum Delecti retinuiſſent, enarratis incommodis, profectionem eam comitaturis, &, ne abſentia ſua pacem prolataret, precati.

Caſſellanorũ turbamenta.

III. Non eadem precum apud Longavillanum vis, quem Galliam repetiturum, ne operi fini jam proximo præſentiam ſuam, maturandæ rei egregie profuturam, Evangelicis certioris fiduciâ ſpei, ſibiq; ipſi reſtitutæ Germaniæ quietis gloriam

Dux Longavillæ Gallicã repetit.

1648. invideret, exquiſita at irrita adulatione rogave-
rant, Avauxium, abſente Legationis Principe, nocentiorem metuentes; Duce eadem Collegarum atq; ſua mandata, Regis ſuamque ignominiam, ſi Monaſterii tam diuturno tempore inutilis irritusq; deſideret, neq; ſpem properi ſucceſſus, excuſante, tantâ (uti dicebat,) Hiſpanorum ſuperbiâ, ut de Cæſareanorum quoq; candore, pacis ſtudia amplis ſermonibus profitentium, non vanis conjecturis addubitent. Uſu ſeſe comperiſſe, Hiſpanos non incommoda concordiæ prolocutos, ubi ad ſcriptionem proceſſum fuerit, vim pacis eluſiſſe, verbis ſuſpenſis, &, quo ducerentur, inclinaturis. Quin Chiſio atque Contareno, ut ſincerius agerent, hortantibus, nulla in talem cum Gallis pacem ſibi mandata eſſe, aperto ſermone profeſſos. Brunium tamen Collegam Bruxellam demum, &, ſi opus foret, Madritum ablegaturos, nova juſſa relaturum. Neceſſarium igitur tuendo Gallici nominis ſuoq; honori abitum, ne remanendo tumidæ Genti pacem precibus emendicaſſe videretur. Adjecit in Cæſareanos probra, tanquam Proteſtantium cum Catholicis diſſenſiones cum gaudio habentes, adeoq; concordiã eorum nunquam bona fide procuraturos. Auſtriacæ Domûs, utrorumq; libertati inſidiantis, dominationi atque libidini utroſq; ſcil. ceſſuros, ni, omiſſis litibus, junctis conſiliis opibusq;, tam infeſtæ noxiæque ambitioni obſiſterent.

IV.

IV. Interea de Reſponſo Evangelicis redden- 1648.
do inter Pontificios conſultatum, quod per Mo-
guntinum, Bavarum, Bambergium, atq; Baden- Catho-
ſem, *Majorum votorum* inſcriptione, ut non o- licorũ
mnium noſceres (eaq; à *Pacificis* lata etiam Cæſa- Reſpõ-
reani ferebant,) Proteſtantibus exhibitum, & ad ſum ad
priorem fere formulam conſcriptum defenſio- Evan-
nem quoque continuit, fidem prioris tractationis gelico-
violatam negantium, ultimum perfectæve pa- rum
ctis robur nunquam ſortitæ. Atq; id à Cæſareanis Decla-
interpolatum, & in deterius mutatum ſuſpicio ratio-
erat, qui, ut omnem lapidem moverent, Electo- nem.
rales Saxonicos atque Bandenburgicos, Urbium- 24. Jan.
que etiam Legatos, ſeparatis colloquiis, ut ſu-
premis Catholicorum conditionibus adſentirent,
aggreſſi erant; minori apud Brandenburgios Ur-
besque ſucceſſu, promovendorum commercio-
rum aliorumque, quæ vel optare auderent, com-
modorum blandimentis fruſtra illectas.

V. At verò Proceres, cum quietem à Cæſarea- Con-
nis obtineri non poſſe perſpicerent, ſibi ipſi con- ventus
ſulturi, ex utroque tam Pontificiorum quam Ev- quorun-
angelicorum ordine quini, inde Reigersbergius dam
Moguntiacus, (Proteſtantibus quidem, ut in- Catho-
fectus Hiſpanicis ſtudiis, parum gratus) Ana- licorũ
thanus Trevir, Erneſtus Bavarus, Gobelius & Ev-
Bambergius, & Vorborgius Herbipolenſis; angeli-
hinc Leuberus Saxo, (quanquam novis acribus- corum
que reſcriptis ab Electore prohibitus,) Branden- 29. Jan. 18. *Dec.* 1647.

 bur-

1648. burgii Comes Witgenſteinius & Baro Lœwius, Altenburgii Thumshirnius & Carpzovius, Langerbekius & Lampadius Brunſvicenſes (poſtea Catholicis numeri exceſſum arguentibus, ſinguli ex quavis iſtarum Domuum,) & Otto Argentinas, Bojoari ſvaſu, quanquam non publicis auſpiciis, ſed ſua tantum auctoritate, eo tamen conſilio convenere, ut ceteris (nimiâ atque intolerabili in cives atque æquales arrogantia) in placituras ſibi leges conſentiendi neceſſitas fieret; quanquam ex Evangelicorum Delectis non deerant, qui Cæſareanorum Sveсorumque offenſionem, tùm Collegarum æmulationem atque invidiam, & ambiguam Pontificiorum, Bavari præſertim, fidem conſideranda proponentes, minus ſibi hanc tractandi rationem placere, haud diſſimularent.

Protoc. 28. Jan. Ex ipſis Evangelicis quibusdam improbati.

28. Jan. Cæſarei Evangelicis novas conditiones offerunt.

VI. Et verò Cæſareani, Conventus hos conſiliis ſuis incommodos turbaturi, advocatis Evangelicis, diſſimulatâ eorũ, quæ agebantur, notitiâ, novas in Amneſtiæ ac Gravaminum cauſis conditiones, *in formâ inſtrumenti* conſcriptas, offerre; ſi negatam reſtitutionem ante Annum M. DC. XXIV. moleſtias paſſis, Avtonomiam, Judiciaq; Imperii, quæ etiam in civilibus cauſis pari ex utraque religione Adſeſſorum numero componi Proteſtantes volebant, excipias, non ingratas. Easque, Electoralibus Saxonicis atque Brandenburgicis jam adprobatas, ſi etiam ceteri Evan-

Evangelicorum acciperent, ſe quoque conſtanti 1648. fide ſervaturos, omnibusq; opibus tuituros ſpondebant, nullius ex adverſo roboris futuras, ſi plura poſcere Proteſtantes auderent. His vero compoſitis, ceteris quoque conficiundis ſe non defuturos.

VII. Duriori in Pontificios, ut Cæſareæ Majeſtatis aliquantum tolerantiores, ſermone invecti, imminutamq; conventibus iſtis Auguſti poteſtatem exprobrantes, majorem in poſterum illi reverentiam haberent, jubentium ferme in modum hortabantur; recitatis quoque mandatis, quibus conceſſis acquieſcere, neque ob minora litigia, belli pretium non factura, pacem morari ab Electore Leuberus jubebatur. Atq; hic congreſſibus iſtis ſupremis Domini juſſis, indicio Reigersbergii (is, inter Moguntini miniſtros cooptatus, Domino, non ingenio mutatus, novos iſtos tractatus ad Cæſareos detuliſſe arguebatur,) Volmarum, ſi in biduum adhuc tractatio iſta duraverat, continuo abiturum fuiſſe, abſtinens, difficiliores Evangelicorum conſultationes efficiebat, Brandeburgiis Electoralibus præſidendi Senatum munus, præſente Oſnabrugæ Saxone, non ſumpturis ſibi, neq; Altenburgiis, ut minoribus, conceſſuris; Witgenſteinio quoq; ſuo periculo attonito, quem Lambergius ut contumacem, Dominiq; mandata ſupergreſſum, acriter objurgaverat, gravem quoque Cæſaris iram, ipſi poſteris-

Pontificiis Conventus iſtos exprobrant.

Leuberus iis abſtinere jubetur.

1648. riſq; ejus, ad extremum usq; exitium incubituram interminatus, niſi modeſtiam ac moderationem ſibi pacique capeſſeret.

2. Feb. Congreſſus Cæſareorum cum Svecis. IIX. Diſpar Cæſareanorum cum Svecis congreſſus fuit; Ii conventorum validitatem urgentes, Cæſareos, agnoſcerentne bonam publicamq; fidem? interrogabant; illisq; acerba quæſtione perculſis, & poſtquam animos collegerant, certis limitibus coërcitam à Catholicis poteſtatem ſeſe accepiſſe, neq; ſuum eſſe, invitos eos incommodæ transactioni adſtringere, prætexentibus; incommodum ſibi fore, Sveci reponebant, trium annorum operâ tractata compoſitaque nunc demum revocari, novisque articulis, Pontificiis à Cæſareis ſuppeditatis, pacem eludi infringive, *Vapulandos* (y) minati, qui juſta ipſorum poſtulata abnuant; Cæſareis, (z) *neque ſibi manus feriaturas*, regerentibus.

Cum Electoralibus Saxonicis & Brandeburgicis. IX. Et hi vocatis mox, quanquam ſeorſum, Saxoniæ & Brandenburgi Legatis, quæque cum Svecis egiſſent, narrantes, quam in ſententiam poſtrema à Dominis juſſa, ſibi quidem aliunde jam cognita, haberent? exquirebant. Reſpondit Leubero, ultimis Domini Reſcriptis non id ſibi præceptum, ut poſtremis Cæſareanorum legibus adſenſum præberet, cũ iſta ſcriberentur, Electori ad-

(y) *Sveci*: Man müſſe brav drauf ſchlagen. (z) *Cæſarei*: Sie wolten die Hände auch nicht in Sack ſtecken.

adhuc incognitis, cui negata Civibus Auguſta- 1648.
nis Evangelicis cum Pontificiis æqualitas, & Auſtriacis aliisq; Catholicorum ſubditis libertas credendi placere haud queant. Animoſius Brandenburgii, Svecorum æquitatem laudantes, non injuſta eos petere reſpondebant, ea ſibi ſervari depoſcentes, in quæ publica utrinque fide convenerit, Juri Gentium, atque tractatuum indoli innixi, qua ut non ſimul cuncta tranſigi poſſint, ita nullum negotiis exitum futurum, ſi, cum in ultimis partes hæreant, conceſſa jam transactaque reſcindendi poteſtas foret. Dolorem quoque ſuum teſtabantur, quod, velut Domini mandata egreſſi, ad oblivionem ſacramenti proceſſisſe, non obſcura criminatione incuſentur, ipſa Reſcriptorum (& offerebant ſimul Volmaro inſpiciunda) fide refellendâ. Multis dolendi materiem dediſſe Cæſareos, Pontificios atque Evangelicos, ſua ſponte ad concordiam inclinantes, tam ſalubri cœpto abſtrahentes, cùm, ut quondam, animare debuerant.

X. Eadem ab Evangelicorum Delectis Cæſareanis ingeſta, uti facere, quæ vellent, promtis, ita audiendi, quæ facerent, fermè adſvetis. Atq; ii, Imperatorem cuncta præſtiturum polliciti, quorum exequendorum Cæſari, Bohemorum Regi, atque Archiduci Auſtriæ facultas ſit, muneris tamen viriumve illius eſſe negabant, Catholicos ingratis pactis adigere. De Conventibus

Reliquis Evangelicorum Deputatis. 3. Febr.

Evan-

1648. Evangelicorum cum Catholicis non prius ſibi innotuiſſe, quam *Inſtrumentum* ſuum, à Reigersbergio Erneſtoque exorati, Svecis atque Proteſtantibus ediderint; quanquam honeſtius eos Cæſareanis nunciaſſent, Procerum Senatum more majorum moderaturis. Regeſſere Delecti, neque Pontificios neque Cæſarem contracta ſemel obligatione liberari ſe permiſſuros, quem à conceſſa Sileſiæ Auſtriæque infra Oenum ſitæ Proceribus in ſacris rebus libertate multum receſſiſſe, ex comparatione formularum appareat. Præſidendi munus jam à biennio, ex quo inter Evangelicos atque Pontificios congreſſus habiti, Cæſareis nunquam permiſſum, ut qui in cauſis, ad religionem ſpectantibus, partis vicem ſuſtineant.

Iſtorum adverſus Catholicos querelæ.

XI. A Cæſareanis dimiſſi, continuo ad Moguntini ædes Altenburgius, Brunſvicenſis, atque Argentinas divertere, ubi iſti & qui una forte aderant, Bambergio, Herbipolenſi, Oſnabrugenſi, Badeno & Aquisgranenſi, Evangelicorum moderationem, pacis amore ſtudioque plurimis priorum atque Trautmansdorffio probatarum conditionum decedentium, iſtorumque contra malignitatem objectabant, quod colloquia inter partes ipſi ſvadentes, mox turbandorum eorum (petito ſcilicet, quod innuimus, Inſtrumento) auctores poſtea Cæſareis fuerint. Rogare, ne tam proterve Proteſtantium Legatis illuderent, Catholicis honore atque dignitate æqualium.

Nega-

Negavere primum iſti, quidquam certi de Inſtrumento ſibi compertum fuiſſe, cujus pluribus articulis ne ipſi quidem conſentiant. At mirantibus Evangelicis Cæſareanorum Catholicorumque, tam contraria aſſerentium, diverſitatem, faſſus tandem Reigersbergius, Cæſareos de Inſtrumento illo ſecum contuliſſe ſermones, eosque, ut publici Juris illud facerent, ſeſe monuiſſe. De ceteris Trevirum & Bojoarum conſulendum. Et poſtquam conſuluere, excuſatâ, quæ penes ſe non eſſet, morâ, oſtentatoque pacis ſtudio, cujus deſiderio tam multa ex ſuo Jure remiſerint, nimios contra Evangelicos arguebant, quod in Trautmansdorffii Acta ipſos adigere velint, plenis mandatis nullisve finibus circumſcriptis nunquam inſtructi. Horumque non ignaros Proteſtantes in ipſo tractationis exordio caviſſe, ut pro non dictis infectisque cuncta haberentur, niſi de omnibus litibus tranſigeretur. Falſo eſſe Evangelicos, pacem ſuis ſuorumque Epiſcopatuum diſpendiis conſtare querentes, quæ Catholicorum, Pace Auguſtana & Reſervato Eccleſiaſtico nitentium, eſſe nondum deſierint. Inſtitutos nuper Conventus nullâ ſuâ culpâ, ſed propter Saxonem omiſſos, iis intereſſe recuſantem. Orabant denique, Catholicorum modeſtiam imitarentur, neq; peterent honori ipſorum atque religioni contraria. Avtonomiam præſertim, non civili minus quam ſacro ſtatui noxiam, deprecabantur, quam quan-

1648. 4. Feb. Pactis Trautmansdorffianis ſtare conſtanter negantur.

1648. quantumcunq; pactis firmatam, ſeſe admiſſuros conſtanter pernegabant.

Alius tractandi modus ab Evangelicis in medium allatus.

XII. Ita ſublato fere inter partes commercio, alium olim jamq; uſurpatum tractatibus iſtis agendi modum Evangelici iniere, ut ſcilicet colloquentibus Cæſaris atque Svecorum Oratoribus præſto eſſent ex Pontificiis Evangelicisq; Delecti, conſenſu, conſilio, monitis, ubi opus foret, tractationem adjuturi, in omnium aut iſtorum ſaltem, qui adſenſuri eſſent, concordiam valituram. Et perſvaſere ejus utilitatem Cæſareanis atq; Pontificiis Evangelici. Difficiliorem his Oxenſtiernium habuere. Is quippe, quamvis conſilium non diſplicere ſibi, neq; obſtiturum ſeſe oſtendiſſet, quominus Evangelici pactas cum Trautmansdorffio conditiones temperarent, mox tamen, non inſolitâ homini inconſtantiâ, & à Cattis ſtimulatus, utrumq; præfracte denegabat, nullam de Amneſtia Gravaminibusve tractationem prius ſe paſſurum aſſeverans, quam Militi Landgraviæque proſpectum fuiſſet, objurgatis quoque Evangelicis, quod, ſuis tantum rebus atque incolumitati intenti, Principem negligerent, quæ, Svecis fœdere juncta, non armis ignavius quam conſiliis cauſam communem propugnet. Neq; Delecti, curam militis Landgraviæq; non omittendam, occaſionis opportunitatem, Volmaro Catholicisq; Oſnabruga abeundi prætextum, Germaniæ ſalutem unius Domus votis haud

Cæſareis & Catholicis probatus,

Atque Oxenſtiernio 8. Febr.

Qui mox ſententiam mutat. 11. ejusdem.

haud impendendam, ipſius deniq; Oxenſtiernii 1648.
conſenſum, modeſte quidē, at fruſtra, memorantes, atque ad infimas procumbentes obteſtationes, alio reſponſo dimiſſi, quàm ût ad Cæſareanos irent, iſtorū hanc in rem ſententiam ad ipſum relaturi. Neq; tamen mitigabatur Oxenſtiernius, aliorum, ut credebatur, hortamento, proprioq; metu, de Svecorum exterminio inter Proceres 12. Feb.
agi; occupatus, cum Evangelici à Cæſareis reverſi, placere iſtis tractandi rationem referrent. Ne Salvii quidem precibus movebatur, eò usque impudentiæ provectus, ut, modo militis commoditati conſuleretur, cetera minori cura haberi poſſe, non obſcurè ſignificaret; Servientio etiam Comite hominis auſteritati ſuccenſente, qui Oſnabrugæ tum degens, preces, rationes, hortatus, nullo ſucceſſu, adhibuerat; nova inde atq; duriora ex Aula mandata veniſſe ſuſpectans, quæ Oxenſtiernio, ſuo ingenio præferoci, contumaciam adderent, non quidem aliò, quam obfirmando ad Cæſaris partes Bojoaro, profuturam, facile iis abſtrahendo, ni Svecorum rigor obſtaret. Victus tandem crebris Servientii obteſtationibus, tractationem permiſit, at certus propoſiti, nihil ex Trautmansdorffianis pactis remittere; anxiis viri pervicacia Proteſtantibus, adeo ad ſervilē uſq; obſequium demiſſis, ut ne ſuarum quidem rerum compotes cedendorum, quæ vellent, Jurium arbitrium retinerent; grandi patientiæ do-

Tandē tamen à Servientio perſvaſus conſentit.

1648. cumento,cum, ſicut ubi cum Cæſareanis agebant, viderent, quid ultimum in libertate eſſet, ita illhic, quid in ſervitute, ademto per Svecos tractandi agendique commercio. Tanta illis diverſitas inerat, licentiæ patientiæque; quanquam ad libertatem jam etiam ii proclamaturi videbantur, quibus flagrantior adhucusq; in Svecos affectus iſtam humilitatem perſvaſerat, uſurpaturi eam, ſi paci obniti illi perſiſterent.

Tractationis impedimentū à Saxonicis Electoralibus.

XIII. Jam diem colloquio Cæſareani Pontificiiq; dixerant, cum Leuberus, accepto iterum ab Electore mandato, (is cunctorum ad hunc Reſcriptorum exempla Cæſari mittebat, teſtificando, quam honeſta præciperet,) ne ullis congreſſibus ſeſe immiſceret, ubi Sveci adeſſent, neve Catholicos ultra conceſſa urgeret, vetitus, negotiū interturbare; hærentibus ideo Pontificiis, tractatusne cum Evangelicis ſuſciperent, quibus nullus ex Proteſtantium Septemviris intereſſet, Brandeburgiis, quod ob præſentiā Saxonis Senatum Evangelicorum præſidere, & rurſum Altenburgium ſequi dedignabantur, comparere renuentibus.

Atque Gallis.

Galli quoq;, dum nimium promovendæ rei ardorem oſtentant, impedivere, Groulartum colloquio admoveri cupientes, moderatiora conſilia, Galliæ etiam, ubi materies ferret, exemplo ſuppeditaturum; recuſantibus Cæſareanis, quibus Evangelicorum de Saxonis Reſcripto ſententiam, tùm Pontificiorum Oſnabru-

gen-

genſium poſt acerbas Monaſterienſium literas 1648.
(iiſque jam Salisburgius perpetuæ *Legationis à latere* dignitate Romanæ ſedi magis obnoxius nutare dicebatur,) inclinationem, & ex Aula reſponſum ad relatas illuc Svecorũ minas, opperientibus, omnes tardandi negotii occaſiones non invitis obveniebant.

XIV. Remotis tandem hiſce obſtaculis, in Svecorum ædibus Cæſareani, Evangelici, & ex Pontificiis Moguntinus, Trevir, Bojoarus, Bambergius, Herbipolenſis, Badenus, Spirenſis, atq; Oſnabrugenſis, quem vocant, *officialis*, primum convenere. Et tractus in ſpem ipſe dies, qui *Concordiæ* ſacer felicem exitum negotio portendere videbatur, quod ſopiendis diſſidiis ſumtum læti nominis die auſpicium ceperat. Placitum eo congreſſu, ut Conventus iſti apud Cæſareos Svecosque alterna vice inſtituerentur, atque ea, quæ quovis colloquio agerentur, Cæſareani Catholicis, Sveci Proteſtantibus, iisdem ædibus, at diverſis in conclavibus interim moraturis, referrent, pro nullis habenda, niſi ceteris quoq; controverſiis compoſitis pax redderetur, quam tamen *ſingulorum* vota utilitatesve impedire non deberent; tranſacta partium manu firmarentur, iisq; inde recedere nefas eſſet. Iſtud præterea Cæſareani poſtulabant, ut non niſi de *Cauſis Sulzbacena, Durlacena, Saynio-Witgenſteiniana, de Auguſta Vindelicorum, &, quæ paria querantur cupiantve,*

Tractatio rurſum ſuſcepta. 18. Feb.

Cauſæ adhuc controverſæ.

1648. *ve, Urbibus, tum Aquisgrano, oppignorationibus Imperii, Juribus ſubditorum, Regno Bohemiæ aliisque Auſtriacorum ditionibus, & emendanda denique Juſtitia*, tanquam controverſis adhuc tractaretur, quæ contentionum capita ita tamen
11. Jar. Cæſareis Evangelici exhibuerant, ut cetera ad ipſos Conventus remitterent. At recuſabant id Sveci, Trautmansdorffianæ obligationis retinentes.

Punctus Juſtitiæ tractat. XV. Poſthæc prima de Juſtitia diſceptatio fuit, Evangelicis, ut Tribunal Spirenſe pari ex utraque Religione numero conſtitueretur, aliaque Civium æqualitati congrua flagitantibus, cui ſatis conſuli Cæſareanis exiſtimabant, ſi Evangelico ex quacunque cauſa cum quocunque litigaturo Judices dentur, ex utroque ordine æqualiter adlecti. Ceſſere tamen Evangelicorum conſtantiæ, ut quatuor Præſidibus, duobus eorum Auguſt. Confeſſioni addictis, quinquaginta Aſſeſſores adderentur, quorum ſex & viginti Catholici, reliquos Evangelici conſtituerent, & pari ex utriſque numero judices darentur, quando de quacunque Evangelici cauſa quæſtio foret; adjectis aliis, firmandæ juſtitiæ, &, quæ reſtabant,
Transactus. 2. 22. Mart. ad Comitiorum disquiſitionem remiſſis. Subſcripſere conventis, (idque etiam in reliquis transactionis capitibus poſtea ſervatum,) Cranius, Salvius, Reigersbergius, & Thumshirnius, Cæſareorum, Svecorum, Catholicorum, atque Evan-

Evangelicorum nominibus, magno horum gau- 1648.
dio, qui, ut ipſi fatebantur, plus quam ſperare auſi eſſent, adepti, atque quod prima provenerant, alacriores, neque in ceteris adeo parcos rati, iſta tam liberaliter largitos, Judicem quoque, (den Kammer-Richter) Fiſcalem, ejusque Advocatum, alterna ſerie Evangelicos, tum ceterorum quoque nominum officia miniſteriaque ſuis communia depoſcebant, comiter à Cæſareis atque Moguntino auditi eluſique.

XVI. Calenti ita negotio Groulartus moram injecit, qui inſtigatus à Svecis, & à Memmio atque Servientio juſſus, ne tractatione avelli pateretur, cui ex Cæſareis Volmarus Gallicis rebus deſtinatus intereſſet, admitti inſtanter poſtulabat, donec à Vorburgio atq; Hehero perſvaſus, ut abeſſe ſuſtineret, locum Tractatibus, & quæ tum agitabatur, de Avtonomia quæſtioni redderet, iis quidem difficultatibus implicitæ, ut, abrupta pacis ſpe, novum atrociusque bellum imminere videretur. Obtulerant Cæſareani Svecis eas conditiones, ut ſacrorum ſive publicorum ſive privatorum copia Catholicis Evangelicorum, pariterque Evangelicis Catholicorum imperio ſubditis, maneret, Anno M.DC.XXIV. vel pactorum vi, aut beneficio Privilegiorum, ſeu longo deniq; uſu, facultate iſta gaviſis, reſcindendis conventionibus, ab Anni iſtius forma diverſis, à Principibus Proceribusque cum Civibus ſuis initis, earum

In Puncto Avtonomiæ. Cæſareorum conditiones. 24 Febr.

1648. numero eam quoq; accenſentes, quâ Brunſvicenſes Duces de religionis libertate Nobilibus aliisq;
Anno 1643. Epiſcopatus Hildeſienſis incolis, iſtis in LXX. his in XL. annos permittenda cum Epiſcopo ſanxerant; ceteris tamen ejus articulis ſalvis, atque integris etiam pactis, de religionis uſu inter Senatum Populumq; Erfurtenſem cum Sviccardo Moguntiæ Archiepiſcopo quondam conventis. Ceteris Procerum ſubditis migrandi, ſi illi juberent, neceſſitas imponebatur, dando triennii ſpatio rebus domeſticis componendis. Sileſiis, Brieggæ, Lignizii, Munſterbergiæ, & Oelſæ Ducibus, Civitatiq; Uratiſlaviæ gratia firmabatur, A. M. DC. XXXV. à Cæſare collata. Ceteris Sileſiæ Auſtriæque inferioris iſto, quo hæc tractabantur, tempore eam incolentibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibusq;, quanquã ad Cæſarem, *tanquam Principem per ſe abſolutum & liberum*, Jus de religione ſtatuendi non minus, quam alios Reges, Principes, Imperiique Proceres pertinere dicerent, manendi tamen gratiam, non in pacti vim, ſed teſtando, quantum Principibus pro iis deprecantibus Auguſtus tribueret, largiebantur, aut, quando abire mallent, rerum ſuarum inſpiciendarum licentiam.

Svecis & Evangelicis ingratæ. XVII. At leviora hæc erant, quam ut Svecis ceteriſque Evangelicis ſatisfacerent; iſtis Auſtriacos Evangelicæ Religioni addictos deſerturos ſeſe pernegantibus, quorum etiam cauſa

Germaniam Rex ingreſſus ſangvinem vitamque profuderit. Neque aliam filiæ mentem eſſe. Et adfuturum Deum meliori cauſæ, atrociſſimæ injuriæ adverſus Cæſarem ultorem, ſubjectis ſibi Jura auferentem, multo ſangvinis aurique impendio quondam ab iſtis comparata. In moderatiora tamen abibant Evangelici, qui, quanquam Cæſaris pervicaciam deteſtantes, Deumque cauſæ ſuæ invocantes vindicem, ultima in miſerorum opem tentari non gravarentur, bellum tamen deprecabantur, quod in extremum Religionis Patriæque exitium protrahi, ne Exules quidem cupituros ſperent, non inſcios, quot mala Germaniæ quæſita hactenus ipſis ſalus intulerit, ſatis habituris, ſi, ſervato integro Jure, præter honeſtam ſepulturam, aliquorum ſaltem templorum uſu potiantur, Viennæ quoque iis præſertim concedendo, qui Imperii Procerumve cauſis tractandis urbem iſtam Aulamq; frequentent. Sileſiæ tamen incolis, etiam nullo nobilitatis gradu eminentibus, ad transactionis cum Saxone initæ formulam religionis gratiam faciendam, neque ea Reformatos prohibendos ipſi quoque perſiſtebant. Ceterum illud non parum diſplicebat, quod Imperatorem abſolutum Provinciarum ſuarum Principem appellantes Cæſareani, cum Regibus ſui Juris, incongrua & in Imperii detrimentum quæſita comparatione, compoſuiſſent.

1648. 26. Feb.

Evangelicorum moderata cõſilia. Et Conditiones allatæ.

1648\. *Svecis non adverſæ.* XIIX. Admiſere conſilium Sveci, quanquam oſtentando in Exules affectui, & derivandæ, ſi negligerentur, in eos, qui molliora conſulerent, invidiæ, Reginam vel Diadematis Sceptrique periculo cauſæ tam piæ adſerendæ, promtam jactitarent; meliora ſe de Cæſareis ſperare addentes, quam ut acerbiora in Imperii ac Hungariæ incolas decreturos exiſtiment, centum rurſus, ut dicebant, templis donatos. *Secus Cæſareis.* At negarunt Cæſarei, arbitrii ſui eſſe, quidquam Auſtiacis Civibus ſupra conceſſa largiri; Sileſiis tamen, etiam plebejis, libertatem religionis promittebant, cui exercendæ in Javeræ, Glogaviæ, & Schweidnizij Ducatibus templa permiſſura eſſet *Auſtriaca Domus, ſui Juris, neque imperio cujusquam obnoxia.* De Reformatis alia Mandata opperiunda obtendebant, quos ne Sveci quidem tolerent. Denique, ante tranſactam hanc controverſiam, ultra ſe in ceteris cauſis progreſſuros, negabant, cum illis magis turbandis Biſantinus, Sabaudus, & ceterorum Pontificiorum plerique Oſnabrugam advenirent; *Et ceteris Pontificiis.* Treviro quoque, Colonienſi, Bojoaro aliisque ad Anni M.DC.XXIV. uſum religionis libertatem in terris ſuis redigi detrectantibus. Prolixæ tamen verſus Cives ſuos, Auguſtanam Confeſſionem amplexos, benignitatis ſpem per Reigersbergium faciebant, omnes illorum queſtus excluſuræ. Publico ſcilicet tantum pacto obligari abnuebant, plura, ut præferebant, ſponte conceſſuri.

XIX.

XIX. Sæpius iterati inter Cæſareqs Svecosq; congreſſus, tanta iſtorum rigiditate, ut Religionem Evangelicorum Auſtriacis Provinciis exturbare non contenti, etiam Proteſtantium Procerum Svecorumque eam in rem conſenſum Pacis Tabulis adnotari flagitarent, negantibus illis, tanto ſeſe facinore obſtricturos, ut expreſſo adſenſu eorum calamitatem adprobare vellent, quibus potius Jura ſua reſervari, idque publicis tabulis adſcribi contendant. Neque aditi rogatique ab Altenburgio, Cellenſi, Wetteravio, atque Argentinate Catholicorum Delecti, ut auſteritatem Cæſareanorum ſuis hortatibus mitigarent, aliud quam formulam retulere, qua, Tabulis inſerenda, rogandi, ſi vellent, in proximis Comitiis Cæſaris poteſtatem Proteſtantibus faciebant, plura forſan pro religionis popularibus, *hereditariorum Regnorum* incolis, exoraturis. At ea Evangelicis non ſenſu ſuo tantum, ſed & *Regnorum hereditariorum vocabulis* improbabatur, Germaniam quoque iis ſignificari, nimiâ fere libertatis curâ formidantibus. Præcipuè, Cæſareanis nullam honeſtæ pacis cupidinem eſſe quiritabantut. Eorumque querimonias atque criminationes etiam Pontificiorum præcipui adjuvabant, iſtorum pertinaciam & Hiſpanica conſilia arguentes. Atq; novam cum illis Evangelici diverſamq; transactionem meditabantur, ni de Colonienſi Bavaroq; ſollicitudo obſtitiſſet, iſto novem 1648. 28. Feb.

1648. Hildeſienſis Epiſcopatus Cœnobia, hoc ſuperiorem Palatinatum nullo peregrinæ Religionis cultu profanari, aut Catholicis inferiorem habitantibus ſuæ quoque exercendæ copiam poſtulantibus. Tentavere tamen Saxones ac Luneburgii novas Catholicis conditiones perſvadere, iis quoque, qui non pactis, non privilegiis, neque longo uſu, ſola Dominorum patientia, domeſtico cultu diverſam ab imperante religionem exercuiſſent, veterem libertatem adſtruentes. In ceteris non difficiles ſeſe præbebant, Colonienſi ſuorum Monaſteriorum arbitrium facientes, neque ultra quinquennium iis, qui hactenus ſive ſub Catholicis ſive Evangelicis degerint, (præter iſtos nimirum, quibus ſacrorum licentiam adſerebant,) poſt promulgatam verò pacem eò migraturis, trium annorum ſpatium flagitantes, quo, ſive ſua ſponte, ſive juſſi iis abſcedant, rebus ſuis providere queant. At turbavere Cæſareani deſtinatos jam Pontificiorum cum Evangelicis congreſſus, Bojoari atque Herbipolenſis audaciam incuſantes, quod publicos tractatus privatis conventibus impedire auſi fuiſſent. Conventum tandem, poſt aliquot dierum & verborum magis quàm rerum diſceptationem, eas in leges, quas ex ipſis pacis (*a*) Tabulis petent, quibus Religionis Germanicæ ſtatum propius inſpicere libuerit.

Novi inter Pontificios & Evangelicos tractat' tentati.

Turbati à Cæſareis.

Punctus Avtonomiæ tranſactus. 8, 18. Mart.

XX. At ne unquam ſine turbamentis negotium

(a) *Inſtr. Pac. Svec. Art. V.*

tium procederet, reliquas lites tractaturis Catti interceſſere, de utilitatibus ſuis eò magis ſolliciti, quod iniquas præter ipſos fermè omnes agnoſcerent. Hinc Svecos induxere, ne de alia priùs cauſâ, quam ipſorum, Sveciciq; militis ſatisfactione, (ut ſcilicet ſociata cum iſtis vota validius protruderent,) agi paterentur; Pontificiis contra, niſi abſolutis Amneſtiæ atque Gravaminum Capitibus, ad alia progredi renuentibus. Eadem Cæſareorum ſententia, qui, de Exulibus Auſtriacis tractationem inſtitui cupientes, incongruum Cæſarisq; honori adverſum judicabant, poſt Cattam demum cenſeri. 1648.

Caſſellani de Satisfactione ſua tractari petunt.

Neque tamen ceſſere Sveci Evangelicis, placitum ſemel ordinem, Principum Procerumq;, quorum incolumitas ex Amneſtia Gravaminumque remediis pendeat, reſpectum, aliaq; fruſtrà ingerentibus; donec Catti, invidiam lenituri, quâ ut quietis publicæ turbatores etiam apud amicos laborabant, poſtulato deſiſtentes, Svecos quoq; mitiores redderent, eo ſucceſſu, ut non multorum dierum labore de Senatu Auguſtano, Biberacenſi, Ravenſburgio atq; Dinckelſpilano, tùm compenſatione Brandenburgica atque Brunſvicenſi (*b*) transactum fuerit.

Pontificiis & Cæſareis in Gravaminibus atque Amneſtia pergendũ contendentibus, præſertim Auſtriæ Exulũ. Puncta de Senatu Auguſtano &c. it. de Compenſatione Bran. deb. &c

XXI. Verum rediere mox vix ſepoſita jurgia, illudq; ſolenne pacis obſtaculum, Cattorum ſatisfactio, certis propoſiti Cæſareanis, nullam ante de

(b) *Vid Inſtr. Pac. V. 2. & XI. XIII.*

1648. de ea tractationem inire, quàm de Exulibus Auſtriacis lis ad ipſorum libitum compoſita eſſet, ad omnes ferè Cæſaris miniſtros (iſtorum ſc. ſpoliis ditatos,) eam pertinere dictitantibus.

Brunſvic. transactus. 9, 11. 19. & 1 Mart. Dederetamen Procerum precibus, ut ipſi leges pacandæ Cattæ Saxonicis atq; Brunſvicenſibus, eodem pene tempore, quô Sveci ſuas de Exulibus, (utriq; ſcriptas obſignatasque,) ederent.

Renovata lis de ordine tractandæ Amneſtiæ Exulum, & Satisfactionis Caſſel. 16 Mart. At eæ utrinque tales erant, ut tardando negotio, non promovendo, concinnatæ viderentur, hinc Svecis omnibus, cujuscunque belligerantium caſtra partesve ſecutis, veniam dari volentibus; iſthinc Cæſareanis tertiam tantum Marburgenſis ditionis partem, Abbatiam Hirsfeldenſem, quatuor Schauenburgici Comitatus Præfecturas, & ccccIↄ. thaler. Caſſellanis offerentibus, pauciora, quàm ut Cattorum deſideria explerent, qui

Svecorum conditiones pro Exulibꝰ. Cæſareorum in ſatisfactione Caſſel. 18. ejusd. poſtulatorum in ceteris conſtantes, octo adhuc thal. myriades â vicinis Principibus Catholicis flagitabant, cum decem antea petiiſſent. Et redintegrato inter partes congreſſu, quinq; horarum altercationibus nihil promotum, Cæſareis ne verbum quidem de Caſſellanis audire ſuſtinentibus, niſi diſſidio de Exulibus iis modis confecto, quos ipſi ſtatuerant,

Evangelicorum & XXII. At Evangelici, quæcunq; pacis turbamenta cum formidine habentes, exſolvendis his tricis Catholicos adgreſſi, ut junctis ſecum precibus mitiora Cæſareis perſvaderent, neq; irriti oravere,

vere, favorabili illorum reſponſo, ſopitis jam praecipuis Ordinum litigiis, in commune conſulendum, & extinctis partium diſſidiis unum Reip. corpus differentium, civium concordia, reliquarum etiam controverſiarum transactione, ſi alii cunctentur, propriâ operâ firmandâ, tuendũ; non Svecorum minori, quam Auſtriacorum, ſollicitudine, quorum apud diſſidentes major auctoritas adverſus concordes minus valitura timebatur. At reſpuebant Cæſareani, quodcunq; pro Exulibus faceret, conſilium, bellum potius habituri, internis, uti dicebant, tumultibus melius, quos recepti terris Auſtriacis Exules, xx. aut xxx. cIↃ. numerum egredientes, excitaturi forent, quoties novarum rerum lubido, aut obſequii tædium inceſſeret. Illud tamen permiſere, ut, remiſſa in aliud tempus rei iſtius diſceptatione, de conditionibus tractaretur, quibus Cattæ quies placere poſſet.

1648. Catholicorum ad obſtaculũ illud removendũ conſenſus. Neglectus à Cæſareis.

XXIII. Coiere in hunc finem Cæſareani cum Svecis, at absq; fructu, cum iſti ultra cc. cIↃ. thal. conceſſis cccc. cIↃ. ſuperaddita aliquid largiri recuſarent, Catti tam pauca acceptare dedignarentur, paci haud conſenſuri, niſi præter Abbatiam Hirsfeldenſem, & quatuor Schauenburgi præfecturas, â Darmſtattino Comitatum Cattimelibocenſem inferiorem, partem, quam vocabant, Caſſellanã Urbis atq; Præfecturæ Umſtadienſis, Rens, Dynaſtiam Schmalcaldiæ, & ſemiſſem

Diſceptatio de Exulibus in aliud tempus dilata. 21 Maſt. Nova Caſſelanorũ poſtulata.

1648. ſem Marburgenſis hæreditatis, ex Epiſcopatibus verò Moguntiaco, Colonienſi, Paderbornenſi, Monaſterienſi, Fuldenſique Abbatia octo thalerorum myriadas, & cautionis loco quatuor Moguntinæ ditionis oppida in Haſſiâ ſita, atque dimidiam comitatûs Arnsbergii partem cum oppida in Haſſiâ ſita, atque dimidiam comitatûs Arnsbergii partem cum oppidis Winterberg, Medebach, & Hallenberg, ac præfectura Rogkenſtul, (ante in proprietatem petita) Antichreſeos Jure, in quinquaginta annos nanciſcerentur, poſtulato quoque militi ſuo ſtipendio externis ſeſe Regibus æquantes. Neque de ſumma modo flagitatæ pecuniæ, ſed & debitoribus ejus, diſceptabatur, Caſſellanis ab iis, quos retulimus, LIGÆ ſcilicet ſociis, autoribusque acceptarum calamitatum poſcentibus, omiſſis Brandenburgio, Neoburgio, Darmſtattino, Friſiæ Orientalis atq; Wetteraviæ Comitibus, ſi vicinia ſpectaretur, obligationis correis.

XXIV. Adierunt Moguntiacum, Colonienſem, Bojoarum, & Herbipolenſem Saxonici atque Brunſvicenſis, (hi cunctaEvangelicorum munia in ſe traxerant, pares Jure, at audendo potentiores,) remedium malo quæſituri. Et placuit, ut exemto huic oneri Brandenburgico, ne ceteri quidem, LIGÆ non immixti, Tabulis pacis nominatim compellarentur, & pecuniæ, à Cattis ex propinquis Epiſcopatibus ultra LX. cIↄ. thal. in ſingu-

ſingulos menſes poſt pacem confectam acceptæ, 1648.
in ſummam computarentur. Quod, utut Cattis non arrideret, cum Cæſareanis Galli quoque ac Sveci probabant. Confectum tandem Bojoari maximè, Saxonum atque Brunſvicenſium operâ, de ſatisfactione (c) negotium, ceteris Cattorum deſideriis, & Marburgenſis præſertim ſucceſſionis controverſia, Caſſellam remiſſis, quò tum major natu Darmſtattini filius acceſſerat, Erneſto Saxone conciliatore cum agnato Principe transactu- rus.

Satisfactio Caſſellana in certis articulis transacta. 29 Mart.

XXV. Interea, ne qua pars temporis labore vacaret, Saxonici atque Brunſvicenſes Amneſtiæ cauſam, Salvii Groulartique conſenſu, neque Volmaro multum adverſante, cum Meelio, Krebſio, atque Vorburgio prætractandam ſuſcepere. Satis feliciter jam progreſſis de Svecis rumor innotuit, integras pacis tabulas â Cæſareanis poſtulaturos, eo nimirum conſilio, quo leviter percurſis Imperii rebus brevius iter ad extorquendum pro milite ſtipendium ingrederentur. At deprecati iſti noxium paci conſilium, Salvii tandem auctoritate pervicere, ut Oxenſtiernius, quanquam commoto vultu primùm recuſaret, cœptos conventus continuari permitteret. Cæſareanos videlicet nimiam Pontificiorum cum Evangelicis concordiam, ut aſſerendo pacis arbitrio, & auctoritati Cæſaris imminuendæ contractam, haud obſcu-

Contin. tractationis Amneſtiæ. 30. 31. Mart.

3. Apr.

(c) *I. Pac. art. XV.*

1648. obſcuris verbis Bojoaro objectaſſe comperetant; ne Catholici inde redderentur remiſſiores, ſolliciti. Et quanquam hic, Procerum animi atque muneris eſſe, repoſuerat, quieti providere, ſi moris tantum nectendis alii ſtudeant, metus tamen ſuberat, ne Pontificii, crebris iſtorum exprobrationibus defatigati, timidius paci conſulerent.

Cauſa Badenſis. XXVI. Plurimum negotii collocutoribus Badenſium Marchionum controverſia faceſſebat, inde primum olim exorta, quod Eduardus Fortunatus, Badenſis familiæ Princeps, (is, ejuratâ Auguſtanâ Confeſſione, ad Romanam Eccleſiam defecerat,) ductâ in matrimonium Mariâ, Jodoci Eichenii (von Eicken) Rivieræ Domini, Bredæq; Gubernatoris filiâ, dubiam ſucceſſionem filiis ex eâ ſuſceptis effecerat, Georgio Friderico Durlaceno Tutore indignos tanta hæreditate pupillos prætexente, qui impari matre prognati dedecere Marchionum Badenſium imagines videbantur, Catholicæ etiam Religionis odio onerati. Hinc impuberibus Eduardi filiis Patrimonium abnuente reſtituere, illoque cupidine peregrinos locos noſcendi extra patriam vivente, Bavarus primum atque Lotharingus, jubente Rudolpho Imperatore, ſortiti provinciam, qvi eam interim regerent, æris alieni nomine, & ne Creditoribus alioquin tota cederet, à Durlaceno occupatam. Plurimæ quidem, at in caſſum, componendo diſſidio rationes tentatæ, donec Durlacenus ſuperiorem

Origo ejus Controverſiæ.

Mar-

Marchionatum unà cum fructibus perceptis aut 1648.
percipiendis, & impenſis in litem ſumptibus, Eduardinis liberis Imperatoris Decreto, Caraffæ Pontificis Nuncii (c), reſtaurandis in Germania Romanis Sacris intenti, crebris precibus atque hortamentis inſtigati, reſtituere juſſus, cum à *Cæſarem malè informato ad melius informandum* 22. Aug.
tertium fruſtra provocaſſet, in Danorum & Gal- 1622.
lorum poſteà Svecorumque partes tranſiit, variis adverſæ ſecundæque fortunæ caſibus ludibriisque jactatus.

XXVII. Neque Oſnabrugæ, ex Friderici voto, unici ex tribus Georg. Friderici filiis, paternæ ſpei hæredis, negotium procedebat, prævalido Eduardinorum favore, & Evangelicis neceſſitatem temporum Durlacenis excuſantibus, ſuos Svecorumque labores memorando, quos Cæſareis ac Pontificiis ad molliora flectendis trium jam annorũ at inutili conatu inſumſerint. Neque blandimentis neq; objurgationibus fermè peperciſſe, ut pingviores pro Friderico conditiones elicerent; negotium certè nõ minori geſſiſſe induſtria, ac ſi ad propriam ſuam incolumitatem pertinuerat. At qvando jam nullum ex cunctatione emolumentum, certo contra, nî properè ſubveniatur, Patriæ excidio, & Catholicis ad decus ſuum trahentibus, ſi Principum ſecularium acceſſione augerentur, ideoqve acrius pro Eduardinis tendentibus, nul- Evangelici Durlacenis transactione ſvadent.

Oo

(c) *Caraff. Germ. ſacr. p. 152.*

1648. lo contra à Gallo, quanquam Durlaceni ſocio, ſubſidio, incommodum ſibi, in Principis inermis gratiam, neq; protegendæ ſuæ cauſæ idonei, perire, promtis præſertim remediis, ignem reſtingvere, ni cohibeatur, cuncta pari violentia populaturum. Afferret ipſe, quibus abſque bello Principem ſuum juvari poſſe exiſtimet. Non quidem ſive accipiendi oblatas ab adverſario conditiones, ſive adſpernandi, & ad Amneſtiam provocandi, ſeſe Durlacenis auctores fore. Illud ſaltem monere, non aliam ex hac utilitatem proventuram, quam ut Fridericus, poſſeſſionem rei litigioſæ beneficio iſtius adeptus, omnibus Adverſarii actionibus pateat, quarum amica diſceptatione declinandarum exigua ſpes, Badeno, quippe potentiori, atque Galli Bavarique favore ſubnixo, nihil remiſſuro; & ſi judicio contendere velit, ambiguam victoriam, neque aliter, quam oſtenſo Eduardinis Natalium vitio, (*Illegitimitate*) cujus difficilima probatio, obtinendam. Unicam armorum viam reſtare, at ſoli Friderico ambulandam, omnibus tam diuturni belli pertæſis, pacique æqualibus votis intentis.

6. April. XXIIX. Tentatum quidem à Saxonicis, Brunſvicenſibus atq; Argentinate, meliores à Cæſareanis, (eos vigeſies jam ſuper ea re aggreſſi Sveci adire ulterius dedignabantur,) conditiones exorare, at eodem, ut hactenus, fructu, contraria man-

mandata, primos injuriarum auctores Durlacenos, occupato alieno patrimonio, atq; per viginti & octo annorum iniquitatem, ipſi Sveciæ Regi improbatam, ad LXXIII. auri *tonnas* juſtis Dominis præreptas, ac ſatis jam ab Eduardinis remiſſum regerentibus. Jamq; certæ Amneſtiæ leges videbantur, cum præter Witgenſteinium Comitem de Saynenſi Comitatu cum Loyſa Juliana, Erneſti Saynenſis vidua, contendente, defuncto filiolo Ludovico, filiarum Erneſtinæ & Joannettæ nomine eundem vindicante, Durlaceni etiam obniterentur, novis à Domino literis, oblata, niſi aliæ adhuc, quas recenſebat, Præfecturæ adderentur, acceptare prohibitus, utilius causâ ſe acturum rato, ſummis Imperii judiciis eam ad formam in poſterum redigendis, unde validius auxilium oppreſſis ſperandum; diversâ Svecorum Proteſtantiumque ſententiâ, quorum iſti (nam Evangelici, ne in cauſæ ſuæ juſtitiam ab Eduardinis traherentur argumenta ſua, pro transactione â Durlaceno ineunda, eo officio, quanquam rogati à Svecis, abſtinuerant,) ſcriptis ad Fridericum literis, ancipitem litis eventum oſtendentes, certa dubiis, & utilia ſpecioſis præhaberet, hortabantur. Placitum interim, ut, ſive Transactionem probaret Durlacenus, ſeu jure agere mallet, ratæ manerent præſcriptæ â Cæſareis, Svecis atque Proceri (*d*) leges, donec aliud 1648.

Cauſa Badenſis proviſionaliter

(d) *I. P. art. IV. § de cauſa Badenſi.*

1648. liud à Judicum, (ſi res ita ferat) ſententiâ alterutra partium impetraret. Ita deſolati amicorum diſceſſione Durlaceni, neceſſitati paruere; ſortem ſubituri, quam iſti decreverant.

transacta. 20. ejusd.

XXIX. Sic confecta amneſtia, capitibusque ejus Moguntini atque Altenburgii manu, (ita convenerat, ut Cæſareani Sveciqve, qvanquam ea adprobarent, non, niſi tota Caſſellanâ lite ſedatâ, pactioni ſubſcriberent, ſignoq; firmatis, ad Procerum atque Commerciorum Jura transgreſſos Cæſaris literæ revocarunt, Legatos ſuos acriter increpantis, quod Exulum Auſtriacorum cauſam Amneſtiæ connexam, in finem Tractatuum differri permiſerint, deteriori ſua, quam cujusvis Procerum imò privatorum, conditione. Additum præceptum, ne ultrà procederent, priusquam de Exulibus ad præſcriptam formam transactum eſſet, ex qva ne verbum qvidem mutari paſſurus ſit, qvasvis potius calamitates atq; pericula ſubiturus. Perculſos tàm inopino triſtique nuncio Evangelicorum animos Cæſareani refecere, non adverſaturos ſeſe dicentes, qvò minus Proceres de ceteris interim articulis cum Svecis convenirent, ſuo poſtea adſenſu, controverſiâ de Exulibus pacata, confirmandis; adjecto, Auguſtum nupera mandata tum dediſſe, poſtqvam compererit, Sveciæ Legatos â Regina juſſos eſſe, ne in cauſa iſta Archiduces ultrà urgerent. At mutatâ mox ſententia, ne â Proceribus quidem

Punctus Amneſtiæ usqve ad cauſam Caſſel. ſubſcriptus. II. 21. April.

Cauſa Exulū Auſtriac. reſumpta.

quid-

quidqvam tractari, niſi votis potiti eſſent, con- 1648.
cedebant, Evangelicos, Moguntino atque Bojoaro ſermonum miniſtris, & mox ipſi præſentes hortati, ut Svecorum qvoqve eam in rem conſenſum procurarent; omnibus invidiam, & à deſperatis exulibus periculum adire detrectantibus, ac Witgenſteinio Comite, qvamvis ante cum Saxone Cæſaris poſtulato acquieſcere prætuliſſet, mandati inopiam prætexente. Svecorum potius 22.Apr.
ſententiæ Exulumque incolumitati Cæſareanis commendandæ conventum agendi ordinem, aliaque præſenti negotio commoda, at fruſtra, referebant; Cæſareis graviter ideò ſe objurgatos, neque novum id reponentibus, aut adverſæ parti inſolitum, neglectô priori ordine alium deligere. Exulum reſtitutionem ad ipſam belli cauſam ſpectare, adeoque ante compoſitam pacem de eâ tranſigendum; at militem poſt conſummatam illam demum dimitti. Certiſſimam ſibi à Cæſare graviſſimamqve iram imminere, ſi, vel minimum remittentes, circumdatos ſibi limites, nullius temperamenti patientes, excederent. Non auri tonnis, ſed millionibus conſtiturum Imperatori, ſi erepta Exulibus reddere cogeretur, pleraque Belli Aulæve miniſtris conceſſa, ſalarii ſolutionem & laborum ac fidei præmiū, quæ ſine ſumma Patrimonii Principalis imminutione ſarciri, aut absq; compenſatione iis, in qvos collata ſint, ſine extremô ſtatus, imò capitis, periculo auferri nō poſ-

1648. ſent. Arriperent, ſi velint, Sveci hanc bello cauſã, jam ante annum Salvio eadem urgente, ab ipſis accepto. At falſos vanosq; Imperii Proceres, ſi inter armorum tumultus pacem ſibi duraturam exiſtiment. Neq; enim credi debere, Svecos inſeſſis tot urbibus, arcibus & munimentis deceſſuros, aut omiſſuros emolumenta, ex Evangelicorum quoque terris militem ſuum ſuſtentandi, non minori eò usque, ac Catholicorum, exactionum acerbitate afflictis. Spem ſibi eſſe, Svecos, poſtquam Proteſtantium auctoritati in conſtituendis Avtonomiæ legibus conceſſerant, hic quoque eorum obſecuturos conſilio, implemento votorum faciliores, & à quibus moleſtiam hanc jam proximo anno Trautmansdorffius promiſſis DC. CIↄ. thal. redemerit. Quod arcanum jam retegere neceſſitate adigantur, ſanctiſſimo ad eam usq; diē ſilentio tectum, & cui fidelius cuſtodiendo, pactis in eam rem initis, non ut ſoleant Secretarii, ſed ipſi Legationum Principes, nomina adſcripſerint. Et reſpondentibus Evangelicis, non ſeſe refragari, quo minus, modò id commodè & ſine Svecorum offenſione fieri poſſit, non interjectâ morâ de cauſa iſta tractaretur, &, ſi omnino de formula diſceptari Cæſar renuat, de ipſo tamen negotio Procerũ in Imperii Curiis ſententiæ rogarentur? Negavere Cæſareani, aliorũ arbitrio ſeſe rem permiſſuros, ad ſolum Cæſarē pertinentem. Sveciæ Regem, cum primum Germaniã

Exulũ cauſa à Svecis auro prodita.

irru-

irruperat, vulgatis in publicum libellis, (*Manifeſtis*) juramento aſſeruiſſe, nullam ſibi cum Bohemicis Auſtriacisque tumultibus intercedere cõmunionem, cui ſi veritas conſtet, prout defuncti Regis Conſilia Actaq; pro Legibus ſe venerari Sveci præferant, non niſi pro contumacia eorum id habendum, cauſam bello quærentium, iſta quidem DC. CIↃ. thal. ſumma ſubmotam. 1649.

XXX. Tetigit Evangelicos infamis pacti ſecretum. Ei igitur accuratius perſcrutando Svecos, tanquam relaturi, quæ cum Cæſareanis egerant, adiere; Rogitantes, quam ad formam Regiis de fortuna Exulum cum Auſtriacis conveniſſet. Oxenſtiernius venientibus aderat, qui, perculſus primùm improviſa interrogatione, paulum reticuit: dein collecto animo reſpondit; aliam quidẽ in rem pacta ſeſe cum Cæſareis ſeorſum iniiſſe, copiam tamen eorum, re prius cum Salvio, valitudine tum detento, communicata, facturum. At ut ederent, denuò uterq; rogati, cùm fateri haud ſuſtinerent, neq; ferè abnuere poſſent, neque vultu, neque animo ſatis ſibi conſtantes, inſtrumenta pactionis Viennam Holmiamq; miſſa, neque deſcripta, & chartam, cui primum injecta ſit (das Concept) Monaſterio neſcio quibus ſcriniis latere cauſati, flagitantes eluſere. At tergiverſationis manifeſti, & Cæſareanis hujus arcani evulgationem exprobraſſe comperti, fidem Evangelicis nullam faciebant. Atque

Svecorum diſſimulatio pacti eã in rem initi.

1648. hi, Svecicas artes ſuſpectantes, invidiam militantium apud ſe Exulum commento hoc declinantium, ut Exemplum Conventorum ederetur, inſtabant, & cum non impetrarent, adjunctis ſibi Pontificiis, eaqve concordia ambo animoſiores teſtabantur, nullam ſe pactorum rationem habituros, quæ Cæſarei Svecique, non conſultis Procerum Legatis, pepigiſſent.

Evangelicorum contradictio.

XXXI. Catholici tamen expediundæ difficultati, Saxonicos & Brunſvicenſes per Moguntiacum & Bojoarum iteratis precibus oravere, pollicerentur, quando in Senatu de Exulibus referretur, nihil ſe dicturos, Cæſaris voluntati adverſum, Saxoni jam atque Brandenburgio, (quanquam Witgenſteinius contrarium affirmabat,) adprobatæ. Alioquin Cæſareanos, ut relatio in eam rem fiat, nunquam permiſſuros. At iſtis morem antiqvum obtendentibus, cui modus hic ſcrutandi conſtringendive ſuffragia non conveniret, Salisburgius convocato tandem Senatu Procerum, de Exulibus & præſtando militi Svecico ſtipendio, ſententiam non ſine probris in Cæſareorum contumaciam, requiſivit, at, illâ vix â Salisburgio atq; Bavaro dictâ, nuncius ab iſtis intervenit, qui Delectis ex Septemvirorum curiâ, (per omnes enim conſultabatur,) accitis, (& donec hi reverterentur, ceterorum quoque Collegiorum deliberationem ſuſpendi petebant,)

Conſultatio Procerum de reſtitutione Exulum. 26. Apr.

bant) recentia ipſâque iſtâ horâ à Cæſare juſſa ve- 1648.
niſſe indicantes, ut, omiſſo omni temperamento,
cuncta potius reſcindi, agi, vertiqve ſinerent, ne
inutili conſultatione tempus conſumerent, mo-
nebant. At iſtis reverſis, non eo minus ſuffragia
rogabantur promebanturque, modeſta quidem,
& æquali ferè Curiarum conſenſu, ut ſcilicet ex
utraque Religione deligerentur, qvi, Cæſarea- Eorum
nos Svecosq; negotium promovere oraturi, ſimul ſententia.
exponerent, non eam Procerum mentem eſſe,
Cæſari, qvâ gratia Exules complecti debeat, præ-
cipere, cui ſi omnino de rigore quid remittere O-
ratores ipſius recuſent, calamitoſorum cauſam
precibus tantum commendaturi forent. Cali- Auſtriaci.
dius pro Imperatore Auſtriacus cenſuit, conſulta-
tionem iſtam debitam ſupremo Principi reveren-
tiam, & in contumeliam Cæſareorum, invitis iſtis,
eis de rebus ſuſceptam arguens, quarum nulla Im-
perii Procerum cognitio ſit. Ordinem quoq; tra-
ctandi allegabat, ex cujus ſerie tum controverſia
hæc peragi debuerat, cum de Amneſtia, cujus ea
nobiliſſima portio, diſceptaretur. Non certè ul-
lam mutati inverſiq; ordinis, niſi in Svecorum
ſic volentium jubentiumque lubidine, rationem
deprehendi, clavo iſto duriorem de ſui militis
ſtipendio clavum trudi cupientium. At ſi om-
nino de ipſa re quæſtio inſtituenda eſſet, cogita-
rent Proceres, an ſine ingratitudinis crimine Pa-
cis tabulas Sveci aut Evangelici in Auſtriacæ tan-

1648. tum domus damnum irrumpere poſſint, quibus ut vis ſua conſtet, ſuammâ induſtriâ utrique adlaboraverint, non Ordinum ſcil. modo, ſed & privatæ ſortis hominum vota deſideriaque implentibus? An verbis hæc congrua, in nullius detrimentum ſententiam ſe dicturos ſæpius iterantium? An Juſtitiæ, an Principis cujusque utilitati, cui unicum in ſubjectorum obſequio robur, conveniens, contra Cæſarem ſummumq; Principem ſubditos ipſi quondam totiusque ferè Orbis ſententia Rebelles ſuſcipere protegendos? aut vocum ambiguitate; vi atque auctoritati Juris illudere? Hos ſcilicet eſſe, qui nulla Regum, Electorum, Principumque meliora ſvadentium reverentia rebellionis pertinaces, tantorumq; Germaniæ ac propriorum cuiq; malorum auctores, Electorum etiam Mulhuſiæ coactorum Decreto damnari meruerint; digni nimirum, qui poſt tot annorum ſilentium & deperditam ferè eorum memoriam theatro inducerentur, ultimum tractatæ pacis, quam primi motibus ſuis excuſſerant, actum lugubri Cataſtrophe deformaturi. Certè ſupremum id, eoque efficacius rumpendis Tractatibus artificium, quod ipſam Principalis auctoritati arcem invadat. Quam enim audaciam eſſe, tam difficili negotio ſeſe immiſcentiū, nullâ adeò circumſpectâ prudentiâ tractando, ut non in ignem evaleſcat, omnem pacis paratum correpturum. Tenerrimum Principum ſenſum, vel

vel digito tantum tactis imperii inſignibus, vehe- 1648.
mentiſſimo affectu exardeſcere, & magnis in rebus curam etiam circa parva ingentem eſſe. Proviſum quidem pacis legibus communi pariter atque ſingulorum utilitati. At robur earum â Cæſaris conſenſu atque adprobatione pendere, quæ ab offenſo ſperari non debeat.

Auſtriaci ſententia de ſatisfactione militis.

XXXII. Svecorum militem quod attineat, nulla iis obligatione Imperii Optimates teneri, ſatis jam conceſſâ Bremâ, Pomeraniâ, & Viſmariâ lucratis. At ſi omnino id paci tribuendum, quam armatis nolentibus extorquere non liceat, ut minimo Germaniæ incommodo tranſigatur, diſpiciendum, quibus ſub Legibus, quamve in mercedem inierint militiam, in quos tantam auri vim profundi iſti contendant, An ut menſtrua ſtipendia mereant? At Sveco militi, nullo militiæ more adlecto, aut in Legiones diſtincto, nullam certam mercedem, ſolam ex præda ſpem, ſolum in Provincialium calamitate ſtipendium, & quoties diſpliceat rurſumve lubeat, abeundi redeundique licentiam. Injurios igitur in Imperium Svecos, decem menſium ſtipendium gregario militi expoſcentes, cui ipſi nil debeant, quique belli pertæſus non niſi honeſtam miſſionem & laborum finem deſideret, magnæ liberalitatis loco habiturus, ſi quinque aut ſex florenos quisque acciperet. Atq; horum maximam copiam. Ceteros, quorum cupiditates quantiſper diuturnis bellis inex-

1648. inexplebiles, nullum ſtipendium, nullum præmium ſatiaverit, ipsâ paucitate ſpernendos, & ſi quid audeant, pœnis coërcendos. At quod Sveci tam immanibus promiſſis militum ſuorum ſpem hactenus aluerint, malitiam ipſorum arguere, qui nullâ pacis cupidine, & bellum præoptantes, reliquas adhuc Imperii opes prædæ, & procerum dignitatem ignominiæ, ſibique in cuncta arbitrium deſtinent, non niſi Germanorum concordiâ ad modeſtiam revocandi. Minimam Exercitûs Svecici partem ex Svecis componi, præcipuam in Germanis vim; quos, prætexta armorum Svecicorum deceptos honeſtate, & Principibus Patriæq; ſuam operam ſangvinemque hactenus impendiſſe perſvaſos, ubi redditam Imperio pacem & ſublatas bellorum civilium cauſas compererint, abominaturos externam militiam, atque in Patriæ exitium deſituram, abjectoque impio ſacramento, præſtita peregrinis ſervitia generoſius Reip. civibusq; ſuis commodaturos. Ita apparitu-rum, quo deniq; bellicus iſte ſuperborum hoſtium furor evaſurus ſit, & an timeri mereantur, quibus auctoritatem terroremq; non niſi Germani circumdederint. Ac ſi omnino Duces Præfectique, aliisq; militiæ muneribꝰ fungentes, poſtulatis perſiſtant, interogandos, quo ſtipendio quisque operam ſuam, cum militiæ adſcriberetur, æſtimari paſſus ſit? qvot anni; meruerit? quibus hoſpitiis & quo ſui emolumento uſus? ita facilè conſti-

ſti-

ſtiturum; plura ab hoſpite accepiſſe, quam ſuus 1648.
cuiq; Imperator debuerat. Hanc optimam breviſſimamq; ineundarum cum Svecico exercitu rationum viam fore, quâ & multæ auri myriades ſervari, & pax quam primum reſtitui, & honori patriæ conſuli poſſit, ſummum dedecus incurſuræ, ſi militi ſtipendia ſolvere adigatur; cujus inſolentiam injuriasq; perpeſſa ſit. Quod ſi neglectâ eâ, tantus Svecorum reſpectus ſit, ut eis quidpiam negare nefas habeatur, cogitandum, tanta ne auri argentiq; copia exhauſtæ Germaniæ ſuppetat, ut tantam aviditatem explere queat, aut cogendas undique oves, boves, equos, aliorumq; generum pecudes, atque in viatici vicem iſtis, patriæ ſcilicet Defenſoribus, offerendas. Sed non illicò, iis dimiſſis, rem omnem confectam; ſupereſſe & alteram partem, ipſam quoque audiendam. Etiam alios, Cæſaris ſcil. ſociorumq; caſtra ſecutos, virorum militumq; loco cenſeri debere, &, qui nuperis diebus, *inter omnes & ſingulos æqualitatem exactam, quodque uni parti juſtum, alteri etiam non denegandum* ſtatuerant, hîc quoque ſua Jura ſuasque regulas agnituros. In commune igitur à Proceribus conſulendum, neque ullam de negotio hoc ante patratam pacem mentionem admittendam; tum diſtribuendum in Imperii regiones militem, & cum quaque legione ad relatum à ſe modum rationem ineundam, quam adſpernari Sveci non poſſint, ni tumultuum militarium auctores eſſe velint, fruſtrà rapinis ſuis

belli

1648. belli Jura (*de bonne prieſe*) obtenturi, nullo diſcrimine in amicos juxta hoſtesque pari crudelitate exercitis. Non quidem ignotam ſibi armorum legem, quâ militis ſtipendio non computetur, quodcunq; præliorum aut obſidionum conflictu quisque paraverit; at ut damna idem reſtituat, raptu, incendio, aliisque facinoribus amico inflata, Chriſtianæ ſaltem militiæ Jure legibusque ſanciri. Neque quietem ab inſolente milite ſperandam, ſi quæ poſtulet, flagitioſa largitione concedantur, plura petituro, ubi prima proveniſſent. Aliis quoque aliquando exemplo fore indecoram largitionem, qui quandocunque Germaniam infeſtaturi atrociora civibus ejus imperaturi ſint, tanquam mitibus & injuriam ſegniter laturis. Addidit etiam conſilium, (accerſendæ ſcil. Svecorum in optimates invidiæ,) ut damna ſua Proceres computarent æſtimarentque, ab Anno M.DC.XXX. â Svecico milite unicuique inflicta; quorum pudore non plurimos militum ſolùm, ſed & ipſos Sveciæ Legatos molliora capesſituros, atque infamiam odiumque ſui egregio fine & honeſtiori moderatione averſuros credi debeat, modo non omnem pudoris decorisque curam prodegerint.

Ceterorum. XXXIII. Verùm ceteri omnium Curiarum Senatores, quamvis de ſumma adhuc incerti, concedendum neceſſitati cenſebant, & dandum quid Svecico militi, ne omnia raperet. De Cæſaris, Bava-

Bavari, atque Colonienſis exercitu alii ſilebant, 1648.
negabant quidam, plures alii disquiſitioni remittebant. Illud quoque placuit, ut nulli oneris gratia fieret, quod in cunctorum incolumitatem pacemque omnibus profuturam feratur. Unum eſſe Reipublicæ corpus, atque æquali civium cura officioque ſuſtentandum. Et Treviro quidem Protoc. pacta cum Svecis inita, innoxia partibus ſua con- 29. Apr. ſilia, mediasque partes, & tolerata belli mala alleg
anti, non armorum magis damna, quam emolumenta pacis omnibus communia ceteri opponebant. Bojoaro præſertim nongentas urbes vicosque ditionis ſuæ igne aliisque cladium modis conſumpta memorante.

XXXIV. Delecti Moguntiacus, Bojoarus, Altenburgius, Cellenſis, Argentinas atque Ratisbonenſis, qui mandata Senatuum perferentes, ſimul Exulum cauſam Cæſareanis commendarent. At reſponſum ex antiquo rigore: Imperatorem ſusque deque omnia ferri, agi, rapique potius paſſurum, quam ut ultra quidquam concedat. Quod iſti ad Svecos referentes, majori Oxenſtiernii, (Salvio ex podagra lecto affixo,) auſteritate accepti ſunt, ut proditæ Exulum cauſæ ſuſpicionem eliderent, infenſius detonantis. Remiſit tamen ſermonem vultumque, poſtquam Cæſareanos, compoſitis jam Imperii rebus, alias pacis tabulas conſcripturos, abruptisque de militis ſatisfactione tractatibus, abituros Mehlius indicaverat; modo

Deputatorũ ab Ordinibus labor pro Exulibus apud Cæſareos irritus.
29. Apr.
30. Apr.

1648. do militis cura haberetur, in ceteris mitiorem ſe futurum oſtendens.

Circuli Svecis, Cæſareis, Bavarisq; adſignati. Reliquis, Colonienſibus ſcil. & Haſſis, ſatisf.

XXXV. Et reſumpta de militis ſtipendio quæſtio, concordi Curiarum Decreto pro Svecico Exercitu. Cæſari quoq; & Boſoaro, ne omnino ſe neglectos quererentur, iſti Auſtriaca Regio, huic Bavarica adſignata, quæ Svecicæ ſatisfactionis onere liberandæ tantundem iſtis exſolverent, quantum ſi cum ceteris Imperii Regionibus cenſerentur, iſtis conferre debuerant. Ceterorum copiis à Dominis, quorum Sacramento tenerentur, non ab Imperio, mercedem petendam ſtatuêre, fruſtra obnitente Saxone, ad Electorem ſuum beneficium trahente, quod aliis tribuebatur.

Bavarorum poſtulatum. 2. Maj.

XXXVI. Neq; tamen Cæſareanis Bavarisque oblata ſufficiebant, quorum hi Sveviæ quoque & Franconiæ Regiones Bavaricæ addi poſtulabant, ceteris, collatam in Maximilianum Electoralem dignitatem, trium ferè ſeculorum votis fruſtra quæſitam, patrimonium ſuperioris Palatinatûs acceſſione adauctum, ſuſtentatum ex Franconia Sveviaq; militem, quo ſua potiſſimum defenderit, aliaq; eum in ſenſum memorantibus; inficiante contra Bojoaro, multum lucri Domino ex rebus iis accedere, caro nimis precio comparatis. Superiorem Palatinatum tredecim ipſi millionibus conſtare, ex quibus octo adhuc ſub CCCC. M. thalerorum annuis uſuris debeat, cum

vix

vix dimidiam earum portionem terræ ejus fructus reditusque conficiant. Neq; iniquum eſſe, ut Bavaricis copiis, ceteris validioribus optimeque de republ. meritis, ſuus quoq; honor gratesq; habeantur. 1648.

XXXVII. Per idem tempus etiam Reformati religionis ſuæ ſecuritatem accepere. Incertâ jam diu dubiâque conditione uſi, *Statu liberorum* in morem egerant, firmam libertatem, integrumque Pacis Auguſtanæ Beneficium, prout temporum ſors latura eſſet, aut amiſſuri totum aut habituri, quanquam, iſtud ad ſe quoque pertinere, iis maxime argumentis confirmabant: quod communione iſtius Pacis, cui tractandæ ipſi adfuerint, nullâ expreſsâ ſanctione excluſi ſint; Et comitiis undecim poſt annis Auguſtæ rurſum Vindelicorum habitis, non eam quæſtionem agitatam, an Pax de Religione ſancita ad Reformatos protendi, ſed an hos illâ in poſterum arceri oporteat. Ipſos Religionis iſtius in Germania Proceres pleno Jurium ſuorum uſu adhucusque atque poſſeſſione gaviſos, & quod majus, Palatinum Electorem, etiam præſente Saxone Evangelicorum Concilia moderatum, ſatis docuiſſe, quam falſi ſint, qui pacis illius incapaces illos exiſtiment. Idoneos certè Lutheranis viſos, quos fœderi Lipſiaco illigatos defendendæ contra Ferdinandi molimina communi Evangelicorum cauſæ adſciſcerent, quam fortiſſimè

De reformatis, An ii ſub Pace Religionis comprehenſi? Affirm. Reichstag zu Augſpurg. Anno 1566.

Pp &

1648. & cum fructu tutatos eſſe, nemo inficietur. Saxonem etiam Septemvirum, cum paci Pragenſi inſudaret, ut Reformatorum quoq; bono ea conficeret, Cæſarem rogaſſe; atque hunc duobus poſt Anno 1637. annis Hanoviam, ſibi de Religione metuentem, ſecuram eſſe juſſiſſe. Neque ullam reperiri rationem, Pace Auguſtana iſtos prohibendi, qui Confeſſionem, Anno M. DC. XXX. Carolo Quinto exhibitam, amplectantur, quam qui ad Reformatos non pertinere contendant, probationis ſibi neceſſitatem accerſere, neque excluſioni ante locum eſſe, quam legitima cauſæ cognitio præiverit. Anno 1561. Eandem credendorum formulam, Naumburgi à Friderico Palatino, Auguſto Saxone, aliorumq; Electorum & Principum Legatis repetitam, ſignatam, atque Ferdinando I. oblatam, de Reformatæ Lutheranæq; Eccleſiarum concordia luculenter teſtari. Ipſos quoq; Proceres, Confeſſioni iſti addictos, Anno 1566. Comitiis Auguſtanis rogatos â Cæſare, Pontificis Romani aliorumque, Reip. quietem, & incolumitatem Friderico Palatino invidentium, inſtigationibus ſtimulato, *Fridericum ejusdemne ſecum Confeſſionis dogmatumque cenſerent?* ſcripto reſpondiſſe: *Credere ſe, Palatinum in Juſtificationis aliisque doctrinæ Capitibus vero Auguſtanæ Confeſſionis ſenſu imbutum eſſe.* Seſſ. Evang. 6. Nov. 1645. Quin & Pomeranus publico proteſtantiū conſenſu Reſcripti verba recitabat, quibus Auguſtanæ Confeſſioni ſe addictum Branden-

lenburgius Septemvir teſtificatus, iis tantummodò opinionibus ſe adſtringi paſſurum negabat, quæ verbis illius non continerentur; illoque liberalior Witgenſteinius, ipſam Concordiæ Formulam Electorem ratam habere, affirmare ſuſtinebat. 1648.

XXXIIX. Diſſerebatur contra, clariſſimis nullaque ambiguitate involutis Pacis Auguſtanæ (e) verbis cunctos ejus communione ſubmoveri, qui non aut Romanæ Eccleſiæ dogmata, aut Auguſtanam Confeſſionem ſequantur, â qua, An. M. D. XXX. Carolo exhibita, aliam novamq; ac multis articulis immutatam duobus demum poſt luſtris Reformati conſcripſerint. Nec incognitum eſſe, quibus artibus geſta ſint, quæ de Formula Naumburgi conſcripta iſti obtendant, atque plurimis controverſiis Reformatos â Lutheranis adhuc diſſidere, ne ipſos quidem inficiari. Evangelicos etiam Proceres, cum Auguſtanis Comitiis de Palatini Religione Maximilianus ſententiam ipſorum judiciumque requiſiverat, non tantum in *Capite de S. Cœna* ab Auguſtanæ confeſſionis veritate illum deſciviſſe, ſed & Calviniſmum inter vetitas ſectas ſibi haberi profeſſos, neq; ſuis eum Eccleſiis admiſſuros, neq; alibi paſſuros immigrare, & Palatino melioria ſvaſuros recepiſſe. Et quanquam ſententiâ in Fridericum, ne Pacis iſtius incapax pronun- Negativa.

(e) *Pac. Relig.* §. doch ſollen alle andere.

1648. ciaretur, abſtinuerint, id tamen non Juri Septemviri, ſed ſubditorum iſtius Confeſſionis Auguſtanæ retinentium incolumitati, tum etiam ſpei dediſſe, de Friderico ad meliora vertendo conceptæ. Ita rem, non omnino judicatam, ad ulteriorem diſqviſitionem novosque conventus diſtuliſſe, ex Palatini pervicacia, aut ad veritatem reditu maxime decidendam. At verò adeò Septemvirum animum non mutaſſe, ut, obſtinata potius purioris dogmatis in deterius Reformatione, ſubjectis gravis, Procerum Evangelicorum in ſe invidiam accerſiverit; eosque moleſtè ferentes, ſocios Religionis ſuæ tàm ſeverè à Principe haberi, cui pacis beneficium, cum adimere poſſent, ſervaverant, alia multo & à priori benevolentia diverſa proximis poſt Comitiis ſtatuiſſe. Et quâ fronte Auguſtanæ
Anno 1594. Confeſſionis ſocios ſeſe ferre, qui Cives ſuos, ei addictos, aut publicum ſaltem Religionis Lutheranæ cultum, ad Pontificiæ tyrannidis modum terris ſuis proturbent. Ita hoc ipſo tempore Batavos Zwollæ atque Arnhemii, Brandenburgium Cliviacis Provinciis colendi publicè Numinis facultati Lutheranos interdixiſſe, & quod non eadem in Marchia alibique auſteritate utatur, non voluntate, ſed imbecillitate virium detineri. Ceterum gaviſos iſthucusque Pacis Religionis beneficio Reformatos, non Jure ſuo, verùm publicæ quietis ſollicitudine,

qua

qua Cæſar Proceresque occupati non receperint 1649.
Calviniſmum, ſed toleraverint. Præſcriptionis certè titulo niti non poſſe, mala fide, crebrisque Imperatoris atque Optimatum contradictionibus libatæ.

Lutheranorũ de ea Calvinianis communicanda ſententia.

XXXIX. Nec tamen animus Lutheranis erat, Calvinianos communi quiete futuræque pacis conſortio abſtinere; non amore in eos, â quibus, ſi contentionum de rebus divinis acerbitatem ſpectes, vix lenius quam â Pontificiis diſſident, ſed in hos æmulatione, & ubi cum Cæſare Catholicisvè certandum, virium cauſæque ſocios habituri. At ut iſtis contra Pacis Auguſtanæ formulam Reformatos obtrudere, utile ſibi judicabant, ita plenam exercendæ ſacræ poteſtatis facultatem eis concedi, periculoſum videbatur, in ipſorum Lutheranorum noxam, ut exemplis jam deprehendebatur, eâ abuſuris.

Tractatus de Pace Religioſa Reformatis concedenda. Prop. Svec. art. 4.

XL. Poſtulaverant Sveci primis, quas revocandæ paci dictaverant, legibus, *ut Pace Religionis etiam Reformati comprehenderentur*, *eoque omnium de Evangelicis dictorum pari cum iisdem jure redderentur participes*; Cæſareis: *Non adverſari Imperatoriam Majeſtatem*, reſpondentibus, *quo minus & illi hujus pacis beneficio*, *SI* (*f*) *IPSI VELINT ET QVIETE VIVANT*, *uti frui poſſint*. Evangelici quoque, quanquam Con-

(f) *NB. Qvo hac Cæſareorum verba ſpectaverint, apparet ex Cancellaria Anhaltina, qua prima metuum in Germania conſilia Calvinianis imputantur.*

1648. Conſilio, de Pacis conditionibus â Thumshirnio, Lampadio, Oelhaſio, atque Ottone conſcripto, litem hanc taciti prætermiſerant, à Svecis tamen moniti, ne Reformatos ſilentio hoc ultrò irritantes faciliorem Pontificiis victoriam facerent, formulam (*g*) inſeruere, quâ volentibus ipſis Pacis Religioſæ patrocinio atq; eadem, quâ Evangelici, ſecuritate uſuros, teſtabantur. Placuit illa Oxenſtiernio, ſe quoque incolumitatem Reformatis, non mutandi publici Cultus poteſtatem, daturos permiſſurosve profeſſus, ſacris Sveciæ, quibus Regnum id nitatur, legibus, (denen Fundamental-Geſetzen) ut ajebat, adverſam. Oblata quoque eadem ab Altenburgio atq; Brunſvicenſi Schæffero Caſſellano (ademto per *Excellentiæ* jurgium loquendi cum Brandenburgiis converſandique commercio) quæſita verborum arte providentiam Collegarum laudantibus, qui de Libertate, ſepoſitis Religionum odiis, communi opera defendendâ ſolliciti, cunctasq; diſſidii cauſas ſolertiſſimè vitantes, plura publicæ Formulæ addi noluerint, parciorem contendendi materiam Pontificiis præbituri. Confidere tamen, Reformatos, Svecorum atq; Evangelicorum benevolentiâ, quibus aſſertæ pacis donum debituri ſint, provocatos, ſeparatâ ſcriptoque conſi-

(g) *Verba*, daß die Hnn. *Reformir*te des Schutzes und Sicherheit des Relig. Friedens gleich denen Evangeliſchen genieſſen/ und fähig ſeyn mögen.

ſignandâ cautione ſe adſtringi paſſuros, ut ſubditis ſibi, Auguſtanam Confesſionem ſectantibus, liberum exercendæ Religionis arbitrium, ſivè posſesſis jam terris, ſivè aliquando obtenturis ſecurum efficiant, cujus Exemplum jam Brandenburgius Septemvir præiverit. 1648.

At cum conditione non Reformandi Lutheranos.

XLI. At neque Schæfero, neque ceteris Reformatorum iſta conditio arridebat, pari cum Lutheranis Jure agere cupientium, modò Religionum concordiam, modo flexo in ſuperbiam ſermone, proprios cum Cæſare tractatus differentium, tanta intemperie, ut cum optatis potiri ſtatim non poſſent, Conventibus inter Evangelicos inſtitutis aliquandiu adeſſe renuerent. At fruſtra laborem apud hos ſumi advertentes iſti Oxenſtiernium atque Salvium, ad quos Lutherani eos remiſerant, Witgenſteinius, Lœwius quanquam Auguſtanæ Confesſionis, Weſenbecius, Schæferus, atque Milagius cum Palatinis & Wetteraviis adiere, rogatum; Neceſſariamne, quod Lutherani obtendant, verbis ſuis interpretationem aliquam putarent Sveci, de Pace etiam Reformatis impertienda, claris ſatis atq; perſpicuis, quantum quidem ſibi appareant, propoſitioni ſuæ adjectis? Oxenſtiernio, ne lites non neceſſarias moverent, obteſtante, in ipſorum incommodum recaſuras. Pacis leges, Cæſareis â ſe oblatas, eò ſpectare, ut reſtitutis, ſi qua poſt annum M. D. XIIX. verterant, pace cuncti recipiant, quæ ſequi-

Rejecta à Reformatis.

Ad Svecorum opem confugientibus.

Sub fine. Jan. 1646.

A quibꝰ non ex voto accipiuntur.

 orum

1648. rum temporum bellorumque injuriis amiſerint. Qvod ſi tunc temporis Pacis de religione conventæ uſum habuerint, retinerent; ſin ſecus, Svecorum opera non adepturos. Non etiam facilè ſibi, mentem in eam rem ſuam ante exponere, qvàm Reſponſi Cæſareorum ſenſum perceperint, Pacem Reformatis, *ſi ipſi velint & qviete vivant*, ſe daturos, declarantium. Brandenburgios de Auguſtana Confeſſione largo ore gloriari, ideoq; ſocios, ni ſecum ipſis pugnare velint, *reformare* non poſſe. At negante Witgenſteinio aliqvantum commotiore, Anni M. DC. XIIX. ſtatum commodum ſibi eſſe, aut permittendæ Lutheranis ſibi ſubjectis celebrandi ſuis ritibus Numinis libertati cautione obſtricturos; Satis inde apparere, reſponderunt Sveci, nullam per id tempus ſinceram legitimamvè pacis poſſeſſionem Reformatis fuiſſe. Ceterum (id enim jactabant Reformati) mirum ſibi atque inauditum, Cæſarem pingvioris ſortis ſpem præbuiſſe. Solitum eſſe Svecis, in Auguſtanæ Confeſſionis, ingenuæ ſcilicet nullisqve articulis immutatæ, verba jurare, â quâ qvantum propius longiusvè abſint Reformati, ſibi nondum compertum. Illud non dubium, Saxones, Culmbacenos, Onolsbacenos, Brunſvicenſes atqve Luneburgios, Darmſtattinos, ac Mechelburgios pro Religionis ſociis Svecis, at Palatinos, Brandeburgium, Caſſellanum, atque Anhaltinos, exceptô Serveſtano, Calviniſtarũ numero computari. XLII.

XLII. Ita de pace Auguſtana ſibi vindicanda certantibus Reformatis, alia & difficilioris judicii qvæſtio ſuboriebatur: Mutandæne ad libitum publicæ Religionis facultas penes eos eſſet, qui quocunque dignitatis nomine inſignes, *Superioritatis*, ut vocant, *aut Territorii Jure* ſubditis imperent? negantibus plurimis, talem in ſubjectos poteſtatem Principibus Numen permiſiſſe, qvam, in hominum ſcilicet animos voluntatesque ſtringendam, ſibi ſoli, & tanta qvidem moderatione ſepoſuerit, ut ne ipſe hac in re violentius imperio ſuo utatur, quod trahendo potius mentes, quàm adigendo, exerceat. Non religionis (*g*) eſſe, cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debeat, non vi, cum hoſtiæ ab animo libente expoſtulentur. Non eſſe opus truculentiâ & injuriâ, quia Religio cogi non poſſit; verbis rem agendam, ut ſit voluntas. Longè diverſa eſſe, Carnificinam & pietatem, nec poſſe aut veritatem cum violentia, aut Juſtitiam cum crudelitate conjungi. Defendendam propagandamq; Religionem, non occidendo, ſed monendo, non ſævitiâ, ſed ſapientiâ, non ſcelere, ſed fide; illa enim malorum eſſe, hæc bonorum. Nihil tam voluntarium, quàm Religionem, in qua ſi animus ſacrificantis averſus ſit, jam ſublatam, jam nullam cenſeri. Non eſſe (*h*) beneficium, quod ingeratur recuſanti;

1648.

Quæſtio an Jus Reformandi juri ſuperioritatis annexum ſit?

Negativa.

(g) *Tertull. ad Scapul. Athanaſ. ad ſolit. vit. agent. Lactant. divin. Inſtit. Lib. V. c. 20.* (h) *Idem d. Lib. c. 21.*

1648. rum temporum bellorumque injuriis amiſerint. Qvod ſi tunc temporis Pacis de religione conventæ uſum habuerint, retinerent; ſin ſecus, Svecorum opera non adepturos. Non etiam facilè ſibi, mentem in eam rem ſuam ante exponere, qvàm Reſponſi Cæſareorum ſenſum percepe-rint, Pacem Reformatis; *ſi ipſi velint & qviete vivant*, ſe daturos, declarantium. Brandenburgios de Auguſtana Confeſſione largo ore gloriari, ideoq; ſocios, ni ſecum ipſis pugnare velint, *reformare* non poſſe. At negante Witgenſteinio aliqvantum commotiore, Anni M. DC. XIIX. ſtatum commodum ſibi eſſe, aut permittendæ Lutheranis ſibi ſubjectis celebrandi ſuis ritibus Numinis libertati cautione obſtricturos; Satis inde apparere, reſponderunt Sveci, nullam per id tempus ſinceram legitimamvè pacis poſſeſſionem Reformatis fuiſſe. Ceterum (id enim jactabant Reformati) mirum ſibi atque inauditum, Cæſarem pingvioris ſortis ſpem præbuiſſe. Solitum eſſe Svecis, in Auguſtanæ Confeſſionis, ingenuæ ſcilicet nullisqve articulis immutatæ, verba jurare, â quâ qvantum propius longiusvè abſint Reformati, ſibi nondum compertum. Illud non dubium, Saxones, Culmbacenos, Onolsbacenos, Brunſvicenſes atqve Luneburgios, Darmſtattinos, ac Mechelburgios pro Religionis ſociis Svecis, at Palatinos, Brandeburgium, Caſſellanum, atque Anhaltinos, exceptô Serveſtano, Calviniſtarũ numero computari. XLII.

XLII. Ita de pace Auguſtana ſibi vindicanda certantibus Reformatis, alia & difficilioris judicii qvæſtio ſuboriebatur: Mutandæne ad libitum publicæ Religionis facultas penes eos eſſet, qui quocunque dignitatis nomine inſignes, *Superioritatis*, ut vocant, *aut Territorii Jure* ſubditis imperent? negantibus plurimis, talem in ſubjectos poteſtatem Principibus Numen permiſiſſe, qvam, in hominum ſcilicet animos voluntatesque ſtringendam, ſibi ſoli, & tanta qvidem moderatione ſepoſuerit, ut ne ipſe hac in re violentius imperio ſuo utatur, quod trahendo potius mentes, quàm adigendo, exerceat. Non religionis (*g*) eſſe, cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debeat, non vi, cum hoſtiæ ab animo libente expoſtulentur. Non eſſe opus truculentiâ & injuriâ, quia Religio cogi non poſſit; verbis rem agendam, ut ſit voluntas. Longè diverſa eſſe, Carnificinam & pietatem, nec poſſe aut veritatem cum violentia, aut Juſtitiam cum crudelitate conjungi. Defendendam propagandamq; Religionem, non occidendo, ſed monendo, non ſævitiâ, ſed ſapientiâ, non ſcelere, ſed fide; illa enim malorum eſſe, hæc bonorum. Nihil tam voluntarium, quàm Religionem, in qua ſi animus ſacrificantis averſus ſit, jam ſublatam, jam nullam cenſeri. Non eſſe (*h*) beneficium, quod ingeratur recuſanti;

1648.

Quæſtio an Jus Reformandi juri ſuperioritatis annexum ſit?

Negativa.

(g) *Tertull. ad Scapul. Athanaſ. ad ſolit. vit. agent. Lactant. divin. Inſtit. Lib. V. c. 20.* (h) *Idem d. Lib. c. 21.*

1648. neque ſacrificium, quod exprimatur invito: Niſi enim ſponte atque ex animo fiat, execrationem mereri. Liberas hominum mentes nullis legibus cogi poſſe, velle quod nolint. Et quantum hîc Principibus liceat, piorum Regum exemplo monſtrari, quos obnoxios ſibi populos credendi, quibus abhorrebant, neceſſitati adegiſſe, nullibi memoretur. Sic Davidem, Moabitarum, Edomitarum, Syrorum, Palæſtinorum, aliarumque vicinarum gentium domitorem, tributa tantum aliaq; ejusmodi, in devictos hoſtes ſolita, non Religionem, quanquam ſanctiſſimum, imperaſſe. Et Conſtantinum (*i*) quamvis Chriſtiani dogmatis acerrimum, nulla in renuentes tyrannide uſum, religionis libertatem omnibus permiſiſſe; Eamque modeſtiam (*k*) Jovianum, Valentinianum, Theodoſium, Gratianum aliosque imitatos, nullis, qui ſinceram doctrinam amplecti detrectaſſent, vim feciſſe, ipſum Deum ea abſtinere memores. Gentilis (*l*) tantum, Arianæ atque Neſtoria-

(i) *Euſeb. de Vit. Conſtantin. M. Lib. II. c. 55. & Hiſt. Eccleſ. Lib. 10. c 5.* (k) *De Joviano Socr. Hiſt. Eccleſ. III. c. 21. Valentin. Id. IV. 1. & Sozom. VI. 6. De Theodoſ. Socr. V. 20. (cui tamen aliquantum contrariatur. Sozom. VII. 4. & ipſe ſibi Socr. VII. 3.) De Gratian. Sozom. VII. 1.* (l) *De Gentilibus paſſim Patrum Apologetici, & inter alios Tertull. & Scapul. Apologet. c. 23. 28. & ult. Lactant. dd. locis. De Arianis Socr. IV. 2. 9. 10. 13. &c. Athanaſ. Diſp. I. contra Arian. ſub. fin. Apol. ad Conſtantium p. 539. 544. (edit. Commelin.) De fuga ſua p. 540. ſeqq. Apol. 2. p. 571. 572. 585. 595. ad ſolit. vit. agent. p. 630. 632. 657. ſeqq. Epiſt. ad Orthodox. Hilar. ad Conſtant. Lib. I. & adverſ. Conſtant. De Neſtor. Socr. VII. 29. 31.*

rianæ impietatis eſſe, odio ac ſuppliciis proſequi, 1648.
quibus Religionis ſocietatem docendo monendoque perſvadere non poſſis. Et quam abſonum, unius, ſuperſtitioſi ſæpe aut deliri hominis, opinioni totas Provincias adigi? Quantum Religionum turbamentum, ſi Princeps, nunc Lutherana dogmata fovens, ad Catholicos tranſeat, mox ſucceſſorem forſan Calvinianum habiturus? Ita crebris mutationibus profanata religione, & confuſis varietate credendi hominum mentibus nullam, aut incertam, ac nunquam ſibi conſtantem futuram,. Et audiebantur hanc in rem Wolffgangi Gemmingii Equeſtris Imperii ordinis Legati querimoniæ, eam Oppenhemii, Urbe Imperii Palatinis oppignorata, â Pacis Auguſtanæ tempore decies immutatam referentis. Præterea fruſtra Pacis iſtius (*m*) Leges tyrannidi huic accommodari, quæ Proceribus Evangelicis religionis ſuæ copiam reliquerit, non ademerit ſubditis, iisque, ſi ab imperante in divinis diſſentiant, migrandi (*n*) conceſſerint beneficium, non neceſſitatem inflixerint. Neque etiam communi tranquillitati & conciliandis mutua fiducia Procerum Civiumque animis ſuffecturam fuiſſe (*o*) pa-

(m) *Pac. Relig.* §. 15. Und damit ſolcher Fried. (n) *Ead. Pac* §. 24. wo aber unſere. (o) *Proœm. Pac. Relig. verſ.* woſern dann. *verb.* daß die Stånd und Unterthanen *&c.* *Et verſ.* Sölche nachdenckliche Unſicherheit aufzuheben/ der Stånde und Unterthanen Gemůther wiederum in Ruh und Vertrauen gegen einander zu ſtellen.

1648. pacem, perpetuæ quieti & amovendis turbis deſtinatam, ſi, Optimatum tantum libertati providens, duriſſimæ contra ſervituti ſubditos addixiſſet. Mancam certè atque inutilem pacem futuram, etiam Ferdinandum Romanorum tum Regem, fratris Auguſti vices obeuntem, advertiſſe monuiſſeque, quæ non & ſubjectis proſpiciat. Neque alia ratione (*p*) turbata componi, & divulſa cöerceri poſſe, niſi unusquisque, nulla ſervitutis neceſſitate adſtrictus, integrum habeat credendi Numinisque ſuo colendi ritu arbitrium.

Affirmativa. XLIII. Alii ex adverſo, tam Pontificiæ quam utriusque Evangelicorum Religionis, collatam in Principes â divino Numine ſacrarum rerum curam memorabant, qua ſanctiſſimi optimique Hebræorum Reges perfuncti, non impios cultus aboleverint ſegnius, quàm ſuum veræ Religioni robur decusque adſtruxerint. Ita Ezechiam (*q*), ſincerisſimæ pietatis Principem, non Templo magis quam Regno peregrinis ſacris purgato, ſuam divinis ritibus puritatem reddidiſſe. Cujus Exemplo proprioque ardore excitatus Joſias (*r*) inolitam fere ſeculi improbitate ſuperſtitionem omnibus Iſraëlitarum provinciis profligaverit. Longius Jehu (*s*) processiſſe, qui, aras Baali dicatas demoliri non contentus, opimam inſuper victimam, mactatis adſcititii Dei ſacer-

(p) *Hilar. ad Conſtant. Lib. I.* (q) *II. Paral. 29.* (r) *II. Paral. 34. verſ. 4. 7. & ult.* (s) *II. Reg. 10. 25.*

ſacerdotibus, Numini fecerit, divino Spiritu ſuſcipiendo tam ſancto conſilio animatus, cujus jam olim viam Elias (*t*), clarisſimi nominis vates, præiverit, datis equidem ab ipſo Numine legibus (*u*) ſeveritatis ſuæ ſecurus, quæ in Religionis Corruptores deſertoresve capitis pœnam ſalubri acerbitate ſtatuerint. Eademque ſollicitudine priſcos Imperatores Regesque actos, ne quid detrimenti Religio caperet, providiſſe. Quin neque acerbiorem videri debere (*x*) diſciplinam, vi ſuppliciisque animorum ſalutem procurantem, quam qua corporis ſanitatem, intemperie humorum expulſam, acribus quandoq; remediis Medici revocent. Ubi nihil proficiat ratio, utiliter in ipſius ſubſidium pœnam venire, & in iſto quoque negotio ſæpisſime ſapientiæ eſſe initium, timorem. Si ſponte non ſapiat populus, cogendum eſſe. Hoc civilem rationem docere, hoc pietatem Chriſtianam; nam & invitis prodeſſe nos juberi, ſi poſſumus, & urgere beneficium, atque etiam obtrudere, quod ſuperba vel furioſa manus accipere renuit. Melius (*y*) eſſe, ut 1648.

(t) *I. Reg. 18. 40.* (u) *Deuter. XV. 5. ſeqq. 12. ſeqq. & XVII. 2.* (x) *Hanc in ſententiam Auguſtin. Tom. II. Epiſt. 48. 50. 166. 167. Tom. VII. contr. litt. Petil. Lib. II. cap. 83. 84. 98. contr. Creſcon. Gramat Lib. III. cap. 43. 47. 49. 51. contra Gaudent. Epiſt. 2. Lib. II. cap. 11. 17. poſt. col. lat. contra Donat. c. 17. contr. Julian. Pelag. Lib. III. c. 1. Tom. X. de Verb. Dom. ſerm. 33. in fin. de Unit. Eccleſ. c. 17. Tom. X. Expoſ. in Evang. Joan. Tract. XI.* (y) *Jul Firmic. de Errorib. profan. Relig. (pag. 21. edit. Lugd. Bat.)*

1648. ut liberentur inviti, quam ut volentibus concedatur exitium.' Ægrotantes contraria delectare, & cum corpus hominis adverſa valetudo poſſederit, contra ſalutem ſuam â laborantibus perverſa poſci. Captam mentem langvoris vitio morborum ſemper augmentum deſiderare, reſpuere medicinam, & in exitium ſuum prona animoſitate feſtinare. Tunc ſimul ac morbus fortius creverit, majora remedia quæri, & pro ſalute hominis ſollicitam fortius ſe medicinam opponere. Aſperos cibos, amaros potus nolentibus ingeri; & ſi invaluerit malum, & ignem adhiberi & ferrum. Sic hominem, recepta ſanitate & ſalute ſibi reddita, quicquid ægrotantis corporis vitio invitus paſſus eſt, hoc totum pro utilitate ſua factum eſſe, ſtantis animi judicio confiteri. Quin rationis tantum præceptis imbutos gentiles ſacrarum rerum curam civili poteſtati aſſeruiſſe, inter quos nobiliſſimi Romani (z) peregrina ſacra, niſi Senatus Decreto probata, admitti vetuerint. Et firmatam hanc Proceribus Germaniæ facultatem eo Pacis (a) Auguſtanæ Capite, quo inſtituendorum Rituum & ferendarum de divino cultu legum Jus obtinuerint Proteſtantes, aut prioribus

(z) *Tertull. Apol. adverſ. gent. c. 4. & 6. Jo. à Wovver. Not. ad Minuc. Felic. (p: 15. 16. edit. Lug. Bat.)* (a) *Pac. Rel.* §. *15.* und damit ſolcher Fried. *verb.* So ſie aufgericht oder aufrichten möchten. *Receſſ. Imp. Spir. A. 1526.* §. *4.* demnach haben wir. & *Ratisb. A. 1541.* §. *26.* und damit im Heiligen Reich.

oribus jam legibus delatum, nova atque amplio- 1648.
ri ſanctione roboratum acceperint. Ideoque precibus apud Ferdinandum (Primum) opus fuiſſe, ne Nobiles Evangelici, ſub Pontificiis degentes, religionis ſuæ cultu prohiberentur; Superfluis, niſi de Rebus Sacris in terris ſuis decernendi cuivis optimatum poteſtas eſſet, ſubditis non niſi obſequii partibus relictis. Beneficium migrandi Catholicorum auſteritati oppoſitum, ſubjectos ſibi, quanquam abire volentes, retinere cupientium, in neceſſitatem verti, ubi Jure ſuo Principi uti lubuerit. Neque præcipuam, cùm de Pace Religionis ageretur, de ipſa Confesſione Auguſtani Dogmatis Proteſtantibus litem cum Catholicis fuiſſe, de Cœnobiis maxime totisque provinciis renovatæ religioni adactis intentatam, & conventâ poſt pace ſopitam; ejusque ſenſum ipſo Imperii uſu ſatis explicari, quo Religionis Pontificiæ atque Evangelicæ fata ex Imperantium arbitrio diſpenſentur; Neque enim adeo laxam apud Germanos religionum licentiam eſſe, ut præter iſtas etiam aliæ civitatis Jure gaudeant, quæ apud pleroſque uſu magis quam lege tolerentur.

Sententia media.

Erant, qui inter utramque ſententiam medii, ita eam temperabant, ut Principi Religionem publicam mutandi poteſtatem facerent, ſi Provincialium Ordinum Conſenſu juvaretur, allatis & mutuatis velut ab utraq; diſſentientium parte argumentis opinionis ſuæ modeſtiam non parum firmantes.

XLIV.

1648. XLIV. Recruduit hoc vehementius adverſus
Continuatio Tractationis cum Reformatis. Reformatos certamen, cum, editis pacis tabulis, priorem conditionem, *ſi ſcilicet quiete vivant*, Trautmansdorffius repetiiſſet, iſti abſolutum beneficium poſtularent, ceteris Evangelicis, (eos deſpecto ſibi ac improbato Lutheranorum nomine, etiam quando Svecis loquebantur, appellabant,) non niſi mutilum *reformandique* facultate truncatum ſeſe permiſſuros oſtendentibus. Illique, cuncta proclivia ſibi rati, Svecorum autoritate ſuffultis, ſuo ſenſu commodoque Pacis Auguſtanæ Leges temperabant, Catholicos prohibentes, ne Reformatos illius exſortes reddere pertenderent, & urgentes Reformatos, ne pari ſecum Jure pacem uſurparent, quam à ſua benevolentia habituros, non obſcurè ſignificabant.

XLV. Conqveſti de ea Lutheranorum duritie, oblato Svecis ſcripto, Weſenbecius, Scheferus
1. Maj. 1646. & Milagius, præmiſſis in cauſæ ſuæ firmamentum argumentis, communem Proteſtantium ſalutem invocantes, cui inſidiantibus Pontificiis occaſionem aperturi ſint, qui Reformatos evertant, quippe afflictis his proniora fore, quæ tanto jam tempore in Evangelicos iſti meditentur.

Batavorum pro Re- XLVI. Batavorum quoq; Legati, pangendæ cum Hiſpanis paci Monaſterium miſſi, ſcriptis ad Proteſtantium (*b*) Legatos literis, *reduci & fir-*

(b) *Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c. 77.*

firmari inter Evangelicos fidem & fraternam concordiam ſuadentes, de neceſſitate & utilitate ejus fruſtrà eſſe eloqui apud eos ajebant, *qui Spiritu Concordiæ & affectu amicitiæ ducti, quid è re atque utilitate communi ſit, accuratè perpendant, & omnia huc ſpectantia probè æſtimare didicerint.* *Suum interponere Judicium, vel conſilium dare, non præſumere, ſed candidam & incorruptam amicitiam profitentes hoc ſubjungere, omnibus curis atque cogitationibus neceſſum eſſe eò tendere, ut evitentur inter Evangelicos ſeparationes, inſtrumenta periculorum & diſſipationum, & ſinceram conjunctionem optantibus utilia eſſe media, quæ ad metam iſtam facillimè ducant, quorum primum ac tutiſſimum ſit æqualitas inter æquales, certum concordiæ vinculum & firmum tranquillitatis fundamentum. Urgere illam æqualis dignitatis atq; ſtatus rationem, mutuæ defenſionis conditionem & fidem, periculorum omnibus ex æquo atq; gradatim imminentium magnitudinem, & parem metum, ſicut præterita recentiaq; exempla non obſcurè demonſtrent; aliis fatentibus, ſe invariatæ Confeſſioni accedere, aliis proteſtantibus, ſe Variatam neſcire, & Confeſſioni, An. M. D. XXX. Auguſtæ exhibitæ, ac à Statibus Evangelicis ſine diſcrimine Nominis defenſæ ſubſcribere. Certè, quos conjunxerit Evangelii veritas, ne illos dividat aut diſcrimini publico exponat præconcepta ſtudiorum*

1648. formatis literæ. 10. Jun. 1647.

1648. *rum & affectuum diſcrepantia, ſed ut in fide ac diuturna conjunctione ſubſiſtant, admonere eandem ſalutem & neceſſitatem, & optimum futurum diviſionis impedimentum, æqualitatem & Reciprocationem, quam Sveciæ Regina ut præſens præſentibus malis remedium prudenter & accuratè propoſuerit; & dignum fore prudentia Evangelicorum, illam maturo conſilio in communem ſui utilitatem convertere. Atq; ut hujus fraternæ conjunctionis, amicitiæ, & unionis inter omnes vinculum officiosè atque ſedulo ipſis commendarent, curæ fuiſſe Ordinibus Generalibus, quibus fida & intemerata intercedat cum Romano Imperio vicinitas, & amicitia, & qui cum Proteſtantibus mutuo Religionis nexu ligati ex animo deſiderent, ut fraterna illa & optata inter Evangelicos in Imperio conjunctio & æqualitas in hoc celeberrimo Conventu reſtituatur, & reſtituta ſine fraude conſervetur; ſicut etiam nomine Dominorum officiosè commendent, ut, ſicut intemerato illo concordiæ nexu Provinciæ fœderadæ tot annos immenſam belli molem contra Regem potentiſſimum ſuſtinuerint, ita hanc conjunctionem Evangelicorum, per Dei gratiam obtentam, non diſſimiles producturam Effectus, ad pacem univerſalem Imperio reſtituendam, & contra illos, qui ad turbandam pacem res novas molientur, maximum allaturam momentum, Ordinesque generales propenſis ſemper ſtudiis præſtituros omnia officia, quæ ad removenda*

re-

novarum diſcordiarum ſemina & pacem conſervandam à bonis atque fidelibus amicis & vicinis poſſint deſiderari. Ac teſtificando, quo affectu Lutheranos proſequerentur, Camperiæ & Daventriæ divini Numinis publicè colendi facultatem eis ſe daturos pollicebantur, jam Schwollenſibus, uti ajebant, indultam. 1648.

XLVII. Reſponſum ab Evangelicis, breviter & ambiguo ſenſu: (c) *Perlubenter ſe accipere, Batavorum conſilia eò tendere, ut Orbis Chriſtianus optatâ pace refocilletur, nec minus Evangelicos hiſce Comitiis ſedulò connìſos, ut ſopitis disſidiis pax in Germania propediem coëat, nec ipſis contingere quidquam poſſe optatius, quam ut Evangelici unanimiter beneque invicem conveniant, &, quæ ab adverſariis usqvedum imminuerint pericula, conjunctis conſiliis animisque amoveantur, adeoque Reformati, qui dicuntur, publicis Legum præſidiis in tutò pariter collocentur. Quod uti jam tum ab initio deſideraverint, ita Batavorum Legatos re ipſa experturos, literas illorum apud ſe pondus habuiſſe maximum. At rem non eſſe ſui ſolius arbitrii, ſed Catholicorum quoq; requiri conſenſum.* Reſponſum Evangelicorum 11. Febr. 1647.

XLIIX. Manebat interim cum Reformatis altercatio, tantâ Brandeburgiorum vehementiâ, ut omnino nullam illorum quam non undequaq; 28. Jul.

(c) *Lundorp. d. Lib. c. 78.*

1648. commodam mentionem Pacis tabulis fieri contenderent. Mitigavere contendentium aſperitatem Sveci eo reperto temperamento, ut Reformati terris ſuis, jam An. M. DC. XX. Religioni ſuæ devotis, æquali cum Evangelicis jure potirentur, at locis, quos quocunque titulo aliquando adepturi eſſent, nihil innovarent. Neque omnino partibus diſplicebat conſilium, & tentatæ variæ verborum formæ, quibus in unam ſententiam diſſidentes compingerentur. Unâ Einſidelii Magdeburgii *Reformati ſtatus iisdem cum Aug. Conf. addictis ex Pace Religionis deſcendentibus Juribus gaudere* permittebantur, *pactis tamen de Religione ejusque exercitio cum ſubditis initis & reverſalibus ubique ratis manentibus. Et ſi poſt hac terram aliquam Aug. Conf. imbutam ad Principem vel Statum Reformatæ Religionis vel vice verſa devolvi contingeret, â neutra parte, niſi ex conſenſu, Reformationem ſuſcipiendam.* Altera Lampadii, prima ſui parte Einſidelii Formulæ concors, definiebat, ut, *ſi Provincia, ubi tum Reformata Religio publicè exercebatur, Auguſt. Conf. Statibus Jure ſucceſſionis aut alio titulo acceſſerit, liceret quidem in iis publicum exercitium introducere, ſed tamen pariter uſitatum jam exercitium permaneret liberum.* Tertia Saxonum Altenburgiorum & Vinarienſium, quam & Salvius probabat, eodem, ſi ſenſum ſpectes, quo ceteræ, initio, *Nullam Principatu terrave A. C. addicta, Reformato cuiqu obven-*

Svecorum temperamentum in hac cauſa. Partibus non omnino ingratum. Projecta formularum Menſ. Febr. d. anni. Magdeburgii. Luneburgii. Saxonicorum.

obventurâ, in publico Religionis exercitio immutationem fieri debere ſtatuebat, *in Curia verò Concionatorem aulicum ſuæ Confeſſionis habere omnino licitum eſſe oportere.* *Et verſo caſu, non niſi conſentientibus Provincialibus Statibus Auguſt. Confeſſ. exercitium publicum introducendum.* *Ceterum Concionatoris aulici liberam facultatem tali omnino concedendam, neq; denegandos etiam Nobilibus, Civitatibus, vel Communitatibus, ſi quæ Concionatores A. C. ſua ſponte expetituræ ſint.* Atq; huic proximè Reformatorum formula accedebat, iſta fere tantum ſui parte Lutheranis ingrata, quod *Aug. Confeſſionis addictos hujus & illius nominis* compellantes in conſortium A. C. iſto verborum artificio irrepere velle videbantur. 1648.

XLIX. Ita inter parcius diſſentientes concordia expectabatur, cum poſt novas utrinque verborum velitationes Reformati, ſive ſua ſociorumque potentia freti, ſive facilitate adverſariorum, quos de antiquo rigore multum concedere cernebant, inſolentiores, conſcriptæ à Salvio formulæ ea adderent partim, partim demerent, unde contemtum excidiumque Religioni ſuæ Lutherani ſuſpectabant, integram potius hanc diſceptationem relicturos minitantes, quam tam iniquis legibus eâ componi ſinerent. Et certè petitos Principi, religionem mutaturo, aut terras diverſam profeſſas adepturo, *CONCIONATORES PRO*

Nova Reformatorum Poſtulata.

Rejecta à Lutheranis.

1648. *SESE ET RELIGIONI SVÆ ADDICTIS*, expunctis Svecorum verbis, quibus *in Curia Reſidentiæ tales ſecum habere* indulgebatur; Interdictum de non immutandis publicis ſacris, adjectis vocabulis, *INVITIS SVBDITIS* infractum, *Conſiſtoriales*, *Sacrorum viſitatores*, & *Profeſſores Academiarum*, quibus *THEOLOGOS* tantum denotari volebant Reformati, quos receptæ religioni addictos eſſe Sveci volebant, *TANTVM NON OBTRVDENDOS*, aliaque ejusdem verſutiæ ab iſtis adjecta mutataque monſtri quid alere, eò facilius credebatur, quod Bremenſes, ſimulata Auguſtanæ Confeſſionis ſocietate, tota fere urbe eam exterminaſſe, incertum, an ingenuo magis an impudenti, incommodo certe communi Reformatorum rei candore, ipſi fatebantur.

L. Rediit tamen concordiæ deſiderium, & conſenſum fere in novam formulam, à Svecis concinnatam, magno Batavorum atq; Helvetiorum, Monaſterii tum agentium, gaudio, aſſertam religionis ſuæ popularibus ſecuritatem dignitatemque ſuum quoque decus interpretantium. Interceſſit lætitiæ Brandenburgius; *qui eos, qui Reformati dicuntur*, (iſtis enim verbis uſi fuerant Sveci,) A. C. addictis ut alienos oppoſitos ægrè ferens, & confeſſionis iſtius conſortem ſeſe conſtanter jactitans, illam verborum injuriam amoveri contendebat, emendicati novi Juris ſpeciem ſubjectis

Sub fin. Jul. A. 1647.

Menſ. Febr. 1648.

jectis ſibi Lutheranis præbituram. Ita ad novum conſcribendarum formularum laborem pugnasque reditum, Witgenſteinio aliquam offerente, *illis, qui inter Auguſtanam Confeſſionem profitentes Reformati vocantur*, eadem quæ ceteris Jura tribuentem, diſerteq; declarantem, *quod ſub A. Confeſſionis appellatione de Proteſtantibus in genere ſermo ſit, illisq; omnibus pariter & promiſcuè dicta Jura & beneficia competere debeant.* At negabant Lutherani, ſuam de ea re notionem eſſe, *an Reformati Auguſtanam Confeſſionem profiteantur?* ad Theologorum Scholas rejiciendam. Neque etiam peculiari beneficio verborumve cautione opus fore Brandenburgio, ſi, quã crebris ſermonibus literisq; præferat, Auguſtanã Confeſſionem Librumq; Concordiæ, utrumq; Reformatis invíſum, ſeſe amplecti publico ſcripto teſtetur.

1648.

Brandenburgiorum formula.

16. Feb.

Rejecta à Lutheranis.

LI. Et ſtatuère tandem, ut *unanimi Cæſareæ Majeſtatis omniumq; Ordinum Imp. conſenſu placuiſſe* diceretur, *ut, quicquid juris & beneficii cum omnes aliæ Conſtitutiones Imp. tum Pax Religionis & publica iſta transactio, in eaque Deciſio Gravaminum ceteris Catholicis & Aug. Conf. addictis ſtatibus & ſubditis tribuant, id & iis, qui inter illos Reformati vocantur, competere debeat.* Ea utut primum Reformatis non omnino probabantur, vocabulis *inter illos* voculas *INTER HOS* ſubrogari flagitantibus, quibus ad ſe quoq; Auguſt. Confeſſionem pertinere innueretur, conceſſere ta-

Aliam exhibentibus.

Reformatis quoque tandem probatam.

1648. tamen Svecorum atq; Ordinum Lutheranorum conſtantiæ, quorum illi Lege Regia Svecica ſe prohiberi affirmabant, quo minus Reformatos pro ſociis religionis haberent, iſti verò moleſtam ſibi jactantiam Reformatorum oſtendentes, de Auguſt. Confeſſionis conſortio gloriantium, cum curâ verba iſta ſeſe uſurpaſſe indicabant, ut ſcil. *Non inter Auguſt. Confeſſioni addictos*, ſed *Statuum Imperii* Nomine, quorum prioribus verbis mentio fiebat, deſignarentur. Satis eſſe debere Reformatis, quod Proteſtantium appellatione honorati, in Juria adſumerentur, quondam ſolis Pontificiis atque Auguſtanæ Confeſſionis ſociis propria.

Cauſa Reformatorum transacta. 14. 24. April. LII. Ita poſt multa verborum prælia in eas tandem Leges formamq; etiam cum Cæſareis Catholicisq; utrinq; convenere, quas Pacis (*d*) tabulis inditas inſpicere licet. Et manſit conventis robur, Leuberi Saxonici contradictione tentatum magis quam perculſum, exarata ad Proceres Evangelicos Epiſtola, *Electorem Saxoniæ*, odio magis in Caſſellanos, Generi nimirum Darmſtattini hoſtes, ut quidam judicabant, quam Religionis ardore ductum, *in hac perſtare ſententia*, aſſerentis, *quod beneficia, quæ Conſtitutio Religionis, in Comitiis Auguſtanis Anno M. D. LV. promulgata, Auguſt. Confeſſ. addictis concedit, magni ſint æſtimanda, & de iſtis ſine Cæſarea Majeſtatis & omni-*

Electoris Saxonici contradictio. 14. 24. Jun.

(d) *Pac. Inſtrum. Svec. art. VII.*

omnium Imp. Statuum conſenſu nihil remitten- 1648.
dum, quamvis cauſæ prægnantiſſimæ remiſſionem urgerent. Unde eſſe, quod ipſius Celſitudo conſentire non poſſit, ut præſenti pacificatoria Transactione, de Beneficio mutandæ & introducendæ Religionis, ſtatibus Imp. A. C. addictis ex prædicta conſtitutione Religionis in terris & provinciis ſuis, quas vel jam poſſident, vel per hereditariam ſucceſſionem aut alium titulum legitimum adquiſituri ſint, competenti, in gratiam illorum, qui Reformati dicuntur, quidqvam derogetur, nec ulla ratione admittendum, ut Roformati, qui invariatam A. C. Imperatori Carolo V. Anno M. D. XXX. in Comitiis exhibitam non amplecterentur, & Pace Religionis comprehenſi non ſint, facultatem in exercitio Juris ſui iſtos impediendi conſequantur, idque ob cauſas magni momenti, quas hoc loco adducere nec animus nec opus ſit: Verum poteſtatem hanc manibus Reformatorum credi, ſi ſecundum iſtam pactionem A. C. addictis Statibus, vel iis, qui ex Reformatorum caſtris ad Sacra A. C. tranſituri eſſent, qui ſucceſſionis vel alio legitimo titulo Principatum aut ditionem, ubi Reformatorum ſacra de præſenti vigeant, nacti fuerint vel poſſiderent, fas eſſe non deberet, publicum Reformatæ Religionis exercitium ex Principatu aut ditione iſta eliminare, & A. C. introducere. Quapropter Electorem ſibi demandaſſe, in hanc curam incumberet, ut verba:

1648. tamen Svecorum atq; Ordinum Lutheranorum conſtantiæ, quorum illi Lege Regia Svecica ſe prohiberi affirmabant, quo minus Reformatos pro ſociis religionis haberent, iſti verò moleſtam ſibi jactantiam Reformatorum oſtendentes, de Auguſt. Confeſſionis conſortio gloriantium, cum curâ verba iſta ſeſe uſurpaſſe indicabant, ut ſcil. *Non inter Auguſt. Confeſſioni addictos*, ſed *Statuum Imperii* Nomine, quorum prioribus verbis mentio fiebat, deſignarentur. Satis eſſe debere Reformatis, quod Proteſtantium appellatione honorati, in Juria adſumerentur, quondam ſolis Pontificiis atque Auguſtanæ Confeſſionis ſociis propria.

Cauſa Reformatorum transacta.

LII. Ita poſt multa verborum prælia in eas tandem Leges formamq; etiam cum Cæſareis Catholicisq; utrinq; convenere, quas Pacis (*d*) tabulis inditas inſpicere licet. Et manſit conventis robur, Leuberi Saxonici contradictione tentatum magis quam perculſum, exarata ad Proceres Evangelicos Epiſtola, *Electorem Saxoniæ*, odio magis in Caſſellanos, Generi nimirum Darmſtattini hoſtes, ut quidam judicabant, quam Religionis ardore ductum, *in hac perſtare ſententia*, aſſerentis, *quod beneficia, quæ Conſtitutio Religionis, in Comitiis Auguſtanis Anno M. D. LV. promulgata, Auguſt. Confeſſ. addictis concedit, magni ſint æſtimanda, & de iſtis ſine Cæſarea Majeſtatis & omni-*

14. 24. Apr. Electoris Saxonici contradictio.

14. 24. Jun.

(d) *Pac. Inſtrum. Svec. art. VII.*

omnium Imp. Statuum conſenſu nihil remittendum, quamvis cauſæ prægnantisſimæ remisſionem urgerent. Unde eſſe, quod ipſius Celſitudo conſentire non poſſit, ut præſenti pacificatoria Transactione, de Beneficio mutandæ & introducendæ Religionis, ſtatibus Imp. A. C. addictis ex prædicta conſtitutione Religionis in terris & provinciis ſuis, quas vel jam posſident, vel per hereditariam ſuccesſionem aut alium titulum legitimum adquiſituri ſint, competenti, in gratiam illorum, qui Reformati dicuntur, quidqvam derogetur, nec ulla ratione admittendum, ut Reformati, qui invariatam A. C. Imperatori Carolo V. Anno M. D. XXX. in Comitiis exhibitam non amplecterentur, & Pace Religionis comprehenſi non ſint, facultatem in exercitio Juris ſui iſtos impediendi conſequantur, idque ob cauſas magni momenti, quas hoc loco adducere nec animus nec opus ſit: Verum poteſtatem hanc manibus Reformatorum credi, ſi ſecundum iſtam pactionem A. C. addictis Statibus, vel iis, qui ex Reformatorum caſtris ad Sacra A. C. tranſituri eſſent, qui ſuccesſionis vel alio legitimo titulo Principatum aut ditionem, ubi Reformatorum ſacra de præſenti vigeant, nacti fuerint vel posſiderent, fas eſſe non deberet, publicum Reformatæ Religionis exercitium ex Principatu aut ditione iſta eliminare, & A. C. introducere. Quapropter Electorem ſibi demandaſſe, in hanc curam incumberet, ut verba: 1648.

Qq 5 *UNA-*

1648. *rum & affectuum diſcrepantia, ſed ut in fide ac diuturna conjunctione ſubſiſtant, admonere eandem ſalutem & neceſſitatem, & optimum futurum diviſionis impedimentum, æqualitatem & Reciprocationem, quam Sveciæ Regina ut præſens præſentibus malis remedium prudenter & accuratè propoſuerit; & dignum fore prudentia Evangelicorum, illam maturo conſilio in communem ſui utilitatem convertere. Atq; ut hujus fraternæ conjunctionis, amicitiæ, & unionis inter omnes vinculum officioſè atque ſedulo ipſis commendarent, curæ fuiſſe Ordinibus Generalibus, quibus fida & intemerata intercedat cum Romano Imperio vicinitas, & amicitia, & qui cum Proteſtantibus mutuo Religionis nexu ligati ex animo deſiderent, ut fraterna illa & optata inter Evangelicos in Imperio conjunctio & æqualitas in hoc celeberrimo Conventu reſtituatur, & reſtituta ſine fraude conſervetur; ſicut etiam nomine Dominorum officioſè commendent, ut, ſicut intemerato illo concordiæ nexu Provinciæ fœderadæ tot annos immenſam belli molem contra Regem potentiſſimum ſuſtinuerint, ita hanc conjunctionem Evangelicorum, per Dei gratiam obtentam, non diſſimiles producturam Effectus, ad pacem univerſalem Imperio reſtituendam, & contra illos, qui ad turbandam pacem res novas molientur, maximum allaturam momentum, Ordinesque generales propenſis ſemper ſtudiis præſtituros omnia officia, quæ ad removenda*

re-

novarum diſcordiarum ſemina & pacem conſervandam à bonis atque fidelibus amicis & vicinis poſſint deſiderari. Ac teſtificando, quo affectu Lutheranos proſequerentur, Campenæ & Daventriæ divini Numinis publicè colendi facultatem eis ſe daturos pollicebantur, jam Schwollenſibus, uti ajebant, indultam. 1648.

XLVII. Reſponſum ab Evangelicis, brevitèr & ambiguo ſenſu: (c) *Perlubenter ſe accipere, Batavorum conſilia eò tendere, ut Orbis Chriſtianus optatâ pace refocilletur, nec minus Evangelicos hiſce Comitiis ſedulò connixos, ut ſopitis diſſidiis pax in Germania propediem coëat, nec ipſis contingere quidquam poſſe optatius, quam ut Evangelici unanimiter beneque invicem conveniant, &, quæ ab adverſariis usqvedum imminuerint pericula, conjunctis conſiliis animisque amoveantur, adeoque Reformati, qui dicuntur, publicis Legum præſidiis in tutò pariter collocentur. Quod uti jam tum ab initio deſideraverint, ita Batavorum Legatos re ipſa experturos, literas illorum apud ſe pondus habuiſſe maximum. At rem non eſſe ſui ſolius arbitrii, ſed Catholicorum quoq; requiri conſenſum.* Reſponſum Evangelicorum 11. Febr. 1647.

XLIIX. Manebat interim cum Reformatis altercatio, tantâ Brandeburgiorum vehementiâ, ut omnino nullam illorum quam non undequaq; 28. Jul.

(c) *Lunderp. d. Lib. c. 78.*

1648. commodam mentionem Pacis tabulis fieri con tenderent. Mitigavere contendentium aſperi tatem Sveci eo reperto temperamento, ut Refor mati terris ſuis, jam An. M. DC. XX. Religion ſuæ devotis, æquali cum Evangelicis jure poti rentur, at locis, quos quocunque titulo aliquan do adepturi eſſent, nihil innovarent. Neque o mnino partibus diſplicebat conſilium, & tentata variæ verborum formæ, quibus in unam ſenten tiam diſſidentes compingerentur. Unâ Einſi delii Magdeburgii *Reformati ſtatus iisdem cum Aug. Conf. addictis ex Pace Religionis deſcendenti bus Juribus gaudere* permittebantur, *pactis tamen de Religione ejusque exercitio cum ſubditis initis & reverſalibus ubique ratis manentibus. Et ſi poſt hac terram aliquam Aug. Conf. imbutam ad Princi pem vel Statum Reformatæ Religionis vel vice verſa devalvi contingeret, â neutra parte, niſi ex conſen ſu, Reformationem ſuſcipiendam.* Altera Lampa dii, prima ſui parte Einſidelii Formulæ concors, definiebat, ut, *ſi Provincia, ubi tum Reformata Re ligio publicè exercebatur, Auguſt. Conf. Statibus Ju re ſucceſſionis aut alio titulo acceſſerit, liceret qui dem in iis publicum exercitium introducere, ſed tamen pariter uſitatum jam exercitium perma neret liberum.* Tertia Saxonum Altenburgiorum & Vinarienſium, quam & Salvius probabat, eodem ſi ſenſum ſpectes, quo ceteræ, initio, *Nullam Prin cipatu terrave A. C. addicta, Reformato cuiqu obven*

Svecorum temperamentum in hac cauſa. Partibus non omnino ingratum. Projecta formularum Menſ. Febr. d. anni. Magdeburgii. Luneburgii. Saxonicorum.

obventurâ, in publico Religionis exercitio immutationem fieri debere ſtatuebat, *in Curia verò Concionatorem aulicum ſuæ Confeſſionis habere omnino licitum eſſe oportere*. *Et verſo caſu, non niſi conſentientibus Provincialibus Statibus Auguſt. Confeſſ. exercitium publicum introducendum*. *Ceterum Concionatoris aulici liberam facultatem tali omnino concedendam, neq; denegandos etiam Nobilibus, Civitatibus, vel Communitatibus, ſi quæ Concionatores A. C. ſua ſponte expetituræ ſint*. Atq; huic proximè Reformatorum formula accedebat, iſta fere tantum ſui parte Lutheranis ingrata, quod *Aug. Confeſſionis addictos hujus & illius nominis* compellantes in conſortium A. C. iſto verborum artificio irrepere velle videbantur. 1648.

XLIX. Ita inter parcius diſſentientes concordia expectabatur, cum poſt novas utrinque verborum velitationes Reformati, ſive ſua ſociorumque potentia freti, ſive facilitate adverſariorum, quos de antiquo rigore multum concedere cernebant, inſolentiores, conſcriptæ à Salvio formulæ ea adderent partim, partim demerent, unde contemtum excidiumque Religioni ſuæ Lutherani ſuſpectabant, integram potius hanc diſceptationem relicturos minitantes, quam tam iniquis legibus eâ componi ſinerent. Et certè petitos Principi, religionem mutaturo, aut terras diverſam profeſſas adepturo, *CONCIONATORES PRO*

Nova Reformatorum Poſtulata.

Rejecta à Lutheranis.

1648. *SESE ET RELIGIONI SVÆ ADDICTIS*, expunctis Svecorum verbis, quibus *in Curia Reſidentiæ tales ſecum habere* indulgebatur; Interdictum de non immutandis publicis ſacris, adjectis vocabulis, *INVITIS SVBDITIS* infractum, *Conſiſtoriales*, *Sacrorum viſitatores*, & *Profeſſores Academiarum*, quibus *THEOLOGOS* tantum denotari volebant Reformati, quos receptæ religioni addictos eſſe Sveci volebant, *TANTUM NON OBTRVDENDOS*, aliaque ejuſdem verſutiæ ab iſtis adjecta mutataque monſtri quid alere, eò facilius credebatur, quod Bremenſes, ſimulata Auguſtanæ Confeſſionis ſocietate, tota fere urbe eam exterminaſſe, incertum, an ingenuo magis an impudenti, incommodo certe communi Reformatorum rei candore, ipſi fatebantur.

L. Rediit tamen concordiæ deſiderium, & conſenſum fere in novam formulam, à Svecis concinnatam, magno Batavorum atq; Helvetiorum, Monaſterii tum agentium, gaudio, aſſertam religionis ſuæ popularibus ſecuritatem dignitatemque ſuum quoque decus interpretantium. Interceſſit lætitiæ Brandenburgius; *qui eos, qui Reformati dicuntur*, (iſtis enim verbis uſi fuerant Sveci,) A. C. addictis ut alienos oppoſitos ægrè ferens, & confeſſionis iſtius conſortem ſeſe conſtanter jactitans, illam verborum injuriam amoveri contendebat, emendicati novi Juris ſpeciem ſubjectis

Sub fin. Jul. A. 1647.

Menſ. Febr. 1648.

jectis ſibi Lutheranis præbituram. Ita ad novum conſcribendarum formularum laborem pugnasque reditum, Witgenſteinio aliquam offerente, *illis, qui inter Auguſtanam Confeſſionem profitentes Reformati vocantur*, eadem quæ ceteris Jura tribuentem, diſerteq; declarantem, *quod ſub A. Confeſſionis appellatione de Proteſtantibus in genere ſermo ſit, illisq; omnibus pariter & promiſcuè dicta Jura & beneficia competere debeant.* At negabant Lutherani, ſuam de ea re notionem eſſe, *an Reformati Auguſtanam Confeſſionem profiteantur?* ad Theologorum Scholas rejiciendam. Neque etiam peculiari beneficio verborumve cautione opus fore Brandenburgio, ſi, quã crebris ſermonibus literisq; præferat, Auguſtanã Confeſſionem Librumq; Concordiæ, utrumq; Reformatis inviſum, ſeſe amplecti publico ſcripto teſtetur. 1648. Brandenburgiorum formula. 16. Feb. Rejecta â Lutheranis.

LI. Et ſtatuère tandem, ut *unanimi Cæſareæ Majeſtatis omniumq; Ordinum Imp. conſenſu placuiſſe* diceretur, *ut, quicquid juris & beneficii cum omnes aliæ Conſtitutiones Imp. tum Pax Religionis & publica iſta tranſactio, in eaque Deciſio Gravaminum ceteris Catholicis & Aug. Conf. addictis ſtatibus & ſubditis tribuant, id & iis, qui inter illos Reformati vocantur, competere debeat.* Ea ut ut primum Reformatis non omnino probabantur, vocabulis *inter illos* voculas *INTER HOS* ſubrogari flagitantibus, quibus ad ſe quoq; Auguſt. Confeſſionem pertinere innueretur, conceſſere Aliam exhibentibus. Reformatis quoque tandem probatam.

1648. tamen Svecorum atq; Ordinum Lutheranorum conſtantiæ, quorum illi Lege Regia Svecica ſe prohiberi affirmabant, quo minus Reformatos pro ſociis religionis haberent, iſti verò moleſtam ſibi jactantiam Reformatorum oſtendentes, de Auguſt. Confeſſionis conſortio gloriantium, cum curâ verba iſta ſeſe uſurpaſſe indicabant, ut ſcil. *Non inter Auguſt. Confeſſioni addictos*, ſed *Statuum Imperii* Nomine, quorum prioribus verbis mentio fiebat, deſignarentur. Satis eſſe debere Reformatis, quod Proteſtantium appellatione honorati, in Juria adſumerentur, quondam ſolis Pontificiis atque Auguſtanæ Confeſſionis ſociis propria.

Cauſa Reformatorum transacta. LII. Ita poſt multa verborum prælia in eas tandem Leges formamq; etiam cum Cæſareis Catholicisq; utrinq; convenere, quas Pacis (*d*) tabulis inditas inſpicere licet. Et manſit conventis robur, Leuberi Saxonici contradictione tentatum magis quam perculſum, exarata ad Proceres Evangelicos Epiſtola, *Electorem Saxoniæ*, odio magis in Caſſellanos, Generi nimirum Darmſtattini hoſtes, ut quidam judicabant, quam Religionis ardore ductum, *in hac perſtare ſententia*, aſſerentis, *quod beneficia, quæ Conſtitutio Religionis, in Comitiis Auguſtanis Anno M. D. LV. promulgata, Auguſt. Confeſſ. addictis concedit, magni ſint æſtimanda, & de iſtis ſine Cæſarea Majeſtatis & omni-*

14. 24. April. Electoris Saxonici contradictio.

14. 24. Jun.

(d) *Pac. Inſtrum. Svec. art. VII.*

omnium Imp. Statuum conſenſu nihil remittendum, quamvis cauſæ prægnantisſimæ remisſionem urgerent. Unde eſſe, quod ipſius Celſitudo conſentire non poſſit, ut præſenti pacificatoria Transactione, de Beneficio mutandæ & introducendæ Religionis, ſtatibus Imp. A. C. addictis ex prædicta conſtitutione Religionis in terris & provinciis ſuis, quas vel jam posſident, vel per hereditariam ſuccesſionem aut alium titulum legitimum adquiſituri ſint, competenti, in gratiam illorum, qui Reformati dicuntur, quidqvam derogetur, nec ulla ratione admittendum, ut Roformati, qui invariatam A. C. Imperatori Carolo V. Anno M. D. XXX. in Comitiis exhibitam non amplecterentur, & Pace Religionis comprehenſi non ſint, facultatem in exercitio Juris ſui iſtos impediendi conſequantur, idque ob cauſas magni momenti, quas hoc loco adducere nec animus nec opus ſit: Verum poteſtatem hanc manibus Reformatorum credi, ſi ſecundum iſtam pactionem A. C. addictis Statibus, vel iis, qui ex Reformatorum caſtris ad Sacra A. C. tranſituri eſſent, qui ſuccesſionis vel alio legitimo titulo Principatum aut ditionem, ubi Reformatorum ſacra de præſenti vigeant, nacti fuerint vel posſiderent, fas eſſe non deberet, publicum Reformatæ Religionis exercitium ex Principatu aut ditione iſta eliminare, & A. C. introducere. Qvapropter Electorem ſibi demandaſſe, in hanc curam incumberet, ut verba: 1648.

1648. *UNANIMI OMNIUM IMPERII ORDINUM CONSENSU: expungerentur, & verſiculus ille, in quo Jus Reformandi A. C. addictis competens, amputetur, totus conſcindatur, nec Inſtrumento pacis inſeratur; Cui admonitioni locum datum iri, in ſpem certam erectus ſit; ſin verò aliud Legatis placeat, Electorem ſibi & omnibus Imp. Statibus, in ſuas partes deſcendentibus, Jura, quæ Transactio Paſſavienſis & Pax Religionis ipſis largiantur, omni meliori modo reſervare. Quam reſervationem nullum Jus, Privilegium, vel Edictum, nec etiam in ſpecie clauſula iſta, Inſtrumento præſentis pacificatoriæ Transactionis inſerta, videlicet, quod contra iſtud Concluſum nulla proteſtationes & contradictiones aliquid præſtare debeant, nec impedire valeant, nec ullo tempore valitura ſint, imminuere queant.* At, iis ſurdis auribus acceptis, nihil mutatum. Ad invidiam tantum Saxonis, apud Reformatos præcipuè, aſperandam valuere. Hæc, quanquam diverſa per tempora annosque geſta, conjunxi, ne diviſa haud perinde ad memoriam ſui valerent. Nunc rerum ordinem repeto.

Inſtrumentū Pacis Cæſareorum alterum. LIII. Intereà, dum iſta agitantur, Cæſareani novas Pacis Tabulas Svecis exhibuere, neque his neque Proceribus gratas. Illi ut legum in modum ſibi latas, iſti mutatas conditiones, communi tractantium conſenſu firmatas ſignatasque, ægrè tolerabant, ſuffragii jura inutilia ſibi conque-

ren-

rentes, ſi immutandi Decreta arbitrium Cæſarei 1648.
ſibi arrogarent. Auxit iras, quod iidem, â Procerum Delectis rogati, ut de modis pacandæ militiæ tractationem cum Svecis, adjunctis, recepto jam non inutiliter more, Optimatum quibusdam repeterent, Tabulas illas Svecis noviſſimè editas obtenderent, cum quibus priusquam ſuas ex adverſo ii reddidiſſent, ipſas quoq; Cæſari, ut, quæ probaret ſperneretve, reſcriberet, mittendas, & ante perfecta omnia, obſignataque, ultra progredi nequeant; promulgata tum inter Hiſpanos Batavosque pace elatiores, & quæſitæ cunctationis manifeſti.

15. 5. Maji.

Conſultatio Ordinũ de ſatisfactione militis.

LIV. Neque tamen conſultatio de militis ſatisfactione omiſſa, cui jam CC. M. aureorum Rhenanorum Electorales decreverant, Bojoaro inducias quoque armorumque juſtitium ſvadente: fruſtrà quidem, repugnantibus Svecis & Evangelicis, artes Principis, Sveviæ atque Franconiæ Regionibus inhiantis, ac Svecico milite aliorum terras oneraturi, tum inſumendum induciis tractandis tempus, reputantibus, quod ipſi paci patrandæ ſufficeret.

Concluſum 25. 15. ejusd.

LV. Communi tandem omnium Curiarum adſenſu ſtatutum, ut, quamvis Svecos ad Galliæ Regis exemplum conceſſis Provinciis contentos, neque militi ſuo ſtipendium ab Imperio exacturos ſperaverint, quod imperatis tributis, tum hoſpitationum, tranſituum, populationum, aliisque

præ-

1648. prædandi modis plus ſatis acceperit, permiſſuroſq; Germaniæ tanti oneris levamentum, quam auro nummiſque exhauſtam ipſi agnoverint, cùm oblatam primùm redimendæ paci pecuniam obtentu publicæ Imperii paupertatis ſolutioni non ſuffecturi, adſpernati, terras Provinciasq; petierant, omneſque Germaniæ divitias in militem ceſſiſſe ne Oxenſtiernius quidem abnuerit, neceſſitati tamen parendum fore. Viginti igitur auri *tonnas*, quarum ſingulæ M. C. aureorum Rhenanorum conficerent, offerendas, adjectis conditionibus, quibus futuræ pacis executioni atque ſecuritati, cui uni tantæ pecuniæ vis ab indigis donabatur, prudenter providebant.

Oxenſtiernii ad illud Declaratio. 27. 17. Maj.

LVI. At negavit Oxenſtiernius, talia ea eſſe, quibus militi quies perſvaderi poſſet, decies ad minimum millena thalerorum millia expoſcenti, cujus tamen cupiditatem Reginam arctioribus multò limitibus circumſcripturam innuebat. Et Erskeinum propediem adfuturum, cauſæ huic peragendæ. Ceterum utiliſſimum fore, ſi, nullâ certâ ſummâ ſtatutâ, præſenti pecunia miles dimitti qveat. Petiit qvoqve, ut promovendo negotio ad Moguntinum, (cui & hoc, qvod modo recenſuimus, reſponſum tulerat, Delectorum freqventiam ex iniqvitatis conſcientia fugiens,) ſuam in hanc rem ſententiam deferre liceret, inde ad Proceres relaturum. De ſecuritate atque executione Pacis Monaſterii tractandum,

vitan-

vitandæ Gallorum offenſioni. Injuriam ſuam interpretaturos, ſi cuncta Oſnabrugæ peragerentur. 1648.

LVII. Hiſce ad Curias perlatis, monuere Proceres, eam Germaniæ ſortem non eſſe, ut majorem in milites largitionem admittat, cui plura jam ferè tribuerint, quam exſolvendis copia ſuppetat. Exponerent Sveci, quantum pro exercitu ſuo Regina flagitet, ipſique ſuam de exequenda aſſerendaque pace mentem explicarent; Neque enim divelli debere, ipſa negotii indole, reique neceſſitate conjuncta. Intutum fore noxiumque, ſi nulla ſumma militis aviditatem definiat, cuncta poſtulaturi, ubi nil certi ſtatutum. Audiendum tamen Oxenſtiernium, conſilii ſui rationes modoſque accuratius editurum. Et fuere, qui duabus iſtis millionibus viginti quatuor millibus hominum (hoc enim numero Svecorum copiæ cenſebantur,) ad Cameræ Svecicæ formam ſatisfieri poſſe, affirmarent, reſiduis aliquot auri tonnis, in rem tormentariam & Exercituum Præfectos (die Generalität) erogandis. Per ſolum Moguntinum agi, ne huic quidem ipſi placuit.

De ea Ordinū ſententia.

In ſpecie de Puncto executionis & aſſecurationis Pacis cum Puncto ſatisf. militiæ jungendo.

LIIX. At abnuere Oxenſtiernius, ullum tractandi locum fore, ni quid oblatis duabus myriadibus Proceres adderent, ne de executione quidem atq; ſecuritate pacis prius tranſigi admiſſur9, quàm de ſtipendii ſumma conveniret. Hinc iteratum

Oxenſtiernii Inſtantia. 29. 19. Ejusd.

1648. tum SCtum, exquirendum nempe à Svecis, quanta parte militum poſtulata Regina temperaſſet.

Altercatio cum Bavaricis.

LIX. Acrior cum Bavaro altercatio interceſſit, atrocia minante, ni alia Bavaricorum & honeſtior ratio habeatur; Reliquis tam Catholicis quam Proteſtantibus non Ordinum ſuffragio delatum, ſed ſua ſponſe adſumtum Imperii Exercitus nomen, (Reichs-Armee) indecentes in Cives, æquo Jure gaudentes, ni injuſta flagitanti obſequantur, minas, & exhauſtas Bavarici militis inſolentiâ Sveviæ atque Franconiæ Regiones, exprobantibus.

Continuatio Tractationis de ſatisfactione militis Svecici.

LX. Intereà Secretarius ab Oxenſtiernio miſſus, ut de nuperrimis Cæſareanorum pacis tabulis conſultatio iniretur, admonuit, Sveciæ Legatos iſta adhuc die omiſſos aliquantis per congreſſus inſtauraturos, indicans: magno, at inani, Ordinum gaudio, alia mox Svecos meditari ſuſpicantium, cum â Cæſareis ſe petiviſſe, ipſi narrarent, ut conventui, de militis ſtipendio habendo, iſti intereſſent, quibus id poſt iterata Auguſti reſcripta nefas haberi, haud neſciebant, irritis ſcilicet precibus non uſuri, ni trahendo negotio cauſas conquirerent.

30. 20. ejusd.

LXI. Exterruit etiam eorum pervicacia, ad poſtremum SCtum ex priori auſteritate reſpondentium: diſſimulata Reginæ mente, quam militibus modeſtiorem, Oxenſtiernius ante ſpem ſub-

ſubdiderat. Augebat difficultatem, quod ſex ſeptemve thalerorum myriades militi ipſorum dandas, nupero Senatu quosdam cenſuiſſe, aut credebant Sveci, aut credere ſimulabant, utrumque extera verum, ea tantum aliquorum facilitate, ut pro duabus florenorum tot thalerorum *milliones* decernerent. Neque oblatis poſteà quatuor florenorum myriadibus quidquam promotum, nihil acturos Ordines Oxenſtiernio teſtificante, niſi ſex thalerorum myriadibus militem propitiarent. 1648.

Ordines 4. florenorum milliones offerunt.

LXII. Auxit difficultatem Cattorum importunitas, qui, compoſito ad Ordines Codicillo, ſuo quoque militi ſtipendia expoſtulabant, propugnatam ab illo ſalutem publicam, Haſſiam tanto oneri imparem, & â poſtpoſito contumeliaque incenſo ſeditionis ultionisque metum oſtentantes. Regibus quoque ignominioſum atque intolerabile dicebant, ſi, Cæſaris ſociis cum curâ habitis, ipſorum fœderati ut minores vilesque negligerentur, arma prius non poſituris, quam amicis quoque, dimiſſis bona cum gratia copiis, id tuto licere cognoverint. Neque Civis officium muniaq; pro Republica ſubeunda Landgraviam adſtringere, ut, perſoluto exercitui ſuo ſtipendio, etiam Svecici, quod quidam velint, oneris partem ſuſcipiat; præmia, aut indemnitatem ſaltem, præſtita in patriam fortitudine, meritam. Nec privatas utilitates Cattis quæſitas

Satisf. militiæ Caſſelanæ petita. 25. Maji, 5. Jun.

1648. tas procuratasque hîc memorari oportere, nulli exprobrandas, cui prima ſemper de bono publico deliberatio fuerit, commodis ſuis ſecundæ curæ ſepoſitis. Contributiones (quas appellant) ne menſtrui quidem ſtipendii penſitationibus ſuffeciſſe; Quamvis, ſi miles iis acquieſcat, ſe non refragaturos. Non etiam computari hîc debere, ſarciendo bellorum damno conceſſa. Neque Colonienſis Lamboiiq; exempla ſibi opponenda, iisdem rationibus cauſisque innixis, ex quibus Proceres ſtipendia aliorum militi decreverint. Anguſtas Germaniæ res ſibi non incognitas, at neceſſitatem legibus non obligari, quin publicæ tranquillitati intereſſe, etiam Haſſiacas copias ſine tumultu dimitti. Denique urbibus arcibusque, præſidiis ſuis inſeſſis, deceſſuros ſe negabant, ni flagitata impetrarent, neglectâ pactione, qua vicinis D. C. M. thalerorum exſoluturis fidem obſtrinxerant.

Negata ab ordinibus. 25. Maj. 2. Jun. Præcipuè â Saxone impugnata.

LXIII. At contradicebant Proceres, repetito decreto, nemini præter Cæſarem, Svecum, Bavarumque, (& hujus quidem odio atque æmulatione ſtimulatos Cattos eadem ſibi flagitaſſe, Oxenſtiernius fatebatur,) ſtipendia conferenda ſtatuentes. Præcipuè Saxo Elector, generi calamitate irritatus, infenſo in Cattos animo ferebatur, miſſo ad Legatum reſcripto, violentiam ipſorum toti orbi cognitam inceſſens, quam ampliſſimis terris, & immenſa auri vi remunerari,

ideò

adeò â Majorum gravitate abeſſe, ut ei cohibendæ caſtigandæque extremam potius ſangvinis guttam impenſuri fuiſſent. Fruerentur propinquorum malis, & impunitate Catti, patriæ hoſtes, quos, ſi omnino punire non liceat, præmiis ſaltem affici non debere. Ambigere ſe, an numerandis Cattæ ſex thalerorum myriadibus aſſenſuri ſint Principes, acerbiſſimis tributis ab illa divexati, ſatis habitura, ſi Abbatiam Hirsfeldenſem & Præfecturas Schaumburgicas nanciſceretur. Certè ſi damnorum ratiò ineunda eſſet, â Caſſellanis contra Pacis publicæ Leges, adverſus ſententias â ſummis Tribunalibus pronunciatas, neglecta quoque fidei ſacramentique toties iterati religione, Landgravio Darmſtattino, ſibique ipſi in arce Heldrungenſi, inflictorum, majora ea reperta iri, quàm ut ſexdecim pluribusvè thalerorum millionibus ſarciri queant. At hiſce perpetua oblivione diluendis Amneſtiam ſc. idoneam cenſeri; Cattæ ex adverſo, remiſſa pecuniæ vi, tanta acerbitate vicinis aliisque extortæ, ſua, quæ forte tulerit, incommoda largiſſima manu penſanda eſſe. 1648.

LXIV. Præter Saxonem etiam Monaſterienſes turbas faciebant, poſthabita contemptaq; ſua ſuffragia, arrogatam ab Oſnabrugenſibus decernendi poteſtatem, & perverſum conſultandi morem crebris SCtis incuſantes, ex quib9 Leuxelringius, decem & ſex Sveviæ urbium Legatus, eo- Monaſterienſium contradictio, in puncto ſatisf. militis Svecici,

Rr rum

1648. rum impendio exauctorandos dimittendosque Svecorum Exercitus, diſſerebat, â quibus in Imperium vocati, quorumque armis ſuis negotia geſſerint.

Oſnabrugenſes 6. tonnas flor. offerunt. 28. Maj. 8. Jun. Fruſtra.

LXV. At Oſnabrugenſes pacis properi, quinque, denique ſex centum florenorum millia Svecis offerebant; illis, minus quinquies millenis thalerorum millibus, niſi capitis periculum adire velint, acceptare ſe non poſſe, dejerantibus. Neque Servientii (eum emolliendis Svecis Monaſterio advocandum Ordines decreverant, quamquam exiguam ab illo ſpem Rhenanæ oræ Optimates oſtenderent,) auctoritatem precesvè multum momenti penes ſeſe habituras, quibus ne Divi quidem Petrus Paulusque, ſi cœlo delaberentur, mitiora & ab aulæ mandatis diverſa perſvaſuri eſſent; ingenti, at ſecreto eorum dolore, qui magnificos Svecorum ſermones memoriâ repetebant, ne horæ quidem moram, poſt inteſtinas Germaniæ lites compoſitas, prolatandæ paci ſe admiſſuros, quondam jactitantium.

Principum Curia quinq; tandem thalerorum milliones Svecis

LXVI. Re igitur ad Senatum iterum relata, Principum Curia minora ex unius *millionis* jactura patriæ incommoda, quam quæ ſex hebdomadum ſpatio, (tantum enim requirendis novis ab Aula mandatis neceſſarium Sveci monſtraverant,) â protervo milite perpetrentur, expendens, quintæ tandem thalerorum millioni *ſub ſpe rati* adſenſere, modo intra unam, duas, aut

qua-

quatuor denique hebdomades pax confieret, modusque ſtatueretur, quo ſtipendium militi & Procerum cuique ſua reddenda eſſent, eum in finem neglecti hactenus Tractatus repeterentur, ſolutio hujus pecuniæ quinque terminis abſolveretur, obligatione in ſingulos Imperii Cives, ad Cenſus Imperii formam (nach der Reichs-Matricul) ſuam quemque partem præſtiturum, dividenda, & confectâ jam Amneſtiâ, (hanc approbare Sveci diſtulerant,) Carolus Guſtavus, (is propediem validis novisque exercitibus inſtructus adventare dicebatur, Germaniâ abſtineret; neque præter Cæſareos, Svecicos, & Bavaricos aliorum militi qvidquam ex Republ. penderetur. Et huic ſententiæ, quamvis primum diſſiderent, etiam Septemviri poſtea Urbesque acceſſere. 1648. certo modo decernit. Adſentiente tandem Septemviroru Urbiumque Colegio.

LXVII. Eâ nunciatâ, Sveci dilato in Erskeini â militiâ reditum reſponſo, poſtquam conſilium ejus rogaverant, certum nullaq; *rati ſpe* ſuſpenſum in quinque thaler. myriadas conſenſum expoſcebant, alto de moderatione, cujus â Regina ſpem nuper fecerant, ſilentio. Neque ſolutioni terminos ſtatui, neque particularem accipi poſſe. Ceterum qualis de modo ejus expediundæ, & exequenda pace ipſorum mens, ſcripto offerebant. Et imputavit Salvius felici Ordinum fato, quod ante Erskeini reditum quinque iſtas thaler. myriadas obtulerint, ſeptem alioquin Sveci rem, non modũ, accептant.

1648. ex mandorum ab Exercitu acceptorum formula petituri. Repoſuere Proceres, triſte id ſibi, & Svecorum maximeq; Oxenſtiernii conteſtationibus adverſum, qui, modo ducenta thaler. millia præſentia numerarentur, ceterorum ſolvendorum ea ſpatia ſe daturos, promiſerint, ut quantocunque oneri omnem ferè gravitatis ſenſum adimerent. Fruſtra Svecis, omnem invidiam in militem, eam non curaturum, transferendo, allatas rationes alieni criminis obtentu eludere conantibus.

Monaſterienſium Decretum contra Conceſſionem iſtam. 12. 2. Junii.

LXIIX. Neque interim Monaſterienſes ab iracundia remittebant, novo Oſnabrugenſium conceſſu acrius irritati. Horum igitur Decreta, inſciis invitisq; Monaſterienſibus conflata, ſi non majori, æquali certe, uti dicebant, numero neq; minori dignitate pollentibus, *nullitatum, iniqvitatum, abſurditatum* nominibus proſcindentes, levitatem & indignam Germanica gravitate inconſtantiam publico SCto traducebant, qui, cum *ſemel pro ſemper* duas tantum florenorum myriades Svecico militi decreverint, mox inopiæ ſuæ prætextæq; *impoſſibilitatis* obliti, quinque jam thaler. myriadas indecora facilitate largiantur. Noſſe Oſnabrugenſes, ſui arbitrii non eſſe, alios Legibus ſuis adſtringere, aut prohibere, ne Monaſterienſes Cæſareanis, Bavaricis, & Lamboii copiis eadem tribuant, ac in Svecos ipſi profundant. Certè majorem iſthîc Juſtitiam, neque æquales vires defuturas. *Spem rati* oſten-

oſtentantes nullis à Dominis mandatis ſe inſtructos indicare, à Monaſterienſibus quidem nunquam acceptis. Cæſarei etiam largitionem eam, ut nimiam belliquefere miſeriis acerbiorem, arguebant, neque penes Imperatorem eſſe, Ordines tanto oneri reluctantes adigere. Tantum Svecis dandum, ut ſuperſit, quod in alios erogari poſſit. Et turbarum materiam, Oſnabrugenſes præbituros, ſi Monaſterienſium ſuffragia omnino negligere perſtiterint. 1648. Et Cæſareorum querelæ.

LXIX. Hiſce jurgiis detentis Servientius intervenit, qui poſt Longavillani Ducis abitum, & Memmio domum revocato, Aulâ tamen, quod Religionem Statûs utilitatibus prapoſuerat, prohibito, ſolus ex Collegis remanſerat. Is Oſnabrugam profectus, ut intermiſſi Tractatus Monaſterii in Galliæ honorem reſumerentur, poſtulabat, conficiunda ibi dictitans, quæ, ad cauſam communem pertinentia, Oſnabrugæ nondum transacta eſſent. Interceſſere Proceres, (Evangelicis maximè Nuncii Pontificii, Hiſpanorum atq; Jeſuitarum artes ſuſpectantibus, Monaſterii magis valituras,) patratam ferè pacem, turbamenta, ſi iſthic ageretur, ab Hiſpanis Catholicisque horum factioni addictis, cuncta deniq; Oſnabrugæ proniora oſtendentes. At negabat Servientius, Regi ſuo honorificum, ſi poſt decem menſium patientiam, quibus negotium Oſnabrugæ tractari pacis amore conceſſerit, reliqua quoque Oſnabrugenſes Gallicum quoque negotium Oſnabrugam trahere conantur, Recuſante

1648. ibi peragi ſinat, Monaſterii, ex pactorum Hamburgenſium formula, tranſigunda. Neq; id absq; Pontificii Venetiq; offenſa futurum. Non tamen gravaturum per aliquot dies remanere, ſi absque tractatuum ſolennibus (formalitäten) iis de rebus conſultationem Proceres inſtituerent, quæ ad Regis ſui utilitatem ſpectarent; ut ſcilicet, Lotharingo Burgundicaq; Regione Tractatione hac excluſis, Cæſar quoq; Hiſpano, contra Gallos belligeraturo, ſuppetias ferre vetaretur. Suam denique fidem extollebat, tanquam conventorum retinens nihil unquã innovarit; eamque â Cæſareanis mutuo Jure repoſcere, ex quibꝰ Trautmansdorffius, nullã in his articulis paci moram fore, perſpicuis verbis affirmaverit. Neq; id Volmarum inficiaturum. Iniquum, ut tanta auri copia pro Alſatia Auſtriacis numeranda, reddendisq; tot urbibus arcibusq, Cæſarem viribus inſtruant, Hiſpanorum ambitioni in Gallorũ perniciem poſtea commodandis. Vicennalis potius belli labores atq; diſcrimina adituros, qvàm moleſtis adeo conditionibus paci adſentirentur.

Servientio. 14. 4. Junii.

LXX. Neq; benignius reſponſum â Cæſareanis, eã de re compellatis, retulere, Monaſterium Gallicis negotiis dictum, atque irritos cum Lambergio Cranioq;, nullis in eam rem mandatis inſtructis, Tractatus cauſantibus, Volmaro quidem præſente, at ſine Naſſavio Legationis Principe, nihil, extra Monaſterium præſertim, quod valere poſ-

Et multò magis Cæſareis. 15. 16. 5. 6. Junii.

poſſit, obituro. Præterea in contumeliam ſuam 1648.
Pontificium Venetumque tracturos, ſi, conciliandæ inter Imperatorem Galliæq; Regem concordiæ adſciti, pacis tractatione amoveantur. Non etiam unius Cæſaris rem agi. Ad Hiſpani maximè injuriam damnumqne tendere, quod Galli Lotharingiam Brugundiamque Imperio avelli, Cæſaremque ferendo gentili Principi contra iſtorum violentiam auxilio arcendum contendant. Conſulerent, quæ vellent, ſtatuerentque Proceres, at non inde pacem exorituram. Expeditius, ſi reddito à Svecis in Tabulas pacis, abolitis qualibuscunque novitatibus ad conventorum formam emendatas, reſponſo nimium adhuc usque prolatato, Ordines quoque Monaſterium abirent, concordiam cum Gallis ibi utilius curaturi. Paria Svecis, eadem urgentibus, regeſſere, Lotharingiam Burgundiamqve pacis Germanicæ communione privari nunquam ſe permiſſuros teſtati; Svecis contra, invidiæ Cæſareanorum augendæ, belli ſtudia quietisq; impatientiam objectantibus, & modo Procerum ſocietate juvarentur, mox pacem ac tranquillitatem redituram eodem tempore aſſeverantibus, quo illorum Delectis, ut tertiæ quinque *millionum* portioni, mox poſt promulgatam pacem numerandæ, acquieſcerent, donec & reliquarum cogendarum facultas eſſet, aliaque ſolvendi facilitati aſſerendæqve paci commoda precantibus, cuncta negabant, ne promiſſam quidem ſummam ſe acceptaturos 18. 8. Jun.

1648. profeſſi, ni ſine ſpe rati & certo nulliſque conditionibus adſtricto conſenſu offerrentur: eumq; niſi intra octo aut quatuordecim dies præſtarent, irritum inutilemque poſteà futurum minabantur.

20. 10. Jun. Cæſarei inſtitutæ nihilominus ordinum Deliberationi intercedunt.

LXXI. Jamque conſveto loco Proceres convenerant, de Gallicis rebus conſultaturi, cum Cæſarei vocatis Moguntino, Treviro ac Bojoaro, & cum hi paucitate ſua ſe excuſarent, aliis inſuper accitis, non quidem officii ſui eſſe fatebantur, præcipere, quibus de negotiis ad Imperii Senatum relatio fieret, modo ad Germaniæ Ordines ſpectent. Verum in cauſis, Cæſaris dignitatem, ſtatum, hereditatemq; attinentib9, non inſcio modo ſed & prohibente ipſo, in hoſtium tantum gratiam velut ad Procerum Tribunal raptis, inaudita altera parte, (Hiſpanos ſignificabant) ſuffragia, vota, ſententias exquiri promique, id verò antiquo mori contrarium, neque Auguſto tolerandum. Ignorare ſe quidem, conſulendi an decernendi animo Ordines deliberationem iſtam cœptaverint; At utrumque vanum àtque invalidum. Neq; enim conſilium â Cæſare rogatos nunc eſſe, cui illud ſufficiat, quod olim dederint.

29. Apr. 1646. 25. Sept. 1647.

Decreta verò Legeſque laturis neq, Imperatorem, neq; Catholicorum Regem, neq; Lotharingũ deniq; parituros. Qvod ſi ipſius controverſiæ rationes expendantur, Lotharingicos Principes A. M.D. XLII. & Burgundos A. M.D. XLIIX.

Ger-

Germaniæ Civibus publicis Imperii Comitiis 1648.
certa in pacta adſcriptos, ea in Remp. officia contuliſſe, quæ quamvis multarum myriadum pretio æſtimari non poſſint. Ea Gallis tantum mulcendis negligi, aut iſtos res ſuas ab Imperio ſeparatas habere, ſine ſumma illorum offenſione juberi non poſſe, iniquitatem iſtam, juſto ignominiæ dolore, toti orbi, cum ſempiterno Germanicæ fidei dedecore evulgaturos, & verſâ in contrarium amicitia, aliisq; fœderibus quæſitis, tam terra quam mari adverſa in eos paraturos, qui ampliſſimo ex commerciis ac negotiationibus proventu, Burgundis amicis, ingenti ſuo commodo, hactenus uſi ſint. At verò flagitare, ut Imperator, deſerto agnato Hiſpano, hereditaria in iſta regna Jura, quaſi ſolenni abdicatione, projiciat, omnibus honeſtæ juſtæq; conventionis, tum Numinis præcipuè Gentiumq; legibus, ipſi deniq; pacis tabularum exordio repugnare, cui *Pacis Chriſtianæ* nomen ipſi Galli Svecique inſcripſerint. Plusquam Ethnicam quippe futuram, ſi cognati ſangvinis neceſſitudines negligere jubent, apud ipſos Gentiles cum reverentia habitas. Malè utique ſentire de Cæſare, qui conditionibus iniquis adeò pietatique Chriſtianæ infenſis adſenſurum ſperent. Nimium quoque credulitati ſuæ indulgere, qui, ſopitis his litibus, pacem illico ſecuturam exiſtiment, quam novis ſemper artibus prætextibusque hoſtes interturbent.

1648. Certè à Svecis nondum obtineri potuiſſe, ut ad oblatas noviſſime pacis conditiones reſponſum redderent, alia multò agitantibus. Germaniæ Optimatibus, ut adipiſcendis, quæ optarent, ſua cum illis conſilia conſociarent, ſvadere auſos, eo videlicet conſilio, quo non Pontifice minus Venetisq; , quam Hiſpano atq; Lotharingo acceptæ ignominiæ ira concitatis cunctorum auxilio nudati Proceres, intentatum diu jugum proniori collo admitterent. Ipſos Galliæ Legatos proximo anno nullam cum Germanis pacem ſe contracturos, ſi non cum Hiſpanis quoq; jungeretur, Catholicis coram profeſſos eſſe, idque Delectos horum Trautmansdorffio Comiti ſignificaſſe. Et quidem difficilius quietem Imperio permiſſuros, ubi omnium ope amicitiaque illud ſpoliaverint. Fixum id ſibi immotumque, nullam de Gallicis poſtulatis deliberationem Oſnabrugæ pati. Omnibus potius Tractatibus abſtenturos; Et Volmarum, perſcripto ad Imperatorem rerum ſtatu, Monaſterium regreſſurum. Eſſe quidem, ut compererint, ex Proceribus, qui neglectis Cæſareanorum obteſtationibus, rem aggredi ſvadeant. At meliora de Procerum modeſtia ſibi polliceri, aut ſaltem exemplo meruiſſe Auguſtum, qui, quanquam à magnæ dignationis Principibus diverſa conſultus, nulla præcipua poteſtate uſus, omnia ad Procerum Senatum retulerit.

22. Jun. 1647.

Procerum LXXII. Reſpondere Ordinum Legati, ut gravia

via Cæſareanis ingerere promti, ita audiendi ab 1648.
iſtis, quæ Majeſtatem Procerum dedecere videbantur, inſolentes, & ſervitutem rati, ſi pari auſteritate tractarentur; Dura moleſtaq; eſſe, quæ contra Statuum Jura Cæſareani propoſuerint, neq; enim parum eorum referre, qua ratione controverſiæ iſtæ tranſigantur, quibus non extinctis, bellum manſurum ſit. Omitterent minas iſtas, & in innoxios criminationes, quas ad Dominos quisque ſuos perſcripturi ſint. De tractatibus cum Servientio Oſnabrugæ reſumendis priora flagitaverunt. At Cæſarei, quæ antea, repoſuere. Ita Servientius, re infecta, Monaſterium remeavit.

reſponſum.

LXXIII. Præter hæc novam, & qua jam defuncti videri poterant, ſollicitudinem Senatus Auguſtanus injecit, qui, æquari ſibi Evangelicos impatienter indolentes, tantumque ſibi demi arbitrati, quantum iſtis acceſſiſſet, nihil omittebant, quo inviſam adeò ſibi transactionem convellerent. Ideoque, cùm gravibus quamvis, quibus Evangelicos Cives deterreri poſſe putaverant, Decretis minus promoveri animadverterent, ad Cæſarem (*e*), Pragæ tum agentem, miſere, qui pactionis Oſnabrugenſis injuriam deprecarentur.

Tractatio Oſnabrugæ abrupta, 22. 12. Jun. Senatûs Auguſtani renitentia contra transactam Paritatem.

LXXIV. Evangelici igitur Proceres, ne ſopita jam cauſa ad antiqua jurgia recideret, anxii, ad Cæ-

Evangelico-

(e) *Vid. Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c. 202.*

1648. Cæſarem (*f*) literas dedere, quibus grates primum agentes, quòd is ſancitæ Auguſtanorum utriusque religionis in adminiſtranda rep. æqualitati adſenſum commodaſſet, prudentiam ſimul benignitatemque illius collaudabant, qui ſolerter reputans, ſalvam Auguſtam, niſi beneficio Paritatis iſtius, eſſe non poſſe, diſcordanti Urbi tam ſalubre remedium tulerit; haud ignarus videlicet turbarum, quas ob neglectos poſthabitosque contra pacem religioſam atque inter ſe Civium Pacta Evangelicos Urbs iſta perpeſſa ſit, tanti momenti à Proceribus ejusdem Confeſſionis habitas, ut jam proximo ab hinc ſeculo coram Cæſare communem ſollicitudinem doloremque Palatinus, Saxo, atque Brandenburgius Septemviri, promerent conteſtarenturque, id nimirum ab hominibus tranquillitatem exoſis agi non immerito ſuſpicantes, querentesque, quo depulſis Urbe, unde ipſis appellatio, Civibus religionis ſociis, ipſum Confeſſionis nomen exſtingverent. Eamque non poſtremam ſimultatum diſſidiorumque inter Proceres utriq; religioni addictos, & quæ ex illo fonte profluxerint, calamitatum cauſam fuiſſe, neminem fugere; cui exſcindendæ, & aſſerendæ ad formam Auguſtanæ Pacis, Civiumque inter ſe conventionum, incolumitati Evangelicorum non commodiorem, ac iſtam æqualitatis rationem ſuppetiiſſe. In honorem tamen Cæſa-

Procerum literæ ideò ad Cæſarem. 15. 5. Jun.

Anno 1590.

(*f*) *Lundorp. c. 204.*

Cæſaris, Catholicis in Senatu ſecretiori unius ſuffragii prærogativam conceſſam, ad Evangelicos ſpectaturam, ſi ex numero Civium Senatorum numerus ineundus fuiſſet. Et gratum id, ſeſe ſperaſſe, atque incitamento futurum Catholicis, quo promptius Transactioni obſequerentur, benignosque ſeſe ac amicos Civibus A. Confeſſionis præſtarent. At non ſine dolore animi ſibi compertum eſſe, Senatum, pervicaci in iſtam Confesſionem odio, privatisque emolumentis, aliorum denique pacem averſantium conſiliis vocibusque ſtimulatum, Evangelicis univerſis ſingulisque gravem ipſumque Cæſarem aggredi auſum, confectā jam transactionem vario conatu laceſſere. Idque ſibi, de Cæſaris quidem animo ſecuris, triſte tamen merito eveniſſe, facile deprehendentibus, quam infenſo in Auguſtanam Confeſſionem animo ii ferantur, qui ne nunc quidem, re jam transactâ compoſitâque, ad mitiora conſilia flexi, novas turbas litigiaque moliantur; proclivi inde ſuſpicionis introitu, alia forte & pejora ſubeſſe, occaſionemque quæri, qua extincta vix odiorum ſemina in novos ſimultatum diſſidiorumque fructus excreſcant. Additæ in fine preces, ut Senatum officii ſervandæq; pacis Cæſar moneret, neve is impugnare pertenderet, quæ Imperatoris, Svecorum, cunctorumque Imp. Ordinum voluntate conſenſuque certam formam roburq; adepta, ſine ignominia illorum, & Evangelicorum præſertim dolore, labefactari non poſſint. 1648.

LXXV.

1648. LXXV. Miſſa ab iisdem ad Senatum Auguſtanum (*g*) epiſtola, qua paria conqueſti cauſatique, eorum audentiam arguebant, qui velut turbandæ quieti idonea traducant; quæ non ad Urbis minus atque Imp. tranquillitatem, Cæſari, Ordinibusq; proviſa placitaq;, Paci Auguſtanæ, rationi, atque conventis inter Auguſtanos utriusque religionis Cives pactis congruere, ne ipſos quidem inficiaturos exiſtiment, modò non judicio propriæ cauſæ favor officiat. Certe neque Cæſarem, neque ſeſe unquam permiſſuros, abolitis reſciſſisq; publicis conventionibus, auctore Principe, atque Decreto Senatûs firmatis, æquataq; Civium conditione rurſum ſublata, Senatui proculcandorum in contumeliam communis Nominis Evangelicorum occaſionem, Imperiique Proceribus ſuſpicionum odiorumque cauſas aperiri, tanto annorum, ſangvinis, nummorumque impendio, atq; cunctorum gratulatione gaudioque ſubmotas. Ne igitur publicæ tranquillitati inutili conatu intercederent, neq; cum Civibus ſuis pari Jure uti dedignarentur, communi conſilio nobiliſſimæ Urbis incolumitatem melius tuituri. Neque enim, niſi ſervata æqualitate, Urbi requiem fore.

Ad Senatum Auguſtanū. 15. 5. Jun.

LXXVI. Ad quæ à Senatu non ſine verborum acerbitate (*h*) reſponſum; Nullam in eo turbarum cauſam, neque contra Pacem religionis aut Civi-

Hujus reſponſum. 3. Sept.

(g) *Lundorp. c. 205.* (h) *Lundorp. c. 206.*

Civium inter ſe Pacta quid patratum, ſi non ea- 1648.
dem Auguſtæ Evangelicorum, quæ Catholicorum in creandis Magiſtratibus ratio habita fuerit, quos à tempore mutatæ religionis æquali jure neque iſta neque aliæ ſimiles conditionis Urbes unquam cenſuerint. Perruptæ Pacis religioſæ, violatæ civilis fidei, concordiæ quietisque impatientiæ, affectuum intemperiei, privati emolumenti, aliaque paris elogii in invidiam ipſorum adgeſta convicia non aliis magis convenire, quàm qui priſtini ſtatûs atq; integri ſeculi uſu firmati haud amplius tolerantes, cuncta publicarum privatarumque pactionum vincula perfregerint. Catholicos ipſo Pacis Auguſtanæ tempore præcipuo quodam Senatûs Jure potitos, integra ſibi quoque ſervari, non immerito depoſcere, quæ, ut alii cuicunque Ordinum, Pax iſta aſſeruerit, tuendæ omnium incolumitati dignitatique ſancita, & cujus legibus derogare, ne Cæſari quidem permiſſum ſit. Carolum (Qvintum), redditâ Patriciis regundæ Urbis poteſtate, ducentis abhinc an- Anno
nis plebis ſeditione ad Tribunos translata, ita 1548.
rem inſtituiſſe, ut Catholici maxime Senatu, magiſtratibus, aliisque officiis fungerentur. Et benè ſeſe publicam rem habuiſſe, quamdiu Conſtitutioni iſti vis ſua duraverit, neque tumultuum inde occaſionem crimenq; confingendum, quod ſtabiliendæ potius mutuæ civium benevolentiæ concordiæqve haud inidoneum fuiſſe, longo rerum

1648. rum uſu compertum ſit. Auguſtanæ Confeſſionis ſociis, (quorum nomen ſua ſponte ſibi ipſis inditum, ihr ſelbſt geſchöpffter Name/ nihil ad priſcæ religionis detrimentum, nihil ad antiquum Civitatis Statum immutandum valere oporteat,) nullam à ſe injuriam illatam, neque ad opprimendam exterminandamve Confeſſionem illam unquam ſe animos induxiſſe, aut ex negata Evangelicis Senatus officiorumque æqualitate queſtuum diſſidiorumque cauſas exortas, cujus petendæ neque A. CIↃ IↃ XC. neque poſtea unquam ipſi audaciam induerint. Ægrè ideo ſibi perſvaderi, reperiri inter Catholicos Imper. Proceres, qui, Senatûs cauſam improbantes, paritate iſta Urbi conſuli poſſe exiſtimarint; quorum ne unum quidem pernicioſiſſimæ iſti, perpetuasque ſimultates ac diſſenſiones laturæ æqualitati conſenſiſſe Acta teſtentur, ex quibus illud potius meliorique fide conſtet, iſtam Jurium ex æquo communionem, *ab univerſis & ſingulis Statibus Catholicis, aut eorum unanimi majoriſve partis, præſertim Intereſſatorum, ſeu communi partium placito*, nunquam probatam fuiſſe. Et ſi omnino ex pari degere utriusque religionis Cives oporteat, æquius meliusque fore, Evangelicos, quibus alioquin nihil detractum velint, in numerum redigi, quam Catholicis Senatûs Magiſtratuúmque Jura imminui, Carolina conſtitutione, vetuſto more, Civium ſacramento, ipſaque reli-

religionis Pace firmata, qvæ ſua cuiqve Jura ſervari, non ob majorem Evangelicorum multitudinem, Catholicos ſtatu ſuo dejici, ſtatuerit. Ex qvo eo minus qvid demutandum, qvoniam A. CIↃ IↃ. LXXXIV. inter utriusq; religionis Cives de Conſtitutione iſta nunqvam non ſervanda, ſolenni pacto convenerit; A. CIↃ IↃC. XXXV. adjectâ clauſulâ, renovato, ne ex qvocunqve in poſterum Pacis Tractatu damni quid, emolumentive alterutra partium opperiretur. Atque hiſce multo firmius ſeſe, quàm Evangelicos Proceres, *concepto termino, in quo habita poſſeſſio, unica ſolaq; totius Transactionis, reſtitutionis, obſervantiæq; futuræ baſis conſtituatur*, inniti, quo tamen & ipſo Catholicos Senatores ſecludere iſti ſuſtineant. Modeſtius quondam Saxonem, Altenburgios, Vinarienſes, Coburgios, Brandenburgicos, Wirtenbergios, Cattos, Badenſes, atque Noricam, Ulmenſem & Franſurtanam Civitates, illud ſcilicet ſolùm flagitaſſe, ne pejori conditione Evangelici Auguſtæ haberentur, quam quâ A. CIↃI IↃ. LXXXIV. uſi fuerant. Quin neque proximis abhinc Comitiis, neq; hoc ipſo ob reducendam pacem Conventu, ſive Svecos, ſive Proceres, ſive ipſos etiam Cives Auguſt. Conf. addictos primùm ultrà proceſſiſſe, quàm ut eo ſtatu hos reponi poſtularent, qui ante expulſa iſtorum ſacra (vor der Reformation) fuiſſet, disertè profeſſos, hanc ſibi votorum ſummam eſſe, nihil cupien- 1648.

1648. tibus, quod ad Catholicorum detrimentum imminutionemve pertineret. Ne igitur beneficii loco ipſis imputarent Evangelici Proceres, conceſſam unius ſententiæ prærogativam, tot ſuffragiis ſpoliatis, quam neque Cæſarem velut honori ſuo expenſam acceptam laturum exiſtiment. Ceterum ad Imperatoris opem ſe nullo, ut ſperent, crimine confugiſſe, ſuo quippe, ut Imperii Civium, jure uſos, neque eam *Capitis deminutionem* paſſos, quæ *ſummi Capitis* aditu arceat, cujus gratiâ egregiis in eum officiis *non capaces modò ſed & dignos* ſeſe præſtiterint. Oblatas igitur iſti preces ſibi vitio verti non poſſe, neque Evangelicos Proceres contra ipſos litem ſuam facturos ſeſe ſperare, quibus inducendæ contra Jus fasque diſparitatis, conculcandorum atque exturbandorum in ignominiam atque exſtirpationem communis Auguſtanæ Confeſſionis nominis Civium eidem addictorum, ſerendorum inter Imp. Ordines odiorum, imminuendæ inter iſtos fiduciæ, reſuſcitandarum denique rite jam legitimeq; pacatarum controverſiarum, neque animus unquam, neque conſilium fuerit. Et vero quorum conſenſu, quibusque conditionibus cauſa Auguſtanæ Urbis tractata transactaque ſit, ex Actis apparere, facili inde cuivis judicio, modo ſincerum partium amor odiumve permittat, an in rebus religionem attinentibus *facultas contradicendi*, ab ipſis Evangelicis Proceribus toties uſurpata,

pata,

pata, à paucioribus pluribus adimi, innixa ipſi 1648.
Naturæ defenſionis Jura interverti, & *per res inter alios actas*, aliis, contra ſanctiones & conventiones publicas & privatas, contra juratam hominum fidem, præjudicari queat. At alia controverſiæ huic componendæ atque idonea magis tranquillitati reparandæ ſtabiliendæque remedia ſupereſſe, quibus ſeſe quoque non defuturos, modo eadem ipſi admittant, qui æqualia ſervandæ pacis Auguſtanæ, conciliandæ firmandæque mutuæ Ordinum benevolentiæ, vitandarum turbarum, egregii denique publici ſtudia præ ſe ferant. Verùm non ideò tanto ardore rem egerant Evangelici, ut demulcendo Senatui ex pactis quid remitterent, in ſociorum favorem conventis. Et manſit transactioni robur, cujus perficiundæ miniſterium Conſtantiæ Præſuli, atque Wirtembergiæ Duci delegatum, quo poſtea, necquicquam refragantibus frendentibusque Pontificiis, non minori horum luctu, atque Evangelicorum Civium gratulatione lætitiâque, perfuncti ſunt.

LXXVII. Non minus interea jurgia de præbendis militi ſtipendiis calebant, Cæſareanis adſignatis quidem ſibi regionibus contentis, modo non Svecis major ſumma tribueretur; Bavaris verò, quibus quinquies millena aureorum millia Cæſarei ſtipulabantur, ut Franconia Sveviaque cum Bavaria copiis ſuis eas penderent, inſtantibus. Difficilior cum Svecis contentio fuit, Contin. ſatisf. militis. 24. Jun. 4. Jul.

1648. CCC.M.thaleror. protinus poſt ſancitam pacem, reliquam partem proximo biennio perſolvi, & in ſpei ſecuritatem pignora poſcentibus. Eaque ut nominatim ederent, rogati, pudore primum detenti, riſu transmiſere, poſtea annuentium facilitate audentiores, Hamburgum, Lubecam, Bremamq;, aut duas Saxoniæ Regiones, tandem Vechtam, Kloppenburgium, & Glogaviæ Saganique in Sileſia Principatus, ut *res nullius* nominabant, tantâ inſolentiâ, ut Proceribus bis millena Thaler. millia mox poſt perfectam pacem numerandas, eas quidem in Leges, offerentibus, ut præter Cæſaris, Svecorum, atque Bojoari exercitus, neque Cattæ neque cujuscunque alius militi Reſp. teneretur; pecunia ipſi adnumeraretur exercitui; Copiarum dimiſſio, & reſtitutio locorum eodem tempore procederent; Ac tertiæ iſti parti computarentur, quæ miles ex terris, ubi moretur, poſt pacem accepturus ſit, Proceresque, præſenti nummo haud inſtructi, militem â Ducibus tribunisve, at ſacramento militari ſolutum, reciperent, ſuſtentaturi, donec debito ſe exſolvant; Obligationis denique diviſionem, ac *Guarantiam*, ut appellant, *communem*, pignoris loco repetentibus, pacis odium ſupremo Numini vindicandum objectare auderent; olim modo de ſumma conveniretur, omnia prona polliciti: ingenti, quanquam ſecreta, eorum ira, quibus decus publicum curæ, quique clariſſimæ atq; celeberrimæ nationi tam

22.12. Jun. Ratione terminorum ſolutionis & aſſecurationis.

27.17. Junii.

tam acerba tributa ab extremis hominum, & pri- 1648.
diano, ſi nobilitatem ſpectes, libertinoque populo tanta ſuperbia imperari gemebant: præcipuo in Erskeinum odio, quem *nullas neque rationes neque circumſtantias audientem*, omnes diris devovebant.

Reginæ Sveciæ literæ ad Ordinum Legatos. 17. Jun.

LXXIIX. Et ſenſere invidiam Sveci, quam Regina mitigatura, literis ad Proceres tam Monaſterii quam Oſnabrugæ agentes compoſitis, de patris defuncti, &, quem ab eo hereditario Jure acceperit, in Germaniam amore magnifice, qui Principum mos eſt, præfata, *eo ſe maximè affici* memorabat, *quod militis ſui ſatisfactionem invidioſe traduci, ac non niſi convicia in ſe militemque ſuum, de Statu Publico omnium optime meritum, ſpargi, & adjunctis minis præter omne fas in deterius verti*, compererit. *Ideò quanquam non dubitet, Plenipotentiarios ſuos ſuum & feciſſe facturosq; officium, innocentiam ſuam & militis ſui perſpicue declarando, atq; Jus & æquitatem poſtulati ac intentionis ſuæ aſſerendo, ut iis non difficulter acquieſcere poſſet; Tamen cum omnia hucusq; adeo probè ſucceſſerint, ut ſpes nunc affulgeat, non pacis tantum & quietis publicæ, ſed & conſolidationis animorum inter ſe Regnumq; ſuum & confœderatos atq; Imperatorem Statusq; Imperii, id ex re viſum, ut literis Plenipotentiariorum ſuorum adſerta firmaret, &, quæ mens ſua circa militis ſui ſtipendia, explicaret. Et quidem notũ eſſe Proceribꝰ, & univerſis re-*

1648. *rum præſentium gnaris, militem Svecicum non tantum pro ſua,* Reginæ nimirum, *ſed communi Imperii ſalute multis nunc retrò annis pugnaſſe, & ſummas difficultates ac labores, vulnera ac pericula exantlaſſe, ſummâ & admirabili cum conſtantia ac fortitudine, ut negligi aut tranſiliri ſine turpitudine aut infamia non poſſit. Haud equidem negari, Status Imperii diuturno bello exhauſtos, & florentes olim Provincias, cæſis hominibus atque animalibꝰ, fermè in ſolitudinem redactas per bellicas hoſpitationes, ſtativa, tranſitus atque excurſiones. At cum hi bellorum comites ſint, &, ſi bella continuent, adhuc Genio belli ejuſdem comites futuri, nihil mirum, ſi durante bello arceri nequiverint. Neq; in præſens tam anxie cogitandum, qvomodo qvisq; ſublevari difficultatibus & oneribus, qvàm qvomodo malorum principia tolli poſſint, etiamſi id fieri neqveat ſine grandi onere, qvod ſpeciem mali habere neceſſum ſit. Cogitarent ergo, & perpenderent, ſecundum Deum, ſuo ſtudio & optima intentione, ſui verò militis indefeſſo labore ac opere id contigiſſe Imperii Statibus felicitatis, ut ſopitis, quibus hactenus exagitati ſint, litibus & controverſiis coaleſcere cœperint & magis coaleſcere poſſint in Conformitatem unius Corporis atq; Conſilii. Neq; tantopere æſtimarent malorum ſenſum, qvo adfecti bello fuerint, quam bona, qvæ inde eveniant; ſiquidem libertas publica Statuum imperii, neqve aliis rationibus olim acqviſita, neque nunc conſervari potue-*

potuerit. Idqve à Proceribus ex parte obſervatum 1648.
ſe animadvertere, dum militi Svecico ſatisfactionem quandam haud recuſent in toto, ſed eandem ita acciſam & decurtatam offertis, aliis quoq; adjectis clauſulis, ex qvibus militum ſuorum multò citiùs diſtractio qvam ſatisfactio ſubſeqvi poſſet. Admonendos igitur ea de cauſa videri, ut, cunctis recte ponderatis, militis Svecici virtutem atqve ſervitia, non ſibi tantum ſed magis Germaniæ hactenus præſtita, perpendant, & ex eo, qvid æqvum & juſtum, tum qvid fieri poſſit & debeat, ſua lance librent, atqve exinde, quid opus facto, ſtatuant. Qvod ſi rem accuratius paulo examinare voluerint, non difficulter deprehenſuros, conſilia contraria, ſpecie qvidem forſan læta & jucunda, ſed tractatus difficilia, ipſoqve eventu triſtia futura, ut qvam viam elegerint mitiorem, eandem fore magis lubricam & ſalebroſam actu ipſo ſenſuri ſint. Se jure optimo & propter ſumma militis præſtita ſervitia tam ſibi quam Statibus Imperii magni æſtimare, & ejusdem conſtanter exantlatos labores & difficultates juſta recompenſatione dignos judicare, & ipſis, Proceribus ſcilicet, ſtatum conditionemqve ejus optimo Jure commendare; Neqve tamen eam commendationem aliter reputari velle, qvam cum juſta conſideratione æqvitatis & præſentium rerum, & merita militis, &, qvid jure fieri poſſit ac debeat, æqva lance ponderentur. Merita enim militis & fructum conſervatæ libertatis publicæ in imperium

1648. *redundantem ex una parte æſtimari ſe optare, ex altera vero præſentem Principum Procerumq; conditionem rectè librari æquum eſſe, ne hæc ſupra modum oneretur, neve miles ſe neglectum jure queratur; Cujus rei juſtam & æquam rationem ipſos habituros, & præſenti tempori adaptaturos, ne vel paci mora & executioni impedimentum injiciatur, vel ſub nimio onere Status ipſi ſuccumbant.*

Cæſareorum inſtantia ob ipſorū militem.

LXXIX. Fatigabantur interea Ordines crebris Cæſareorum queſtibus, juſta Imperatoris poſtulata Svecorum cupiditatibus poſtponi deplorantium; illis contra immotis, & ſtipendium Sveco militi â Cæſareis primum, & quidem nullo Provinciarum in eos ceſſarum impendio, promiſſum; levatasque eo onere Auſtriacorum Provincias, objicientibus ſolas, illud ſubituras, ſi Svecos audires, non adverſus Imperium, ſed Auſtriæ Principes, arma ſumſiſſe dudum profeſſos.

30. Iun. 10. Iul.

Termini ſolutionis cum Svecis conventi.

LXXX. Et aliâ quidem curâ agitabantur Proceres, quo videlicet modo Svecorum aviditatem aut implerent aut deprecarentur; Atque poſt iteratos ſæpius congreſſus perſvaſere his tandem, ut XIIX. C. CIↃ. thalerorum poſt confectam ſtatim confirmatamque pacem præſentia, (quanquam ex LX. Imperii Urbibus vix duodecim ſolvendo in id tempus futuras iſtæ obtenderent,) duodecies C. CIↃ. proximo anno duabus æqualibus ſolutionibus, duas reliquas milliones duobus itidem annis inſecuturis acciperent, adnexis conditioni-

bus,

bus, quibus ex Caſſellanæ poſtulato (huic bis millena thaler. millia Sveci antea flagitaverant,) nullum paci turbamentum, militi poſt miſſionem demum pecuniam exſolvi; exactiones quibuſcunque injuriarum nominibus exerceri ſolitas illicò poſt patratam pacem, integro tamen militi alimento certum admodum præſtando, ceſſare; aliaque in eam formam ſtatuebantur, ceteris ad tractationem remiſſis, qua exequendæ pacis Leges ſancirentur. 1648.

LXXXI. Ita votorum compotes Sveci reſponſum ſuum, (*Notas* appellabant,) Cæſareanis in tabulas ipſorum retulere, ſolitos congreſſus pertractando negotio inſtauraturi, ſi non Gallus interceſſiſſet, confectâ Svecica pace deſideria ſua neglectum iri, Cæſarisque arma è Germania in Belgium tranſitura metuens.

Notæ Svecorum ad Noviſſimum Cæſar. Inſtr. 1. 11. Jul.

LXXXII. Major â Cæſareanis difficultas, quidquam ſe prius ſuſcepturos, quàm de Auſtriacorum Exulum Amneſtia, (ea juxta cum Badenſi cauſa ſola ferè litis materia remanſerat,) transactum eſſet, præfractè negantibus. Jamque viæ ſe paraverat Oxenſtiernius, Viſmariam celebrandis cum . . . Regium Gynæceum moderante nuptiis aditurus, niſi Procerum preces retinuiſſent. Et reſumta tandem tractatio in Cæſareorum ædibꝰ, ubi dum Sveci iſtiq; colloquebantur, tam Catholici quam Evangelici, ante diverſis conclavibus commorari ſoliti, unum jam intraverant, miranti-

Amneſtia & reſtitutio Exulum Auſtriacorum.

1648. bus Cæſareis, nimia Procerum concordia magis ſollicitis. Ac de neganda quidem Exulibus reſtitutione, quibus ante Svecorum in Germaniam irruptionem bona ademta, ſenſu inter Cæſareos Svecosque conveniebatur, verbis diſſidebant. Ita quippe componi Sveci volebant, ne ſententia ſua conſenſuvè damnaſſe iſtos videri poſſent; Et quanquam â Proceribus rogati, ne rem largiti vocabulorum difficiles eſſent, abnuebant, ſatis ceſſum, neq; Reginam ultra urgendam affirmantes, quæ pacem admittat, quam Exules aut nullam aut miſeram egenamq; habituri ſint. Sic apud Svecos irriti Cæſareos aggrediebantur, (nusquam minus cunctabundi, quam ſi cum iſtis loquerentur,) ne deſiderii compotes vocum adeo tenaces eſſent, obteſtantes: indicio quippe futurum, pacem aut ſua ſponte, aut in Hiſpanorum gratiam nolle, quando rebus potiti, verborum litigiis tractatus morarentur. Et ſi omnino Domini juſſa prætexerent, qui ne ſyllabæ quidē, (id Cæſareani cauſabantur) immutandæ facultatem reliquerit, (quamvis contrarium id Legatorum plenis cum mandatis miſſorum muneri,) facti culpam in ſe recepturos, aſſeverabant; reſpuentibus Cæſareanis iſtam criminis delegationem, cujus invidiam ipſi pœnamq; toleraturi eſſent. Edita nō multò poſt

4. 14. Julii. â Svecis formula, qua: *Ut bona* Exulū Auſtriacorum, *antequam in Coronæ Sveciæ Galliæq; partes tranſierunt, confiſcatione aut alio modo amiſſa,* (*& ſi tam*

tam Sveciçi quam Ordinū Imperii Legati inſtantiſ- 1648.
ſimè poſtulaverint, ut iis etiam illa reſtituerentur, per rigoroſam tamen Cæſareorum contradictionem absque belli continuatione aliud obtineri neqviverit,) *porro quoq; amiſſa SINT & modernis poſſeſſoribus PERMANEANT*, conſtituebatur; eâq; ſatis feciſſe etiam iis credebantur, qui proniori in Cæſarem affectu inclinabant. At aliter Cæſareanis viſum, tanta Cranii ſuperſtitione, ut capitis diſcrimen ſibi ingruere aſſereret, ſi loco *Imperativi, SVNTO ET PERMANENTO, Conjunctivum SINT ET MANEANT* admitteret. Atq; dedere tandem Sveci Bojoari, Herbipolenſis, Altenburgii, & Vinarienſis precibus ac hortamentis, ut Grammaticalibus præliis pacem diutius tardari non ſinerent; in Cæſareorum formulam adſenſi, quam ex Tabulis (*i*) pacis, cui lubuerit, petet.

Perfecta. 8. 18. Julii.

LXXXIII. Facilior in reliquis conſenſus fuit, adeò calida, ut novæ amicitiæ ſolent, Catholicorum atque Evangelicorum Procerum, (eorum arbitratui pleraq; peragenda Cæſareani Sveciq; commiſerant,) concordiâ, ut, cum de Luſitano, quem pace comprehendi Sveci volebant, Cæſarei regio nomine appellare dedignabantur, diverſa Ordines cenſuiſſent, & Salisburgius, Bojoarus atque Neoburgius ita relationem ad Cæſareos Svecosq; faciendam dicerent, ut inde Proteſtantes aliquos.

Singularis Catholicorum & Evangelicorum concordia.

(*i*) *Inſtrum. Pac. art. IV. Qui verò ſubditi & ſeqq.* §. §.

1648. quosque Catholicorum, hinc reliquos horum ſtetiſſe memoraretur, obniterentur Bambergius, Herbipolenſis, Baſileenſis, Spirenſis, Tridentinus atque Brixienſis, atque tollenda iſta factionum & ſciſſa in Catholicos Evangelicosq; nomina, neq;, compoſitis jam litibus, appellationum diſſidia retinenda, monerent.

Tractationis impedimentū â Cæſareorum in Hiſpanos ſtudio.

LXXXIV. Unica Cæſareorum in Hiſpanos inclinatio obſtabat, adeò jam apertis ſtudiis oſtentata, ut Cranius, Cæſarem pacem Germaniæ non daturum, niſi eandem Hiſpani â Gallis impetrarent, non diſſimulato ambiguove ſermone ſignificaret, atque Collegæ ejus, ſolenni cum Svecis Proceribusq; conventu, Ferdinandum cœlum potius terræ miſceri, omniaq; ſurſum deorſum ferri paſſurum teſtarentur, quam ut ab Hiſpano abſtrahi ſeſe pateretur.

Injectæ inde novæ Quæſtiones difficultatesq;.

LXXXV. Ideò quæſita, quæ ad finem feſtinantes retinerent, repertusq; Reigersbergius, Hiſpanico auro, uti rumor ferebat, corruptus, qui perſonam ſuam acturus, trahendo negotio, de rogandis exquirendisq; in articulos Pacis Monaſterienſium ſuffragiis, præſtando Cæſari centum, ut vocant, *Romanorum menſium* (Römer-Monat) ſubſidio, & impertienda Colonienſi Archiepiſcopo, ex ſolo Monaſterienſi Epiſcopatu LVI. CIↃ. thalerorum menſtrua Cattæ, negato militi ſtipendio irritatæ, atq; inde in vicinos aſperiori, expendere adacto remiſſione ex donativo Svecicis Exerciti-

ercitibus decreto, ad Senatum, deliberationem de perficiunda pace expectantē, referebat. Nec Monaſterienſes ex pertinaciâ adhucdum quidquam remittebant. 1648.

LXXXVI. Verùm brevi difficultatem illam Proceres expediere, nulli equidem Ordinum ſuffragii ſui Jura adimenda reſpondentes; At officii Monaſterienſium eſſe, patriæ neceſſitati conſulere, cui Cæſaris, Regum, Septemvirorum, & pleriq; ex Principum Civitatumque numero Legati Oſnabrugæ (quo non ita pridem novem ex Catholicorum Ordine acceſſerant,) junctis conſiliis operisq; provideant. Venirent igitur, ſi animum obfirmare pergerent, negligendi. Colonienſis & ceterorum violentiæ Haſſiacæ correorum, ne nimio onere urgeantur, rationem habendam. (Hoc Bojoaro fratri, Bavaricæ Regioni jam adquieſcenti, tributum, refractarios & Hiſpanicis ſtudiis imbutos in ordinem ſe redacturū pollicito.) De poſtulata quoq; Cæſari pecunia proximis Comitiis decernenda ſpes facta, iis tamen verbis, ut, ſi aliquando nollent, negare liceret.

Ab Ordinibus ſolutæ.

LXXXVII. Ita ad priores conſultationes reditum, & Tabulæ pacis, ſi ſenſum ſpectes, Cæſareorum, Svecorum, Procerumq; Oſnabrugenſium adprobatione perfectæ. De verbis, quibus concinnarentur, adhuc laborabant, circa exequendam pacem (dem Executions-Punct) à Cæſareis ex induſtria ita compoſitis, ut emendandi materiem

Inſtr. Pacis à Cæſareis, Svecis, & Oſnabrugenſib9 perfectum.

1648. riem Proceribus, ſibi ducendæ moræ prætextum ſufficerent. Pacis etiam Tabulas præter Reginam
22 Jul. Senatorum quoque Regni manibus firmari po-
2. Aug. ſcentes, ex Procerum Imperii parte *Ordinarios*,
De ſubſcriptione Senatorū Regni Sveciæ. quos appellant, *Deputatos* muneri huic admoveri, ſatis cenſebant. Atque ipſi Optimates, habito in eam rem Senatu, Cæſareorum de Senatoribus Regni Tabularum confirmatione adhibendis ſententiam approbabant, ſupremum Danicæ pacis
25. Jul. cum Svecis initæ Exemplum recenſentes, cui etiam Svecici Proceres nomina adſcripſerant; Non tamen urgendos, ſi adverſarentur; Chriſtinam impuberem, cum Danica pax ſanciretur, neque deſignatam jam Reginam, & diverſam ab Ordinibus Imperii Senatorum iſtorum conditionem memorando; Oxenſtiernio, ipſi Regni formæ iſtud Cæſareorum petitum repugnare, obtendente. Proximis tamen Svecorum Comitiis, ad Curiarum Gallicarum (*Parlamentorum*) formam eas confirmandas, omnes ſtatuebant.

LXXXIIX. Jam delecta recitandis ſolenni Conventu Tabulis dies, (VII. Cal. Auguſt.) expectabatur, cum Cæſareani, bidui moram, novas interim, ut quorundā ſuſpicio erat, ab Imperatore literas, & lætiores certioresq;, qui tum ſpargebantur, de recenti victoria nuncios daturam quæſituri, Svecis, Moguntino atq; Bojoaro duorum
Inſtr. Pac. coram adhuc dierum ſpatio ſibi opus nunciabant. Illuxit denique optata Germaniæ dies, XXVII ma Julii men-

menſis, ſi ex Veteribus faſtis computes, qua Lambergium, Volmarum atq; Cranium, circa nonam meridianam Svecorum ædes ingreſſos, non multò poſt Proceres ſecuti, ſuam quisque pro lubitu, nulloque certo ordine ſedem capeſſivere. Retulit mox, poſtquam conſederant, Volmarus, placuiſſe Cæſaris Svecorumque Legatis, ut Pacis conditiones Proceribus prælegerentur, paci ſanciendæ utrinq; ſtatutæ. Ei actui conventum hunc deſtinatum. Attenderent igitur Optimates, &, ſi quæ viderentur, monerent. Poſtea Moguntiacus (das Reichs-Directorium) velut ex communi Procerum placito, aliqua præfatus, ne inutilibus contradictionibus nihilq; profuturis pactam jam concordiam quisquam laceſſeret, aut ſi omninò irrita conari cuiquam libido ſit, vanos queſtus privato ſermone ad ſe deferret, hortabatur. Lectæ inde à Volmaro Tabulæ, eique labori dimidia dies, â decima nempe ad qvintam usq; veſpertinã inſumta, & pleræq; conditiones ſilentio Ordinũ, in conſensûs argumentum, transmiſſæ, niſi quod de adminiſtranda Germanis ab Helvetiis, ſui Juris & ab Imperii obſequio liberis pronunciatis, Juſtitia; aſſerendo Mindæ urbi Præſidii jure; ſacramenti â Provincia atq; civitate Oſnabrugenſi Epiſcopis ſuis dicendi formula; Victu Chriſtiano Gvilielmo Marchioni Brandenburgio ex Archi-Epiſcopatu Magdeburgico, cujus olim Præſulem egerat, præſtando quædam monebantur.

1648. Ordinibus recitatum. 27. Jul. 7. Aug. Monita Procerum ad P. T.

LXXXIX.

1648. LXXXIX. Maximâ ob Cattam contentio, omnem damni à neglecto ſuo milite orituri culpam, exhibito acri codicillo, à ſe amolientem. Et inſiſtentibus Decrero ſuo Proceribus, Svecis ex adverſo, (quibus ab Aula mandatum, ut, quantū poſſent, pro Landgravia niterentur, ſin contra evenire cernerent, trium ſaltem aut quatuor *menſium Romanorum* ſummam Svecicis ſtipendiis addi peterent, ipſi Schæfero Haſſæ Legato innotuerat) conſtantiſſimæ bellorum ſociæ vota ſibi curæ fore, minus intento ſermone frigidiusque, quam ut penitus ſentire crederentur, regerentibus, perrupta magis quam ſoluta difficultas, atque ad finem Tabularum lectione perventum.

Altercatio ob ſatisfactionē militis Caſſel, lani.

XC. *Ratificationum* quoque formulæ examinatæ, Svecis quanquam Senatorum ſubſcriptionem ex priori obtentu recuſarent, quo minus tamen proximis Regni Comitiis pax firmaretur, non repugnantibus. Ex Procerum Ordine ad munus hoc vocati, quos tractandis litibus Curia quæque delegerat, ex Electorum nempe Collegio Moguntiacus, Bojoarus, Saxo, Brandenburgius, ex Principum Senatu Bambergius, Herbipolenſis, Altenburgius, & Cellenſis; Civitatum nomine Argentinas & Ratisbonenſis additi. Ceteris, adſcribi vellent, nec ne, libertas relicta. Ipſa tamen ſubſcriptio, volentibus id Svecis, & fœderis fidem allegantibus, quantumvis Proceres inſtarent, donec cum Gallis quoq; pax confieret, dilata: Datæ tamen

Deputati ex Ordinibus ad ſubſcriptionem Inſtr. Pac. Subſcriptio ob Gallos dilata.

tamen à Cæſareanis, Svecis, & pro Optimatibus à Moguntino redditæq; dextræ, idem conventis robur fore, atq; ſignatis pactis eſſe ſolet. Tentavere quidem Ordines, hortantibus Svecis, ut Servientius ſubſcriptionem admitteret; at capitis ſupplicium, ſi adſentiretur, obtendente deſtitere. 1648. 9. Aug. 30. Jul.

XCI. Confectâ cum Svecis pace, de Gallis quæſtio recruduit. Horum negotia, ut Monaſterii, quo poſt patratam iſtam Volmarus abierat, peragerentur, eoq; ſe Proceres conferrent, accitis ad ſe illorum Delectis, Cæſareani rogaverant; omnibus, præter Saxonem, iis quas ſupra retulimus cauſis, in diverſa tendentibus, fidem Servientio datam, patriæque præſertim ſalutem referendo, à quà pereundi periculum propius abſit, quo diutius arma continuentur; Monaſterienſi profectione, & donec conſultationes illic inſtitui poſſent, quatuordecim ad minimum dies tranſituros, ipſis Tractatibus adeoque deportando Germaniâ militi, majus indies damnum allaturo, multò utilius impendendos. Ipſis Cæſareanis commodiſſimum & Reipublicæ utiliſſimum ante tres annos viſum, ſi uno in loco de pace, cum ambobus Regibus ineunda, tractaretur; Mirùm igitur, quando hi conſentiant, iſtos refragari. Non ignota eſſe Monaſterienſium, Hiſpanico affectu corruptorū, moliminа, ſi Monaſterium redeatur, etiam cum Svecis tranſacta ad incudem revocanda, publicis ſermonibus efferentium. Totam Electorū Curiam cum

Contentio de loco pacem Gallicā tractandi. Oſnabrugenſium ea de re ſententia. 10. Aug. 31. Jul.

1648. præcipuis ex Principum Ordine Oſnabrugæ degere. Monaſterienſibus aut favorem in Hiſpanos eſſe, aut egenis afflictisque nullam compoſitis rebus ſpem, omne in turbido conſilium, ut adeò ſincera ſuffragia & quieti publicæ profutura, ſperare ab illis non liceat. Mediatorum quoque (Pontificii nempe atque Veneti) rationem haberi non oportere, quos certè Germaniæ Proceres muneri iſti haud delegerint. Quin Reipubl. Legibus ipſique rationi adverſari, res, imò arcana Imperii peregrinis iisque non ſatis benevolis, atque inter Optimates religione diverſos non niſi diſcordiarum æternitatem optantibus, pandere. Egregios ſcilicet controverſiarum, Legum, publicique moris interpretes, qvorum haud dubio penes Cives rerum ſuarum gnaros, ipſarumqve Legum Auctores certior notitia ſit. Novum Exemplum eſſe, & Germaniæ inauditum, externos Principes componendis Imperii cauſis admoveri.

Lambergii Craniique reſponſũ. 1. 11. Aug.

XCII. Factum igitur SCtùm, ut Cæſareani Monaſterii morantes literis, Lambergius Craniusq; per Delectos rogarentur, Tractationem cum Gallis Oſnabrugæ reſumere. Verum iis ad Lambergium atque Collegam perlatis, priori ſententiæ hi inſtitere, enixam Imperatoris quatuorq; mandatis firmatam voluntatem prætendentes. Prætereà Monaſterienſes ſuffragia nondum tuliſſe, & Cæſarem neque rem, ad ſeſe maxime pertinentem

tem, alieno loco tractari, aut Mediatores inſigni ipſorum dedecore poſthaberi paſſurum, laudabili hactenus ſtrenuaque opera meliores grates meritos. Magnarum turbarum occaſionem daturos, qui contrà tendere audeant. Non prolixius Oſnabrugenſibus Proceribus Monaſterium, ac Cæſareis Monaſterii agentibus Oſnabrugam iter fore, quam certè Ordines Monaſterienſes nunquam adituri ſint, tractandæ rei, cui Monaſterium nominatum. Obfirmaturos, uti quidem videatur, Oſnabrugenſes Servientii ſvaſu, animos, ipſa tamen jubente neceſſitate, ubi noxia Reipublicæ pervicacia ſatis reſtiterint, ſponte tandem mutandos. Deniq; aut pro Cæſare, aut in Galli favorem pronunciaturos; illinc invidiam odiumq; apud Gallos, hinc Auguſti indignationem, nullo operæ pretio ſubituros, neutro ſententiæ, quæ diſpliceat, obtemperaturo. Non latere Servientium, nunquam ſe Oſnabrugæ adepturum, quæ cupiat. Tempori tantum trahendo materiem quæri, ut elapſis, ex quibus initæ pacis validitatem Sveci ſuſpendi velint, quatuordecim diebus, reſcindantur tanto annorum labore coalita. 1648.

XCIII. Acerbius à Naſſavio atque Volmaro (*i*) reſcriptum. Hi Cæſaris ſuumque in Remp. ſtudium atque impenſam promovendæ paci induſtriam prædicantes, & repetitis argumentis, contrariis Oſnabrugenſium rationibus hactenus oppoſi- Naſſavii atque Volmari. 15. 5. Auguſt.

Tt 2

(*i*) *Londorp. Tom. VI. Lib. III. c. 250. junct. c. 249.*

1648. tis, haud ambigere ſe dicebant, Servientium, ſi Cæſareanis Oſnabrugam negotium hoc transferri, iſti Monaſterio id peragi lubuiſſet, non ſolùm Hamburgenſium Pactorum fidem, increpitâ illorum inconſtantiâ, invocaturum, ſed & Proceribus perſvaſurum fuiſſe, ut ingenti mox Delectorum numero Cæſareanos adgreſſi, non toleraturos ſeſe eam Galliæ Regis contumeliam denunciaſſent. At verò externi Principis Miniſtrum, majori, quam ipſum Cæſarem, penes Imperii Proceres gratia atque auctoritate pollere, & adverſarii libidini permitti, ratane velit jubeatq; pacta cum Imperatore conventa, omnibus rectæ rationis præceptis contraire. Totam certè Europam admirationem ſubituram, evulgato facinore, paucos Imperii Optimates, ut Galli Legato placerent, ſummi, quem à Deo acceperint, Principis oratores, inſuper habitis conventionibus tanto labore ſancitis, & maximorum Europæ Principum ore, manu ſignoque firmatis ab Urbe Tractatibus, primum dicta alium in locum invitos pertraxiſſe, Pontificis Venetæq; Reip., ut ſpretorum, invidia immeritum Cæſarem oneraturos. Non opus Servientio fuiſſe, ſi pacem deſideraſſet, relicto Monaſterio, Oſnabrugam proficiſci, quo Cæſareos non ſecuturos, & ſine his nullum tractationi exitum fore, non ignoraverit. At vulgò notum eſſe, vix Oſnabrugam ingreſſum, properantem ad finem cum Svecis pactionem crebra poſtulatorum impor-

portunitate tardare, &, tractis in partes Proceri- 1648.
bus, utilia ſibi Senatus conſulta elicere anniſum, paci moram, inter Optimates diſſidia, denique Imperii diſſolutionem quæſiviſſe, mutationi loci in Domini ſui dedecus valituræ, non adſenſurum, niſi iſti fini intenderet. Trautmansdorffium Svecicos Legatos Monaſterii quondam præſentes, ut de ſatisfactione ſaltem ipſorum illic agi paterentur, quod valetudine ipſi detento Oſnabrugam abire non licuerat, fruſtrà oraſſe, Hamburgica pacta oggerentes, adeo ut Oxenſtiernius, crebras Trautmansdorffii preces effugiturus, intempeſta nocte Monaſterio ſe proripuerit, quem mox Evangelici & poſtea Salvius quoque ſecuti ſunt. Non iniquum igitur ſibi, viam inſiſtere, adverſariorum exemplo jam tritam monſtratamque. Neque celeriorem negotio exitum ex eo ſperari oportere, ſi ipſi, relicto Monaſterio, Oſnabrugam digrediantur; non majori quippe temporis ſpatio Oſnabrugenſibus itineri perficiundo inſtruendisque ædibus opus futurum, quam ſibi Oſnabrugam migraturis, ubi Relatio in Senatu, Procerum deliberatio, & inſtituendi ſecum tractatus ſuas quoque dilationes poſtulatura ſint, niſi forſan neceſſitatem Cæſareis impoſituros exiſtiment, cuncta ut latas jam neque ambiguas Leges ſuſcipere, quæ neque ſeſe, neque Monaſterienſibus auditis, ſuo tantum ingenio arbitrioque interim ſtatuerint. Meminiſſent Proce-

1648. res, quæ Galliæ Legati proximo anno vocatis quibuſdam ex illorum ordine edixerint. Nunquam ſcilicet pacem cum Imperio ſibi futuram, niſi cum Hiſpanis quoque eam habituri ſint; atque id, quanquam Servientius jam diſſimulet, verum tamen eſſe, eventu conſtiturum. Hortabantur tandem, ut Monaſterium abſolvendis Tractatibus ſe conferrent, unâ iſthîc die pluris, quam integra hebdomade, Oſnabrugæ profecturi, ubi quæcunque ad Gallicam pacem ſpectantia agerentur, pro irritis infectisque ſe habituros teſtabantur; magno etiam Pontificiorum Oſnabrugenſium dolore, frigidum Cæſareanorum in patriam amorem acribus querimoniis inceſſentium.

Oſnabrugenſium, etiam Pontificiæ partis, inde indignatio. Monaſterienſium Proteſtatio contra Oſnabrugenſes. 14. 4. Aug.

XCIV. Monaſterienſes quoque, ruptis tandem omnibus patientiæ vinculis, in furorem acti acerbiſſimo (*k*) ſcripto Oſnabrugenſium audentiam proſcidere; Illo, Pacta Hamburgenſia, quæq; inter Proceres de tractandi modo locoq; convenerant, ad eamq; formam aliquandiu acta fuerant, ſuorum etiam plures Oſnabrugam inſtituendæ de Svecorum poſtulatis conſultationi, ac componendis internis litibus, ſpe properi reditus, paciſque poſt Monaſterii communi conſilio expediundæ pellectos abiiſſe narrantes, aliam mox rerum faciem apparuiſſe querebantur; Inrepſiſſe quippe paulatim, qui munia Senatus, Procerum, legum in ſe trahere auſi, ne relatione quidem ad Impe-

(k) *Lundorp. d. Lib. c. 251.*

Imperii Curias factâ, ſoli ſibi conſultantes cuncta arbitrii ſui fecerint, vetera, nova, congrua, aliena immiſcendo, neglecto priſco more, proculcatis pactis, nulla ceterorum Ordinum, nulla ſupremi Principis reverentia, contemptis Legibus, niſi qvas propriæ atq; Svecorum utilitatis commoditatisque ratio tulerit. Ne libertatem qvidem ſuffragiorum, ubi aliqvando audita ſint, integram relictam, aut periculo caruiſſe; ſublatâ è Republ. felicitate, ut ſentire, qvæ qvisqve vellet, aut qvæ ſentiret, dicere liceret, injectâ plerisqve ſollicitudine, ne injucunda ceteris veritate moleſtias ſibi accerſerent. Ita cuncta in contrarium verſa, nihil uſpiam integri moris cernentes, Monaſterium plerosqve remeaſſe, tractationem per ſe executuros. At obſtitiſſe Moguntini Præſidis aliorumque Legatorum Monaſterio alias deſtinatorum arrogantiam, qui ſpretâ ſolita utiliqve hactenus via, inauditum Imperio, omniqve ſeculorum uſu damnatum tractandi iter ingreſſi, poſthabitis Monaſterienſium iteratis toties literis, precibus, monitis, nullo tractationis ordine, qvam qvem aut Svecorum aut Procerum quorundam libido præſcripſerit, ſoli tribus ſuis, qvæ vocaverint, Collegiis omnia tranſigentes, non niſi aſſentiendi neceſſitatem ceteris reliqverint, inditâ ſibi Electorum, Principum, Procerumqve appellatione, peracta pertractataq; communi Reip. nomine pace, cui non Monaſterii 1648.

Tt 4 modo

1648. modo, ſed & Oſnabrugæ, plures contradixerint. Nec tamen autMoguntinumSeptemvirorum,aut Salisburgium Principum Senatum præſidentes, unquam inficiatos, æqua eſſe, ac Pactis Hamburgenſibus Imperiique inſtitutis congrua Monaſterienſium poſtulata. Vana nihilominus promiſſorum, quæ nunquam exequerentur, ſpe lactatos irritosque eluſiſſe. Cæſarem etiam ea quorundam temeritate offenſum, datis ad Moguntiæ E-
17. Jul. h. anni. lectorem literis, de inverſo conſultationum ordine conqueſtum eſſe. Et quem unquam audiendo legendovè accepiſſe, tam paucos, ac iſti ſint, ſi Monaſterienſibus computentur, qui Oſnabrugæ degentes ceterorum audaciam adverſentur, ſumto ſibi Septemvirorum, Principum, Ordinumque nomine de ſalute Reip. in contemtum aliorum, atque ignominiam Cæſaris pactos, legesve ſtatuiſſe, quibus inviti reliqui, quamvis plures numero, adſtricti externorum aviditati dederentur, aut alia ejusdem conditionis decreviſſe, in detrimentum integrarum Regionum, (Burgundiam innuebant,) Principatuum, ac ditionum vertentia. Inde ad tractationem Gallicarum rerum progreſſi, vana eſſe arguebant, tuendæ iſti novitati ab Oſnabrugenſibus reperta. Non enim omnes Imperii Curias Oſnabrugæ hærere dici poſſe, maxima Principum parte Monaſterii degente, ubi quoque non ita pridem totum Septemvirorum Collegium egerit, ſalva nihilominus Oſnabru-

brugenſibus ſuffragandi libertate. Neq; celerando negotio viam hanc conducere, cui jam finem adipiſci licuerat, ſi Servientius, omiſſa Oſnabrugenſi profectione, Monaſterii remanſiſſet. Ceterum an Cæſareani, promiſſo Ordinum quorundã adverſus Cæſaris iram patrocinio, mandata ſua negligere velint, ipſorum periculi arbitriiq; eſſe. Quod cum Mediatoribus per literas agi poſſe illi dicant, ipſorum ſententiæ refragari, incommodas moleſtasque Epiſtolarum ambages evitandas olim cenſentium. Iſtud abſurdius, quod Monaſterienſes aut utilitatis damnive, aut inopiæ, aut translatæ in alios, quam anteà habuerant, dignitatis ratione inidoneos ſuffragatores, Oſnabrugenſes cauſari audeant; Neque enim ad Monaſterienſium ſolum, ſed totius Imperii, &c, ſi quæ futura ſit, poſteritatis incolumitatem pertinere, quibus Legibus pax iſta coëat. Et ſi iſti argumento vis ſit, potiori certè cauſa Evangelicos tractatione hac arcendos, Galliæ Sveciæque amicos ſe ſociosque aperta teſtatione profitentes. Ac ſi tanta quidam ex Monaſterienſibus paupertate laborent, quâ igitur ratione quove jure tantam pecuniæ vim in Svecicum militem prodigere, iis imperent, quos ut ferendis Reip. oneribus impares aſpernentur? Non etiam Ordines, quibus ſua auferenda Oſnabrugenſes ſtatuerint, protinus Senatu ideò movendos, queîs Jura ſua usque ad Pacis executionem ſalva eſſe oportere, cautum ſit. 1648.

1648. præcipuis ex Principum Ordine Oſnabrugæ degere. Monaſterienſibus aut favorem in Hiſpanos eſſe, aut egenis afflictisque nullam compoſitis rebus ſpem, omne in turbido conſilium, ut adeò ſincera ſuffragia & quieti publicæ profutura, ſperare ab illis non liceat. Mediatorum quoque (Pontificii nempe atque Veneti) rationem haberi non oportere, quos certè Germaniæ Proceres muneri iſti haud delegerint. Quin Reipubl. Legibus ipſique rationi adverſari, res, imò arcana Imperii peregrinis iisque non ſatis benevolis, atque inter Optimates religione diverſos non niſi diſcordiarum æternitatem optantibus, pandere. Egregios ſcilicet controverſiarum, Legum, publicique moris interpretes, qvorum haud dubio penes Cives rerum ſuarum gnaros, ipſarumqve Legum Auctores certior notitia ſit. Novum Exemplum eſſe, & Germaniæ inauditum, externos Principes componendis Imperii cauſis admoveri.

Lambergii Craniique reſponſũ. 1. 11. Aug.

XCII. Factum igitur SCtùm, ut Cæſareani Monaſterii morantes literis, Lambergius Craniusq; per Delectos rogarentur, Tractationem cum Gallis Oſnabrugæ reſumere. Verum iis ad Lambergium atque Collegam perlatis, priori ſententiæ hi inſtitere, enixam Imperatoris quatuorq; mandatis firmatam voluntatem prætendentes. Præterea Monaſterienſes ſuffragia nondum tuliſſe, & Cæſarem neque rem, ad ſeſe maxime pertinentem

tem, alieno loco tractari, aut Mediatores inſigni 1648.
ipſorum dedecore poſthaberi paſſurum, laudabili hactenus ſtrenuaque opera meliores grates meritos. Magnarum turbarum occaſionem daturos, qui contrà tendere audeant. Non prolixius Oſnabrugenſibus Proceribus Monaſterium, ac Cæſareis Monaſterii agentibus Oſnabrugam iter fore, quam certè Ordines Monaſterienſes nunquam adituri ſint, tractandæ rei, cui Monaſterium nominatum. Obfirmaturos, uti quidem videatur, Oſnabrugenſes Servientii ſvaſu, animos, ipſa tamen jubente neceſſitate, ubi noxia Reipublicæ pervicacia ſatis reſtiterint, ſponte tandem mutandos. Deniq; aut pro Cæſare, aut in Galli favorem pronunciaturos; illinc invidiam odiumq; apud Gallos, hinc Auguſti indignationem, nullo operæ pretio ſubituros, neutro ſententiæ, quæ diſpliceat, obtemperaturo. Non latere Servientium, nunquam ſe Oſnabrugæ adepturum, quæ cupiat. Tempori tantum trahendo materiem quæri, ut elapſis, ex quibus initæ pacis validitatem Sveci ſuſpendi velint, quatuordecim diebus, reſcindantur tanto annorum labore coalita.

XCIII. Acerbius à Naſſavio atque Volmaro (i) reſcriptum. Hi Cæſaris ſuumque in Remp. ſtudium atque impenſam promovendæ paci induſtriam prædicantes, & repetitis argumentis, contrariis Oſnabrugenſium rationibus hactenus oppoſi-

Naſſavii atque Volmari. 15. 5. Auguſt.

(i) *Londorp. Tom. VI. Lib. III. c. 250. junct. c. 249.*

1648. tis, haud ambigere ſe dicebant, Servientium, ſi Cæſareanis Oſnabrugam negotium hoc transferri, iſti Monaſterio id peragi lubuiſſet, non ſolùm Hamburgenſium Pactorum fidem, increpitâ illorum inconſtantiâ, invocaturum, ſed & Proceribus perſvaſurum fuiſſe, ut ingenti mox Delectorum numero Cæſareanos adgreſſi, non toleraturos ſeſe eam Galliæ Regis contumeliam denunciaſſent. At verò externi Principis Miniſtrum, majori, quam ipſum Cæſarem, penes Imperii Proceres gratia atque auctoritate pollere, & adverſarii libidini permitti, ratane velit jubeatq; pacta cum Imperatore conventa, omnibus rectæ rationis præceptis contraire. Totam certè Europam admirationem ſubituram, evulgato facinore, paucos Imperii Optimates, ut Galli Legato placerent, ſummi, quem â Deo acceperint, Principis oratores, inſuper habitis conventionibus tanto labore ſancitis, & maximorum Europæ Principum ore, manu ſignoque firmatis ab Urbe Tractatibus, primum dicta alium in locum invitos pertraxiſſe, Pontificis Venetæq; Reip., ut ſpretorum, invidia immeritum Cæſarem oneraturos. Non opus Serviențio fuiſſe, ſi pacem deſideraſſet, relicto Monaſterio, Oſnabrugam proficiſci, quo Cæſareos non ſecuturos, & ſine his nullum tractationi exitum fore, non ignoraverit. At vulgò notum eſſe, vix Oſnabrugam ingreſſum, properantem ad finem cum Svecis pactionem crebra poſtulatorum im-

por-

portunitate tardare, &, tractis in partes Proceri- 1648.
bus, utilia ſibi Senatus conſulta elicere anniſum, paci moram, inter Optimates diſſidia, denique Imperii diſſolutionem quæſiviſſe, mutationi loci in Domini ſui dedecus valituræ, non adſenſurum, niſi iſti fini intenderet. Trautmansdorffium Svecicos Legatos Monaſterii quondam præſentes, ut de ſatisfactione ſaltem ipſorum illic agi paterentur, quod valetudine ipſi detento Oſnabrugam abire non licuerat, fruſtrà oraſſe, Hamburgica pacta oggerentes, adeo ut Oxenſtiernius, crebras Trautmansdorffii preces effugiturus, intempeſta nocte Monaſterio ſe proripuerit, quem mox Evangelici & poſtea Salvius quoque ſecuti ſunt. Non iniquum igitur ſibi, viam inſiſtere, adverſariorum exemplo jam tritam monſtratamque. Neque celeriorem negotio exitum ex eo ſperari oportere, ſi ipſi, relicto Monaſterio, Oſnabrugam digrediantur; non majori quippe temporis ſpatio Oſnabrugenſibus itineri perficiundo inſtruendisque ædibus opus futurum, quam ſibi Oſnabrugam migraturis, ubi Relatio in Senatu, Procerum deliberatio, & inſtituendi ſecum tractatus ſuas quoque dilationes poſtulatura ſint, niſi forſan neceſſitatem Cæſareis impoſituros exiſtiment, cuncta ut latas jam neque ambiguas Leges ſuſcipere, quæ neque ſeſe, neque Monaſterienſibus auditis, ſuo tantum ingenio arbitrioque interim ſtatuerint. Meminiſſent Proce-

1648. res, quæ Galliæ Legati proximo anno vocatis quibusdam ex illorum ordine edixerint. Nunquam ſcilicet pacem cum Imperio ſibi futuram, niſi cum Hiſpanis quoque eam habituri ſint; atque id, quanquam Servientius jam diſſimulet, verum tamen eſſe, eventu conſtiturum. Hortabantur tandem, ut Monaſterium abſolvendis Tractatibus ſe conferrent, unâ iſthîc die pluris, quam integra hebdomade, Oſnabrugæ profecturi, ubi quæcunque ad Gallicam pacem ſpectantia agerentur, pro irritis infectisque ſe habituros teſtabantur; magno etiam Pontificiorum Oſnabrugenſium dolore, frigidum Cæſareanorum in patriam amorem acribus querimoniis inceſſentium.

Oſnabrugenſium, etiam Pontificiæ partis, inde indignatio. Monaſterienſium Proteſtatio contra Oſnabrugenſes. 14. 4. Aug.

XCIV. Monaſterienſes quoque, ruptis tandem omnibus patientiæ vinculis, in furorem acti acerbiſſimo (*k*) ſcripto Oſnabrugenſium audentiam proſcidere; Illo, Pacta Hamburgenſia, quæq; inter Proceres de tractandi modo locoq; convenerant, ad eamq; formam aliquandiu acta fuerant, ſuorum etiam plures Oſnabrugam inſtituendæ de Svecorum poſtulatis conſultationi, ac componendis internis litibus, ſpe properi reditus, paciſque poſt Monaſterii communi conſilio expediundæ pellectos abiiſſe narrantes, aliam mox rerum faciem apparuiſſe querebantur; Inrepſiſſe quippe paulatim, qui munia Senatus, Procerum, legum in ſe trahere auſi, ne relatione quidem ad Impe-

(k) *Lundorp. d. Lib. c. 251.*

Imperii Curias factâ, ſoli ſibi conſultantes cuncta 1648.
arbitrii ſui fecerint, vetera, nova, congrua, aliena immiſcendo, neglecto priſco more, proculcatis pactis, nulla ceterorum Ordinum, nulla ſupremi Principis reverentia, contemptis Legibus, niſi qvas propriæ atq; Svecorum utilitatis commoditatisque ratio tulerit. Ne libertatem qvidem ſuffragiorum, ubi aliqvando audita ſint, integram relictam, aut periculo caruiſſe; ſublatâ è Republ. felicitate, ut ſentire, qvæ qvisqve vellet, aut qvæ ſentiret, dicere liceret, injectâ plerisqve ſollicitudine, ne injucunda ceteris veritate moleſtias ſibi accerſerent. Ita cuncta in contrarium verſa, nihil uſpiam integri moris cernentes, Monaſterium pleroſqve remeaſſe, tractationem per ſe executuros. At obſtitiſſe Moguntini Præſidis aliorumque Legatorum Monaſterio alias deſtinatorum arrogantiam, qui ſpretâ ſolita utiliqve hactenus via, inauditum Imperio, omniqve ſeculorum uſu damnatum tractandi iter ingreſſi, poſthabitis Monaſterienſium iteratis toties literis, precibus, monitis, nullo tractationis ordine, qvam qvem aut Svecorum aut Procerum quorundam libido præſcripſerit, ſoli tribus ſuis, qvæ vocaverint, Collegiis omnia tranſigentes, non niſi aſſentiendi neceſſitatem ceteris reliqverint, inditâ ſibi Electorum, Principum, Procerumqve appellatione, peracta pertractataq; communi Reip. nomine pace, cui non Monaſterii

1648. modo, ſed & Oſnabrugæ, plures contradixerint. Nec tamen aut Moguntinum Septemvirorum, aut Salisburgium Principum Senatum præſidentes, unquam inficiatos, æqua eſſe, ac Pactis Hamburgenſibus Imperiique inſtitutis congrua Monaſterienſium poſtulata. Vana nihilominus promiſſorum, quæ nunquam exequerentur, ſpe lactatos irritosque eluſiſſe. Cæſarem etiam ea quorundam temeritate offenſum, datis ad Moguntiæ Electorem literis, de inverſo conſultationum ordine conqueſtum eſſe. Et quem unquam audiendo legendove accepiſſe, tam paucos, ac iſti ſint, ſi Monaſterienſibus computentur, qui Oſnabrugæ degentes ceterorum audaciam adverſentur, ſumto ſibi Septemvirorum, Principum, Ordinumque nomine de ſalute Reip. in contemtum aliorum, atque ignominiam Cæſaris pactos, legesve ſtatuiſſe, quibus inviti reliqui, quamvis plures numero, adſtricti externorum aviditati dederentur, aut alia ejusdem conditionis decreviſſe, in detrimentum integrarum Regionum, (Burgundiam innuebant,) Principatuum, ac ditionum vertentia. Inde ad tractationem Gallicarum rerum progreſſi, vana eſſe arguebant, tuendæ iſti novitati ab Oſnabrugenſibus reperta. Non enim omnes Imperii Curias Oſnabrugæ hærere dici poſſe, maxima Principum parte Monaſterii degente, ubi quoque non ita pridem totum Septemvirorum Collegium egerit, ſalva nihilominus Oſnabru-

17. Jul. h. anni.

brugenſibus ſuffragandi libertate. Neq; celerando negotio viam hanc conducere, cui jam finem adipiſci licuerat, ſi Servientius, omiſſa Oſnabrugenſi profectione, Monaſterii remanſiſſet. Ceterum an Cæſareani, promiſſo Ordinum quorundã adverſus Cæſaris iram patrocinio, mandata ſua negligere velint, ipſorum periculi arbitriiq; eſſe. Quod cum Mediatoribus per literas agi poſſe illi dicant, ipſorum ſententiæ refragari, incommodas moleſtasque Epiſtolarum ambages evitandas olim cenſentium. Iſtud abſurdius, quod Monaſterienſes aut utilitatis damnive, aut inopiæ, aut translatæ in alios, quam anteà habuerant, dignitatis ratione inidoneos ſuffragatores, Oſnabrugenſes cauſari audeant; Neque enim ad Monaſterienſium ſolum, ſed totius Imperii, &, ſi quæ futura ſit, poſteritatis incolumitatem pertinere, quibus Legibus pax iſta coëat. Et ſi iſti argumento vis ſit, potiori certè cauſa Evangelicos tractatione hac arcendos, Galliæ Sveciæque amicos ſe ſociosque aperta teſtatione profitentes. Ac ſi tanta quidam ex Monaſterienſibus paupertate laborent, quâ igitur ratione quove jure tantam pecuniæ vim in Svecicum militem prodigere, iis imperent, quos ut ferendis Reip. oneribus impares aſpernentur? Non etiam Ordines, quibus ſua auferenda Oſnabrugenſes ſtatuerint, protinus Senatu ideò movendos, queîs Jura ſua usque ad Pacis executionem ſalva eſſe oportere, cautum ſit. 1648.

1648. Certè Brandeburgium Electorem Pomeraniæ nomine, quamvis poſſeſſionem ejus nunquam nactum, duorum ſuffragiorum jura uſurpaſſe, adeoq; Leopoldo Archiduci, Franciſco Gvilielmo Oſnabrugæ, Verdæ Mindæque Epiſcopo, aliisq; Præſulibus non neganda, quibus rite creatis, &, Cæſare id ratum habente, terras ſuas ingreſſis, fidem ſuam ſacramento ſubditi adſtrinxerint. Denique robur Imperii Oſnabrugæ conſiſtere, jactitari; imbelle nimium infirmumq;, quo tam egregiæ validæq; Regiones Reip. perierint. Addita in fine, quibus malorum inde proventurorũ crimen iſtis imputabant, qui, perverſo antiquo more neglectisque recentibus pactis, primi diſſidii &, rumpendæ pacis auctores eſſent. Subſcripſere (nam & hoc adjicere lubet, ut noſcatur, quorum contentione res ea agitata ſit,) Auſtrius, Burgundus, Franciſcus Gvilielmus Oſnabrugæ, Verdæ atque Mindæ Epiſcopus, Biſantinus, Ordinis Teutonici Legatus, Halberſtadienſis, Eichſtadianus, Argentoratenſis, Auguſtanus, Hildesheimius, Paderbornenſis, Ratisbonenſis, Paſſavienſis, Monaſterienſis, Leodius, Verdunenſis, Curienſis, Hirsfeldiæ, Campiduni, Murbaci, Luderſi, Elwangæ, Berchtolsgadi, Stablenſis, Corvejæ aliiq; minoris dignationis Præſules, Sveviæ Comites, & ex Urbium Claſſe Auguſta Vindelicorum, Uberlinga, Rothwicla, Dinkelſpihla, Biberacum, Ravensburgum, Gemunda,

da, Kauffbyra, Offenburgum, Pſullendorffium, Wangen, Gengenbach, Weilerſtadium, Cella ad Hamersbach, & Buchavia deniq; ad lacum, Feder-See appellatum, quorum tamen plerorumq; mandata ſuffragiaq; Triumviri, ut ab Evangelicis vocabantur, Oſnabrugenſis nimirum, Adamus Adami, atq; Leuxelringius in ſe tranſtulerant. 1648.

XCV. Stetit nihilominus Oſnabrugenſibus ſententia, Servientium, ut Tabulas Svecicis ſimiles, & quæ reſtabant, controverſias ederet, rogare. Atq; is precibus annuens, cum Moguntino, Altenburgio atq; Argentinate, privatis id auſpiciis auſis, rem aggreſſus, reſponſum in Tabulas illas exhibuit, aliqua iis addi, demi, emendari deſiderans. Irrita. Declaratio

XCVI. Illo ad Senatum relato, atq; deliberatione eam in rem ſuſcepta, nomine atque honore *ſemper Auguſti*, quod Gallus negabat, Imperatorem afficiendum concordibus ſuffragiis ſtatuebant, hereditario veluti Jure ab Auguſto primo, Imperii Conditore, in cunctos, qui deinceps adhuc usq; regnaverant, Imperatores longa ſeculorū Principumq; ſerie transmiſſo uſurpatoq;, atq; ab ipſo Franciſco Galliæ Rege Carolo V. Cameraci An. M. D. XXIX. tributo. Neq; Landgravii Alſatiæ titulum Ferdinando, quod itidem Gallus flagitabat, denegandum, cum reliquis domus ſuæ Principibus aliquam ejus partem retenturo. Adjectum tamen exſolvendæ difficultati conſilium, ut Servientii ad Projectum J. P. 1. 11. Aug. Proceſſum de ea ſententia, 3. 13. ejusd.

in

1648. in Tabulis Pacis defuncto Cæſari tota conſvetorum titulorum pompâ circumdatâ, pauciores præſenti, tanquam vitando inutili totiesq; repetendo eorum paratui, adſcriberentur, utq; Ferdinando extra Tabulas pacis nomen iſtud maneret, quo tamen Gallus illum ſalutare, ſi renueret, non teneretur.

Lis de Proceribus, Urbibꝰ Nobilibusque Alſatiæ, & Epiſcopatuum Metis, Tulli & Viroduni.

XCVII. Præcipuam difficultatem cedendæ in Gallos Provinciæ faciebant, â Cæſareanis, Gallos magnitudine largitionum corruptos Svecicam ſocietatem minori cura habituros, & Hiſpanis faciliores ratis, latius quàm oportuerat oblatæ; maximo ſervitutis Metenſis, Tullenſis, atq; Virodunenſis Epiſcopatuum *Vaſallis*, Imperii libertate adhucusq; gaviſis, decemq; Urbibus incubituræ periculo, quibus Provinciæ Præfectum (Landvogt) pro lubitu adſciſcere, vetuſto more licuerat. Eo inſtantius libertatem his integram Juraq; ſua diſertâ declaratione ſervari Proceres flagitabant. Congreſſi ex Salvii conſilio cum Servientio Fromholdius, Vorburgius, Saxonumq; Legati, ne innoxiorum hominum detrimento locupletari vellent, orabant. Ille, quanquam arbitrii ſui eſſe negabat, ea mutare, quæ præſentibus Collegis certam jam formam acceperint, Regem tamen Alſatiam Suntgoviamq; ſub Imperii tutela poſſeſſurum, adeoq; incolas earum, pro Reip. Germanicæ Civibꝰ hactenus habitos, omni dominationis metu liberos ab eo fore affirmabat, ipſo Civi-

Civium iſtorum numero acceſſuro. Metenſem, 1648.
Tullenſem ac Virodunenſem Epiſcopatus, integro jam ſeculó Galliæ regnatos, non nunc demum & tanquam precario Jure Regi obtrudi debere. *Vaſallos* tamen Ordinesq; eorum neq, addicturos ſervituti, neq; dominatione abſoluturos, (*Status liberos* vocares.) Conſtiturum nihilominus, quanto magis libertatem foveant Galli, quam ſervitutem intendant.

XCIIX. Hiſce privato, uti diximus, Colloquio actis, Delecti Procerum, publico nomine tractaturi, adhibitis, quorum referebat, quantum Galliæ concederetur, Servientium inviſere, cognomine *ſemper Auguſti*, Romanis Imperatoribus multis ante ſeculis, quam aut Galli Chriſtianiſſimi, aut Hiſpaniarum Reges Catholici titulo inſignirentur, nunquam deceſſuros affirmantes; Servientio, nova in eam rem, ac ut ſperaret, placitura Ordinibus Mandata ex Aula ſeſe expectare aſſerente. At quod *Landgravii Alſatiæ* titulũ attineat, Cæſareanos jam Monaſterii eo ceſſiſſe, neq; vel teruncium ex pacta pecuniæ ſum̃a Auſtriacos accepturos, niſi nomine illo, cujus rem perdiderint, abſtineant. De auxilio quoq; Hiſpano ab Imperatore contra Gallos non ferendo, in eo diſſentiebant, quod, Servientio quæſtionem iſtã primum tractandam aſſeverante, abſolutam quippe ceteris minoris momenti controverſiis facilitatem additurã, eam in finẽ tractationis differri Delecti conten-

Tractatio deputatorum cum Servientio. 9. 19. Aug.

ten-

1648. renderent. De coërcendis provinciarum Juriumque in eos translatorum limitibus, â Cæſareanis nimium protenſis, ſententiam obfirmavit Servientius, quam ſine capitis, uti ajebat, diſcrimine mutare non poſſet, fruſtrà Delectis, Procerum Civitatumq; innocentium incolumitatem, jactatum in Imperium, cujus hoſtis vocari Gallus nunquam ſuſtinuerit, affectum, aliaq; in eum ſenſum fruſtra cumulantibus. Non melior Salvii eadem conantis ſucceſſus, Imperii Civiumq; ejus cauſam Servientio commendantis; iis, ad quorum damnum id vertebat, *enormiſſimam læſionem*, illicitam Cæſareorum de alieno liberalitatem, neq; rogata Ordinum ſuffragia qviritantibus.

Gallius Ordinibus Imp. adſcribi offert. d. die.

XCIX. Neq; multo poſt Servientius, brevi ſcripto ad Moguntiacum miſſo, Regem ſuum implendis Procerum deſideriis Alſatiam, Imperio ſupremi Dominii nexu adſtrictam, retenturũ expoſuit, modò ita Galliæ Regno addiceretur, ut ex quacunq; cauſa ab eo avelli nefas eſſet, atq; ad ceterorum Imperii civium modũ Senatûs & dicendæ in Comitiis ſententiæ facultas, aliaq; Auſtriacæ domus exercita hactenus Jura tribuerentur, ac deniq; rata manerent, quæ de tribus Epiſcopatibus Cæſareani Galliæq; pepigerint.

Procerum quorundam ſenten-

C. Eo ad Curias relato, plerique opperiundum exiſtimabant, quid preces valituræ eſſent, quas ad Servientium iterum ferendas Salvius in ſeſe ceperat, Bojoaro quidem aliisq; Catholico-

rum

Gallicis quoq; ſtudiis, aut illius ſaltem exemplo 1648.
imbutis, quanquam nemini incolumitatem ſuam invidere dicerent, utilitatis tamen ſecuritatisque publicæ ſupremam curam eſſe oportere differentibus, cui unicum ex celeritate pacis remedium: ferenda interim, quæ corrigere nefas ſit. Habere aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publica rependatur. Neque omitti iſtorum ſalutem, ſed in commodiora tempora ſalubri cautione differri, ita optimè expediundam, ſi pactioni quidem ſua formâ relicta, eorum tamen interpretationem Proceres literis ad Regem ſcribendis ſibi ſervarent, re ad proxima comitia rejicienda, quorum auctoritati Decretisque Gallus, ut Imperii Civis, obſecuturus ſit.

tia ratione dictorum ſtatuū.

CI. Neq; apud Servientium quidpiam iteratis Salvii precibus promotum, priori neq; inidoneo prætextu, ſibi nempe uni immutare haud licere, â Cæſareis non ſecum tantum ſed & Collegis ſuis conventa. *Dilemmate* etiam ſuam ſententiam propugnaturus, aut pactorum verbis contineri ajebat, de quibus jam diſceptetur, eoq; caſu cum Cæſareanis ſibi quæſtionem orituram; aut extra vocabulorum complexum eſſe, atq; ita vanam iſtam futilemq; rixam futuram. Præbuit quoq; Salvius conſiliū, ut integris pactionis verbis Proceres, ubi ad ſubſcriptionem deventum eſſet, adjicerent; Alſatiâ dictisq; Epiſcopatibus nihil ultra con-

Salvii irritæ ideo apud Servientium preces.

Et conſilium,

1648. conceſſum intelligi, quàm ex iſta Auſtriaca Gens ante bellum hoc, in his vero Gallia poſt primam eorum occupationem habuerant.

An Alſatia Gallo, ut Imperii Statui, conferenda? Affirmativa.

CII. At quo Jure quave conditione Alſatia in Gallum conferenda, diverſis plurimorum ſententiis, etiam privatorum, & extra Senatum diſceptabatur. Erant, qui eâ lege concedendam putarent, ut pariter, ac hactenus Auſtrii Principes, Imperii Cæſarisq; majeſtatem adgnoſceret, legem (l) Regiam (*Capitulationem*) referentes, quâ non alienare ſolum Imperii terras Cæſar prohibeatur, ſed & curare obſtrictus ſit, ut, quæ ex iis peregrini ſibi uſurpent, injuſtis poſſeſſoribus ablatæ, Germaniæ reſtituantur. Iniquum etiam fore, Alſatiam in Reip. mulctam Gallo dedere, quam ab Auſtriacis tantum, tanquam injuriarum bellique autoribus, depoſcat, integram cum Imperio amicitiam profeſſus. Illorum igitur, non hujus, damno tranſigi debere lites, ab iſtorum ambitione profectas, neq; in pœnæ communionem trahendam Rempubl., quam inſontem etiam hoſtes (ſi nomen id admittant,) pronuncient. Neq; ſolatium modo coactæ ceſſionis, ſed & decori Imperatori Imperioq; futurum, tanti Civis acceſſione augeri, prima poſt Cæſarem dignatione, totius ferè Europæ ſuffragio, eminentis. Et verò quanto honori Germaniæ Proceribus futurum, Galliarū Regem Collegam habere, qui Majeſtate ipſo

(l) *Capitul. Ferdin. III. art. 9.*

ipſe inſignis Germanicæ Reip. uti communis Majeſtatem conſervet, obſequium fidemque jurejurando ſpondeat, latis ceterorum placito Legibus obtemperet, vocanti ad Comitia Cæſari pareat, Regionum Conciliis (Kreys-Tägen) adſit, & obſequendi conditione cuique ex Ordinibus æquetur. Ita ſe Cæſarem Regem, Proceres Collegas ſocioſq; Regum non vanâ jactantiâ gloriaturos. Hoc conſilio priſco ævo Reges quoſdam Græciæ, Ludovicum XI. & Henricum III. Gallos, iſtum Helvetiorum, hunc Venetorum Civitatibꝰ adſcriptos. Etiam Romuli ſapientia laudabatur, quòd pleroſq; populos, eodem die hoſtes, dein Cives habuerit. Nec honorificum ſolummodò, ſed & utile Imperio, tantæ magnitudinis Principem Reip. neceſſitatibus illigare, ſuaſq; facere divitias Galliæ affluentes. Ita emolumento Germaniæ ceſſuras illas opes, quarum copiam ſuo damno hactenus ſenſerit. Et quàm promtos juvando contra Turcas Imperio ſperandos, cùm, civium albo nondum inſcripti, tam grandi nummorum vi Cæſari ſubveniant? Jam moribus, artibus, affinitatibus mixti Galli aurum & opes ſuas inferrent potius, quam ſeparati haberent. Prætereà libertatis quoque Vindex Gallus deſtinabatur, qui, nimias Auſtriacorum ſpes coërciturus, communem ſibi dignitatem & aſſerta bello Jura validius tueretur. Curæ quippe Regi fore, ſervare beneficium, Germaniæ unius dominatione jam 1648.

1648. ferè ſubactæ â ſe collatum. Et Auſtriacos, tanti æmuli potentiâ territos, acturos modeſtius. Neq; Gallos moderationis oblituros, gnaros, novum ex odio ſui Auſtriacis favorem autoritatemq; acceſſuram. Et verò niſi ea ineatur ratio, quæ Imperii Legibus Judiciisque Gallum adſtringat, quod diſceptandis ſolitis inter vicinos litibus forum? quis Judex? quæ executio? Impuni ſc. liberaque cupiditate propinquorum fines, Jurisdictionem, Jura invaſurum, aut armis petulantis nationis libidini objectis tempeſtatem revocandam, cui ſopiendæ tantis curis ſumtibusque nunc inſudetur. Propriam etiam in Pontificiis cauſam allegabant, ſeneſcente jam Auſtriacorum potentia Proteſtantium ſuis Svecorumque viribus gravium injuriis objectandis, ni ipſi quoque externo validoque fulcimento innitantur. Illibatas adhuc Catholicorum opes, integram Auſtriacorum vim, & potentiſſimi Cæſaris minas, quanquam afflictos Evangelicos contempſiſſe, neque ita preſſos unquam, ut non violentius inſurrexerint. Quam intolerabiles fore florentes, qui anguſtis adhuc rebus tantos ſpiritus induerint. Obicem igitur circumſpiciendum, irruentes fluctus ſuâ mole qui cohibeat.

Negativa. CIII. Plures Alſatiam, ſi aliter fieri nequeat, reliquo corpore abſcindendâ potius, quam ut tanti Imperio periculi cauſa aut occaſio evadat, (*m*) diſſe-

(m) *Forſtner. Epiſt. ad Scip. Scalig. prid. Cal. Oct. 1646.*

diſſerebant. Domus ſcilicet Auſtriacæ magni-« 1648.
tudinem Principes Germaniæ horrere, ejus ad-«
huc reverentia umbraque terreri?' An verò hu-«
jus periculi, ſi quod ſuperſit, remedium credi«
debere majus periculum? Pecuniæ, opum, vi-«
rorum, viriumque eundem aut majorem apud «
Gallos paratum, & uno amne diſcretis (quan-«
quam nunc ne diſcretis quidem) ingentem com-«
poſita turbandi facilitatem. Neque velle du-«
bitandum. Non contentos Rheno ambitionem «
terminare, in altera ripa Briſacum & Philipsbur-«
gium ſibi, olim armis, nunc fœdere vindicare, «
pontem ac portam rebus novandis. Nec tur-«
bare volentibus materiam, occaſionem, præ-«
textum defutura. Conſurrecturam inter pares «
æmulationem, invidiam, inde queſtus & lites, «
quæque alia turbamenta pacis. Denique di-«
verſa ſacra colentibus nuſpiam ſinceram fidem «
animorumque conſenſionem, & ſemper Gal-«
lum in partibus, accitum nec ne, nihil interfo-«
re. Quippe Principem Imperii, nec jam pere-«
grinitatis odio prægravatum Imperii rebus ve-«
luti ſuo Jure ſeſe mixturum; Religionem, bo-«
num publicum, afflictorum tutelam obtentui, «
& inter alienas diſcordias invaleſcere, & ad ma-«
jorem ſemper graſſari potentiam, interiorem «
curam & ſtudium futurum. Nec jam intra «
Principis conditionem & æqualitatem conſtitu-«
tum. Regis nomen & opes majus aliquid requi-«

1648. „rere, & Cæſareæ dignitatis faſtigium nemini „magis quam ſibi convenire arbitraturum; ad „quod arte, vi, armis eniſurus ſit. Ita nunquā non „miſeram fore Germaniam, & magis alios Domi„nos, quàm aliam conditionem; Quæ Auſtriacis „ſervierat, Gallis ſervituram. Et citabatur Bel„garum fœderatorum ſapientia, qui, amicitiâ „Gallorum hactenus feliciter uſi, potentiam ta„men exhorreant, ideoq; arma Gallica in tan„tum prævalere nolint, ut Hiſpanum toto Belgio „evolvant, præſentius ſibi exitium â Gallica po„tentia, quam ab Hiſpanorum opibus, exiſtiman„tes. Nec religionum differentiam hic objici„endam, rationem, ut Catholicis favere videa„tur, ita ex adverſo Proteſtantium ſecuritati ini„miciſſimam. Nec tamen ideo Catholicos nullis „periculis expoſitos fore. Nullos quippe ambiti„oni limites neq; ſacros neq; profanos obſtare, „omnia perrumpere, disjicere, calcare; nec quen„quam alienum ſervitium & dominationem ſibi „occupaſſe, quin Religionis & libertatis ſpecioſa „vocabula uſurpaverit. Exceptam olim & publi„cè traductam Ognatæ Comitis, Hiſpani apud „Cæſarem Oratoris vocem, æquo longiores Ger„maniæ Epiſcoporum togas, eoq; reſecandas eſſe. „An alios ſenſus Gallorum eſſe putandum, apud „quos Rex Epiſcopos faciat, & de Eccleſiarum „Bonis prope eadem, qua de ſuis, libertate diſpo„nat? quorum haud exigua pars profaniſſimo-

rum

rum hominum, aulæ aſſeclarum, perditiſſimo " 1648.
luxui inſerviat. Breviter, Gallos ambitionis inge-"
nio impulſos, occaſione incitatos, proſperitate "
ſuperiorum temporum elatos, omnib9 augendæ "
potentiæ adminiculis inſtructos, modeſtiæ nun-"
quam litaturos. Satius igitur eſſe, ex anti-"
qua repudii formula Gallo renunciare: *Condi-"
tione tua non utor, Tuam tibi habeto Alſatiam.* "
Hoc pluribus expedire, Auſtriacis, Proteſtan-"
tibus, &, ſi res exactè perpendatur, etiam Ca-"
tholicis. Neque in contrarium allata ullius "
momenti eſſe. Jusjurandum Cæſaris & dede-"
cus alienatæ provinciæ neceſſitate excuſari, quæ "
ſæpè navigia jactu exoneret, & ruinis incendia "
opprimat, & multa eſſe ejusmodi, quæ ſolum "
ex damno habent remedium. Deniq; parvam in "
eo curam, ſi extrema Imperii dehoneſtentur. "
Non etiam glorioſum eſſe poſſe, quod cum tan-"
to periculo conjungatur, & ſecuritatem inani-"
bus potiorem habendam. Arcana Imperii in Co-"
mitiis & alibi Gallo prodi, non eſſe è re Germa-"
nica. Neq; liberalitatem eſſe, quod Cæſari aut "
Auſtriacis Gallus contra Turcas offerat, ſed con-"
ceſſæ Alſatiæ pretium. Ceterum onera Imperii "
in futurum ſubire quis coacturus ſit? Tantũ ab-"
eſſe, libertatis in hoc conſilio cuſtodiam eſſe, ut "
acrius ſervitium immineat Catholicis æquè ac "
Proteſtantibus. At pacem cum vicinis mutu-"
um metum, & retinendæ Alſatiæ ſtudium con-"

1648. ciliaturum; nec æquum eſſe, unius Provinciæ curam totius Imperii ſalute potiorem eſſe.

Sententia Electorum Principumq; pro Affirm.

CIV. In contrarium tamen pleriqque ex Electorum Principumq; Collegio diſſerrabant, magnas quoque Gallo grates habendas cenſentes, quòd Imperii Civibus adnumerari dignaretur. Ita Alſatiam, utut dominum mutaret, Imperio tamen manſuram. Quod ad conditiones attineat, quibus Germanicæ Civitatis Jura adipiſceretur, Alſatiam ad modum Pomeraniæ Svecis permiſſæ Gallo adſignandam, videndumque, cui ea Regioni accenſenda. Gallos quippe, Auſtriacis inſociabiles, ſuperioris Rheni regioni potius, quam Auſtriacæ, ſeſe jungi paſſuros. Ceterum Comitiorum Jus futuro Imperii Civi denegari non poſſe; de loco (cum Pontificii inter Biſantinum & Teutonici Ordinis Magiſtrum medium non ægrè conceſſuri videbantur,) proximis Comitiis conſultandum. Privilegia in univerſum, nullis certis nominatis, tribuenda, vitandæ diſceptationi, cui arrogata, renitentibus Proceribus, Auſtriacæ Genti Jura, materiem præbitura forent. De Epiſcopatibus Salvii conſilium placuit.

Civitatum pro Negat.

CV. Diverſa Civitates ſentiebant, Gallo civitatem dari, utut ſpecie magnificum, multis tamen modis Reipubl. noxium oſtendentes. Vim Dilemmtatis Gallici contra ipſos invertendam; Aut enim plura, quam conveniat, non expetere, & ſic moleſtam iſtis Ordinum curam Imperio eiq; ſub-

ſubjectis providentium eſſe non debere; ſin ſecus, 1648.
majori cautione Gallorum aviditatem fraudesq; habendas. Denique ſine Cæſareis, MonaſterI agentibus, quorum videlicet pactis Galli nitantur, irritam transactionem, ideoque Monaſterii reſumendam perficiendamque ipſi quoque ſtatuebant. (Atque Galli voto, non ſine pœnitentia erroris commiſſi, abſtinuere.)

CVI. Cæſarei interim, Oſnabrugæ morantes, Urbium inclinatione utendum rati, Argentinate atque Colmarienſi, quibus proximus à Gallo metus, accerſitis, pacis Svecicæ vim ex Gallicis Tractatibus pendentem oſtendebant; iis igitur abſolvendis Volmarum Monaſterium abiiſſe, ubi promta actorum fides, & in ambiguis facilius judicium. Hiſpanos quoque illic degere, abſq; quibus nihil certi aut valituri ſtatuendum. Laudem igitur ipſos mereri, quod, amoris in Rempubl. pacemque conſtantes, tam utilium conſiliorum auctores exiſterent. Præirent modo ſervarentque conſtantiam, plures mox ex ſuperioribus Collegiis adſeclas habituros. Ne fucum ſibi ab iis fieri paterentur, qui Civitatibus infeſti Oſnabrugæ manendum vociferentur. Inſiſterent ſententiæ, & vel uno hoc Exemplo *Votum deciſivum*, etiam invitis atque invidentibus reliquis Ordinibus, aſſererent, firmarentque. Salvii conſilium à Septemviris Principibusque probatum, nullam ipſis utilitatem allaturum, *Aſſecurationis* le-

Cæſareorum cum quibusdam Urbib9 ſermo, & illecebræ 10. 20. Aug.

1648. gibus infringendam, omnes quorumcunque reſervationes prohibitas irritasq; pronunciantibus. Adverterent igitur Procerum dolum, neque fiderent iis, quos imminuendis Urbibus intentos eſſe, tantis documentis perſpiciant. Curaturos ſeſe, ut ſi non ipſis Pacis Tabulis, propriis tamen ſeparatisque pactis (Neben-Receß) Civitatum ſecuritati emolumentisque conſulatur. Falſos eſſe Bojoari Legatos, Naſſavio atque Volmaro â Cæſare imperatum, ut Oſnabrugam reverterentur, garrientes, quo itinere illis etiam poſt amiſſam jam Pragam quatuor reſcriptis Auguſtus interdixerit.

CVII. At intellexere Civitatenſes Cæſareanorum illecebras, ſemina diſcordiarum inter ſeſe reliquosque Ordines jacientium, & notabatur aſtutia, *Reſervationes* pactionis Legibus omnino vetitas aſſeverantium, quas non ad integrum Reipubl. Corpus, ſed ſingulos tantum ſpectare non neſciebant. Et impetratum ab Urbibus, Groularto Argentoratum decemque præfecturæ Provincialis Urbes ſui Juris facere, Regi ne per ſomnium quidem obveniſſe, teſtificante; ut Congreſſui cum Servientio adeſſe ſuſtinerent.

Fruſtra.

Civitates Oſnabrugæ Gallicam pacem tractari admittunt.

CVIII. Et reſtituta, at nullo progreſſu, Tractatio, Servientio ſententiæ ſuæ retinente, atque etiam queri auſo, duriores ſe hoſtibus amicos ſociosque experiri; magno Optimatum dolore, qui Salvium novis precibus componendæ difficultati adorti, non in eas cum Gallo Leges fœdus â Svecis ictum ſe ſperare dicebant, ut Imperii Cives, ipſo-

Tractatio Oſnabrugæ inſtituta.

ſorumque præſertim amici atque Clientes ſervituti addicerentur, quorum libertati aſſerendæ arma cœptaſſe, totiens gloriati ſint. Tradidere quoque conditiones (*n*) ſcripto comprehenſas, rurſum Servientio offerendas, quibus Electorum, Principum, & Statuum S. R. Imperii Legati, (ſolis jam ſc. Oſnabrugenſibus Reip. Jura nomenque ſibi vindicantibus, poſthabitis Monaſterienſibus, & tanquam Civitate Germanica ejectis,) conſentire dicebantur, ut de cedendis in Gallos Provinciis terriſque hos inter Cæſareosque conventa, eâdem verborum formulâ tabulis pacis inſcriberentur, quibus 11. & 21. Nov. A. M.DC. XLVII. pacta iſta conſcripta fuerant, modò, quod Servientius promiſerit, Rex Regnumq; Galliæ, Alſatiam cum Suntgovia & Præfectura Hagenavienſi ab Imperatore atque Imperio *tanquam feudum perpetuum immediatumq; Landgraviatus Titulo* accepturi, Majeſtatem ejus, uti antea, Auſtriacæ domus Principes, agnoſcant, & Baſileenſi Epiſcopo ob Ferretis Comitatum ſatisfiat. Eadem præterea, quæ quondam Archiducibus, Senatusq; præſertim Imperii Jura danda. Cumq; verba nonnulla illorum obſcurius poſita ſint, Regii autem Legati mentem Chriſtianiſſimi Regis ſemper ita explicuerint, quod nullum prorſus Statibus Imperii Romani per Gallicam ſatisfactionē præjudicium fieri velint; *Idcircò Electorum, Principum*, (verba ipſa

1648. Declaratio Statuū in Puncto Satisf. Gall. 12. 22. Aug.

Uu 5

(n) *Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c. 251.*

1648. ipſa formulæ refero, quibus Reip. iisque, quorum maxime intererat, provideri volebant,) *& Statuum Legatos declarare, neq; alia intentione atq; ſenſu in eam ſatisfactionem & inſertionem conſentire, quàm ut primò Chriſtianiſſimus Rex Regnumq; Galliæ habeat & retineat quidem ſupremum Dominiū Metenſis, Tullenſis atq; Virodunenſis Epiſcopatuum, verum illud & regia Jurisdictio exerceatur eatenus, quatenus ante iſtos motus exercita fuerit, nec Juris Diœceſani aut feudalitatis, ſive nullo alio prætextu extendantur ultra ipſorum proprium territorium in ea feuda, quæ Status Imperii R. & immediata Imp. nobilitas à dictis Epiſcopatibus recognoſcunt, vel adhuc recogniturì ſint. Secundò, ut Alſatia, Suntgovia, & Præfectura Provincialis nomine nihil aliūd translatum & ceſſum intelligatur, quam quæ ad Domum Auſtriacam ſpectaverint, atque ab ea cedi potuerint; nec ceſsio hæc ullum præjudicium adferat ulli Statuum, vel etiam immediatæ nobilitati, in ſua libertate & immedietatis erga Imp. R. poſſeſſione, vel Juribus & bonis ubicunque ſitis. Tertio; ipſi Status Provinciales, Landſaſſii, & ſubditi ceſſarum ditionum ſua Jura, Privilegia, & poſſeſsiones, uſum etiam tam in Eccleſiaſticis & ipſa Religione, quam Politicis juxta iſtam pacificationem retineant. Quartò; quæ in Sylva nigra, Ortenavia vel alibi ad Domum Auſtriacam, vel alios Status vel Nobilitatem immediatam aut quemvis mediatum pertineant, ſuum cuivis reſtituatur.*

Et conditiones ceſſarū Imp. Provinciarum Juriumque.

CIX.

CIX. Accepit Salvius ſcriptum, exiguam quidem â Gallis ſpem oſtendens; Groulartum quippe Servientii nomine ad ſe veniſſe, rogitantem, ne Declarationem iſtam, cujus copiam jam alii fecerint, acciperet. Nihil hactenus non molitum ſeſe, quibus molliora Gallo perſvaderi poſſe exiſtimaverint, nihil tamen profeciſſe. Reſumpturum nihilominus, ſi ita Ordinibus videatur, laborem, nullâ quidem obtinendi ſpe, teſtando tantum ſuo in iſtos obſequio. 1648. Salvio oblatæ.

CX. Ipſum quoq; Servientium aggreſſi Delecti, ſcriptum, quod diximus, offerentes, nihilo meliora retulere, tanto contemtu habiti, ut vel manu illud contingere dedignaretur, pactorum cum Cæſareis pervicax, inſigni Gallici nominis apud Proceres invidia; Gallos Jurium Procerum Germanicorum aſſertores ſeſe, nec quidquam, quodcunq; cum Cæſareanis contraherent, cui non illorum voluntas acceſſiſſet, ratum validumq; ſe habituros teſtatos, verſâ jam in deterius ſententiâ, eam Cæſari poteſtatem adſignare, qua Optimates Civesq; Imperii invitos repugnantesq; externæ ſervituti, mancipiorum in modum, ſuo veluti jure addiceret. Ita nimirum vaferrimam gentem, atq; omnia ſua utilitate æſtimantem, Imperatori modo, Proceribus regendi partes dare, adimere, reddere, rurſumque auferre, prout ipſorum aut commoditas aut lubido imperaverit; Reip. ſcilicet formâ totiens mutandâ, quotiens Galli- A Servientio rejectæ, 15. 25. Aug.

cæ

1648. cæ ambitioni expediat. Illud tandem Servientius indulſit, ut ſua, ſi quæ eſſe putarent Jura, Imperio ſibique ſervarent Proceres, modò apud ipſum eorum mentionem omitterent. Acquievere ipſi, cum plura obtineri non poſſent. Ad Regem tamen Declarationem iſtam mittendam cenſebant; ſatis interim Alſatis proviſum autumantes, ſi Gallus inter Imperii Cives adoptatus (id enim tunc adhuc agebatur.) Provinciam iſtam ad ceterorum Germaniæ Principum formam acciperet. Metenſibus, Tullenſibus, ac Virodunenſibus Svecicis Tabulis jam conſultum, & poſſe, intendendæ ſecuritati, Scripturam iſtam â Delectis obſignatam apud Moguntiacum deponi, atq; Cæſareis aliisve, quibus id lubeat, exemplum *in formâ authentica* concedi, ipſisque ſummis Imp. Tribunalibus eorum copiam fieri.

Ejus ulterior Declaratio. A Proceribus accepta.

CXI. Atque iſto Conſilio Proceres ſcriptis ad Galliæ Regem (o) literis, *pacatis jam Svecicis litibus, colophonem Pacificationis operi Gallicorum negotiorum perfectione imponere, atque publicis calamitatibus, quibuscum Germania huc usq; tam miſere conflictata ſit, finem facere contendentibus, obſtitiſſe præter ſpem & expectationem, in primo ferè limine ſatisfactionis Gallicæ ante annum circiter Monaſterii inter Cæſaris ipſiusque Legatos initam conventionem* querebantur. *Quis ſcopus aut quæ intentio armorum Gallicorum ab initio horum motuum*

Ordinũ literæ ad Regẽ Galliæ.

(o) *Lundorp. Tom. VI. Lib. III. c. 261.*

tuum fuerit, & quid ſibi bello parari Corona cupiverit, publica literarum nec intermoritura loqui documenta: nimirum nihil aliud, quam ut Statibus Romani Imperii ſua Jura, dominia, atque libertates, in quibus illa præſidii non parum collocarit, reſtituantur, atq; eo modo ſarta tecta maneant, quæ ante hos motus conſtitere. Nec tamen renuiſſe Ordines, quin præter tres iſtos Epiſcopatus, Metenſem, Tullenſem, & Virodunenſem, quatenus inde â longiſſimo tempore poſſeſſa fuerunt, etiam quantum in nobiliſſima Germaniæ provincia Alſatia domus Auſtriaca hactenus hereditate poſſedit, ſatisfactionis loco cedat, ſed potius, ut omnibus ac quovis tempore conſtare de hac ſua voluntate queat, ſcripto eam comprehendiſſe, atq; Comiti Servientio tradidiſſe, verum ut ipſi ſatisfactionis contextui generaliter loquenti declarationem ſaltem, ſalva manente rei ſubſtantia, adderet, impetrare ab ipſo, defectũ mandati jugiter allegante, non potuiſſe. Unde non exiguâ negotio pacificationis remorâ injectâ, vereri ſeſe, ne in ipſo ſubſcriptionis actu id denuò ſiſtatur, & propterea rem omnem ad Regẽ quantocyus perferre neceſſarium duxiſſe, nulli dubitantes, quin conſenſum ipſorum æquitati conſentaneum atq; ita comprehenſurus ſit, ut deſiderari ab ipſis ulterius nihil queat. Sanè quemadmodum Cæſareani ſeſe plus juris, quam Domui Auſtriacæ in Alſatia hactenus competiit, in Gallum transferre neque voluiſſe neque potuiſſe seriò affirment, eoque nomine ad fidem A- 1648.

ctorum

1648. *ctorum provocent; ita nec in ipſorum ſitum eſſe poteſtate, Con-Statibus liberis, innocentibus, & tutela Regiæ innitentibus præripere, quæ neque ipſis acceptata ferant, neq; precario, ſed ſuo Jure, poſſideant. Idque, prout ſperent, tanto minus poſtulaturum Regem, quo magis compertum exploratumq; habeant, cum ſumſiſſe arma, non ad infringendum Jura Imperii & Statuum, ceu amicorum & ex parte confœderatorum Coronæ Galliæ, cumprimis verò ſtare velle pactis, cum uno atq; altero, de ejusdem poſt reductam pacem plenaria reſtitutione facienda, ſeparatim initis. Ut igitur Tractatus pacis eò citius ad optatum perduci finem, & patria ex diuturnis bellorum tempeſtatibus in portum tranquillitatis venire queat, communi omnium Ordinū ac Statuum Imp. nomine obnixe rogare, ut Rex juxta Declarationem ipſorum, Legibus Imperii, Juribus Statuum, intentioni Cæſareanorum, & promiſſionibus regiis, per literas & Legatos ſæpisſimè iteratis, omni modo conformem, conventionem ſupra memoratam eatenus emendari faciat, atque ita re ipſa, quod ſubinde palam profeſſus ſit, comprobet, nihil ſibi tranquillitate Orbis Chriſtiani eſſe antiquiq.*

CXII. Ita ſepoſita magis quam ſoluta difficultate ulterius progreſſis, & de totis tabulis jam fere conſentientibus, quæſtio de præſtando Hiſpanis contra Gallum ab Imperatore auxilio morā injecit, ne totam tractationem ſuis tricis impediret, ultimæ diſceptationi ſervata. Statuebant Ele-

Qvæſtio de auxilio Hiſpano à

ſto-

ctores, Bojoaro, ut ferebatur, potiſſimum auctore; Exquirendum primum à Servientio, perfecturusne eſſet cum Proceribus pacem, etiamſi Cæſareani, ab Hiſpanis inſtigati, obniti pergerent. Illud ſi affirmet, amplius progrediendum, Cæſarique, quà Cæſari, ne Hiſpano opituletur, interdicendum; quod ſi Servientius ut minus & jam antehac conceſſum adſpernetur, omnem induſtriam operamq; perſvadendo Imperatori adhibendam, ut ſalutis Imperii, ſupremæ ſcil. Legis, reverentiâ, ea hac in re temperamenta admittat, ne obfirmata pro Hiſpanis auxilia omnem pacis jam penè patratæ ſpem novo turbamento abrumpant. Et ſi ne hoc quidem Servientio ſatis placeat, orandum eum, ſuppeditaret conſilium, quod expediundæ difficultati accommodatum ipſe putaret. Delegandam quoq; Delectis poteſtatem, qua, ſi intra Legum Imperii terminos ſubſiſteret, cum Gallo tranſigerent; ſin evagari eos conaretur, ad Senatum quisque ſuum referrent. Lite compoſita, Conventa Cæſareanis atq; Monaſterienſibus exponenda.

1648. Cæſare contra Gallum ferēdo. Electorum ſententia.

CXIII. Et delata res ad Servientium, qui Salvium prius conſulendum, quam quid certi ſtatueret, reponens, poſtquam conſuluerat, non ſe adverſari reſpondit, quo minus obſignatis â ſe Salvioq; pacis, in quā cum Proceribus conſenſuri forent, Tabulis, & Moguntini fidei creditis, Monaſteriū cum iis, quibꝰ ex Oſnabrugenſibus luberet, abeat,

Servientii Reſpōſum. 19. 20. 29. 30. Aug.

1648. abeat, reſumendæ cùm Cæſareis, &, ſi hi paterentur, perficiundæ tractationi. Sin verò abnuerent, dandas â ſe Salvioq; ad Præfectos militiæ literas, actorum hactenus indices, induciasque juſſuras, quas ſi Cæſar gratas habeat, pacem pro confecta, ſin ſecus, cum iis ſaltem futuram, qui nomina ei daturi ſint.

Approbatum à Salvio. Hujusq; temperamentum. Pleriſq; Procerum probatum. Electoralium conſilium de ea re ad Cæſareos prius deferenda. Diſſentiente Principum Collegio.

CXIV. Laudavit conſilium Salvius, ſufficere poſſe Gallis dictitans, *de quacunque hoſtilitate aut inimicitia alteri parti ab altera neq; per ſe neque alios, clam aut palam, directe vel indirecte in Imperio vel uſpiam extra illud inferenda*, Tabulis (*p*) ſuis, (Poloni equidem ſollicitudine) addita. Eaq; ut ſopiendæ controverſiæ non omnino incommoda, ita plerorumq; Procerum adſenſu audita ſunt. Monuere tamen Electorales, tribuendū id Cæſareanorum honori, ut miſſi, priusquam deliberatio ſuper iſta re perageretur, Monaſterium Delecti, quis tum rerum habitus eſſet, ad Naſſavium atque Volmarum deferrent. Hujus conſilii præter Colonienſem, Saxonemq;, Witgenſteinium præſertim, Cæſareanorum minis exterritum, ideoque iras eorum leniturum, autorem perhibebant, in diverſa abeunte Principum Collegio, datam ante aliquot horas Servientio ab ipſis Brandenburgicis, uti dicebant, Oſnabrugam maxime pellecto, fidem referendo, quã tam leviter haberi, apud Gallorum offenſam, ſibiq; ipſis dedecus allatu-

(p) *Inſtrum. pac. Svec. art. 2.*

laturum. Timendum, ne Servientius, contumeliâ 1648.
irritatus, & fortunæ Gallicis in Belgio armis iterum æquioris inclinatione uſurus, relictâ Oſnabrugâ, cum Hiſpano commodis ſibi Legibus, at irreparabili forſâ Imperii damno, paciſcatur. Neque Cæſareanos ſuum honorem id, ſed injuriam interpretaturos, ſi ipſis inani legatione cultis, Proceres interim cœptos tractatus conſultationesq; continuent; nullo alio operæ fructu, quàm ut tempus cum Cæſareis, tractationi Monaſterii ſuſcipiendæ inſtitutis, inutili conſultatione teratur, comperto præſertim noviſſimo ab Aula mandato, quo Oſnabrugam ire, aut Hiſpaniæ res Germanica pace abſtrahère ſeverè vetarentur; eâ Brunii, Hiſpani Regis Legati, Cæſaris affectuum non ignari, audaciâ, ut edito in vulgus, quamvis ſuppreſſo nomine, libello Cæſarem Imperiumque Burgundicis, ut præ ſe ferat, at, ſi veritatẽ ſpectes, Hiſpanicis neceſſitudinibus ſejungi, ejus facinoris loco habuerit, cui vindicando, perfidiæq; ejus auctoribus puniendis, totius Orbis ferrarias arma fabricare deceret. Expeditius igitur, omiſſa iſta Legatione, quæ Oſnabrugæ agantur, Lambergio Granioq; per Delectos, Naſſavio atq; Volmaro literis nunciare, iisq; ſimul teſtificari, nihil ſe contra inſtituta legesvè Majorum decreturos, neq; reverentiæ oblituros, ſummo Principi debitæ. Poſſe quoq; Monaſterium iter inſtitui, quando id paci maturandæ cōmodum, & è re publica viſum fuerit. In illamq; ſententiam Electores etiam atque Urbes conceſſere.

Cui & Electorales Urbesq; accedũt.

1648. CXV. Et compoſitæ formulæ, quarum primâ *Imperator æquè ac Electores, Principes & Status inviolabiliter obſervare*, jubebantur, *quæ de Conſervatione pacis publicæ, exterisque Principibus & Rebuspublicis non laceſſendis, ſed amicitia potius cum iis colenda in Imperii Conſtitutionibus, Capitulatione Cæſarea & iſta pacificatione ſtatuta & transacta ſint.* Alterâ nominatim etiam vetabatur, *ne Imperator Ordinesve Imperii modernis Circuli Burgundici bellis ſe ulla ratione immiſcerent, ſalvis tamen Juribus Imperii, quatenus ejusdem membrum ſit, & Circulus, qui, pace inter Regem Chriſtianiſſimum & Catholicum ſtabilita, eadem pacificatione atque transactione, ſicut reliqui R. Imperii Circuli, gaviſurus ſit.*

Formulæ transactionis de iſto Puncto. 24 Aug. 3. Sept.

CXVI. At neutra Servientio arridebat, gnaro Germanorum moris, quo contra amicos etiam Reip. Civibus ejus militare licitum habetur, & proviſu in futurum, ne unquam Gallorum in Burgundiam conſiliis Germani intercederent. Ideo aliâ à ſe conſcriptâ, *ne deinceps Imperatori aut ulli ex Electoribus, Principibus, & Statibus Imperii, eorum Tractatuum conſortibus, ullos Regis Chriſtianiſſimi hoſtes, præſentes vel futuros, quocunque titulo vel nomine, neque etiam ratione controverſiarum, quæ propter Circulum Burgundicum, ditiones Lotharingicas, aut alias quascunque cauſas hoſtiliter diſceptari poterunt, armis, pecunia, milite, commeatu aliavè ope juvare, nec ullis copiis, quæ contra Regem*

A Servientio improbatæ. Formula Servientii.

Regem Christianiſſimum directè vel indirectè bellum gerere vellent aut poſſent, ſtativa, receptum aut tranſitum per fines Imperii concedere, vel aliud quodcunque auxilium præſtare liceret, petebat; *ſecus facientem, tanquam publicæ pacis violatorem, communibus armis ab incepto prohibendum.* 1648.

CXVII. Verum nimia hæc & graviora Delectis viſa, quàm Germanicæ libertati congruerent. Ideo cùm neutri placerent, quæ altera pars concinnaverat, Salvio formulæ conſcribendæ negotium datum. In eamque, mutatis utrinque paucis verbis, tandem conſenſum, ipſis (*q*) Tabulis pacis Lectori, cui lubet, inſpiciundam; eo tamen modeſtiæ temperamento, & in Cæſarem Gentemque Auſtriacam veneratione, ut precibus, non decretis, conſenſui adigendos cenſerent, quos, acceptâ à Gallis ad Lentiacum clade, nova ſeditione Neapolitana, Procerum Hiſpaniæ hactenus fidorum defectione infenſiore, prævalidis Gallorum in Ducatu Mediolanenſi armis, & Valentiæ Regno, excuſſo Arragonum obſequio, alios dominos ſpectante, ferociam exuturos, & ſubmiſſis ſævienti fortunæ animis paci proniores, plerique ſperabant; Aliis meliora Auſtriacis fata, pactum ſcilicet Cæſari cum Hiſpani filia matrimonium, Imperatoris filium proximis Comitiis Patri ſucceſſorem deſignandum, & defunctô ſine maſcula prole Philippo, junctis Hiſpaniæ Auſtriæque viribus

Res hæc cum Ordinibus transacta. Cum reſervatione conſenſus Cæſarei.

 ribus

(q) *Inſtr. Pac. Gall. Art.* §. 3. *Et ut ſincerior.*

1648. ribus Caroli V. tempora præſumentibus, quorum (ſi Diis placeret) felicitatem pacem iſtam nimium dedecere judicabant. Et notæ Hiſpanorum artes, anguſtiori indies ipſorum re, intentius formidabantur.

Hiſpanica petiti Gallici de Circulo Burgũdico à pace Imp. excludendo, deque ope ex Imperio ei conferenda Refutatio.

CXIIX. Atq; hi, compoſito libello Gallorum poſtulatum de excludenda Germanica pace Burgundiæ regione in ſectantes, petitionem iſtã Gallorũ, Status Imperii legibus fundamentalibus, „ pactis publicis, æquitati, bono publico, ſecuri- „ tati, commodis, honeſtati & Majeſtati Imperii, „ præterea ipſis bellorum cauſis, conteſtationibus „ publicis, pactionibus præliminaribus, Poſtula- „ tis Gallorum, atque Inſtrumento pacis ab illis „ edito, Conſeſſuum placitis, ipſi poſtremò Paci, „ tot tamq; ardentibus votis expetitæ, adverſari „ cauſabantur. Circulum Burgundicum, jam „ à temporibus Divi Maximiliani ceteris adſcri- „ ptum, portionem non minimam S. S. hujus „ Imperii conſtituere. Complecti populos omnes „ Germaniæ inferioris, Domui Burgundicæ pa- „ rentes, veram & Germanam Germaniæ gen- „ tem. Eum è medio tollere, eſſe ædificii hujus „ pulcherrimi vincula ſubtrahere, ſtructuram „ decem Circulis compactam convellere, corpo- „ ris molem, per tam longam ſeculorum ſeriem „ illibatam, detruncare. Paucis, eſſe Imperii R. „ ſtatum, nimium jam conturbatum, funditus „ evertere. Legibus Imperii fundamentali- „ bus Circulos omnes nexu indiſſolubili colliga-

tos

tos, ſibi invicem adeſſe & opitulari non modo " 1648.
poſſe, ſed debere. Communia omnibus pacis & "
belli jura, omnibus ut unam ſalutem, ſic & com- "
mune periculum. Id velle tot totiesq; repetitæ "
Pacis publicæ ſanctiones, id Executionis Ordi- "
nationes, id Comitiorū penè omnium Decreta "
& Receſſus. Inter haſce pacis publicæ Leges "
unam eamq; vetuſtiſſimam eſſe anno 1495. in "
Comitiis Wormatienſibus ſancitam. Illam "
Maximilianum Cæſarem, tam ſuo domusque "
Auſtriacæ, quam Archiducis Philippi filii & "
Provinciarum Burgundicarum nomine ex una, "
ac univerſos Imperii Electores, Principes atque "
Ordines ex altera parte, pepetuam omnique "
tempore duraturam, data acceptaque fide "
ſtipulatos eſſe. Leges haſce pro Pacis, "
de qua agitur, executione ſequendas eſſe, & "
tanquam pro norma habendas, velle inſtrumen- "
ta pacis, utrinq; exhibita. Has tamen ipſas, "
pace nondum conſtituta, Gallos conari infrin- "
gere, pacemque Imperii publicam ſub ſpecie "
pacis violare. Sed non legibus modò & "
conſtitutionibus, verum & pactis publicis id "
jam dudum conſtitutum fuiſſe. Celebrem eſ- "
ſe Transactionem Burgundicam, jam â ſeculo in "
Comitiis Auguſtanis, quæ ob Procerum fre- "
quentiam Magna indigitata, ſolemniter inita; "
Comitiorum Receſſu (§. Nach dem dann ꝛc.) "
atq; etiam poſtmodum ſpeciali decreto A. 1560. "

1648. „roborata; Transactione hac Circuli Burgundi-
„ci rationem ſtabilitam eſſe, reſtitutum illum
„aut inſitum corpori Imperii, nominatas Pro-
„vincias ſub ejus amplitudine comprehenſas;
„Cautum eſſe de convocatione ad Conventus,
„de ſeſſione & voto; conſtitutam Quotam pen-
„ſitationibus; promiſſam fidem & clientelam
„erga Imperium, & vice verſa, quod in hac re
„præcipuum, ab Imperio Protectionem, patro-
„cinium, Tutamen. Pacta hæc conventa eſſe u-
„niverſorum Electorum, Principum atque Or-
„dinum Imperii communi aſſenſu; ſignatas Ta-
„bulas, & ſigillis conſvetis munitas. Additam
„promiſſionem, qua majus vinculum dari non
„poſſit, de illorum obſervantia, ſub fide Princi-
„pum. Hic licere Deum atque homines obteſta-
„ri, hic fidem publicam implorare, fœderum
„ſanctitatem, Promiſſorum, quæ vetus Germa-
„norum gloria, conſtantiam. Liceret in pacis il-
„lo congreſſu in Chriſtiani Orbis Theatro, uſur-
„pare voces illas, quibus majorum iſtorum Le-
„gati in Theatro Pompeji aliquando exclamaſſe
„perhibeantur: *Nullos mortalium fide ante Ger-
„manos eſſe.* Objici, Transactionem hanc non
„eſſe obſervatam; qua verò in re, quibusvè capi-
„tibus, non dici. Præſtitiſſe hactenus domus Bur-
„gundicæ Principes omnia & ſingula, ad quæ me-
„moratâ transactione ſint obſtricti. Ad Con-
„ventus publicos convocatos per Legatos ſuos
ad-

adfuiſſe, ac etiamnum adeſſe. Idem factum in " 1648.
Conventibus Deputatorum Imperii, inter quos "
& ipſi Jure ſpeciali & poſt dictam Transactio- "
nem adſcripti ſint. Nominaſſe aſſeſſores Ca- "
meræ, eidem ſtipendia annua pependiſſe. Ad "
ſummam, fideles devotosque S. R. Imperii Prin- "
cipes continuò conſtanterque ſe exhibuiſſe. Ob- "
jectari deinde, Imperium negotiis Belgicis nun- "
quam ſe immiſcuiſſe. At negari id ea theſi, "
quâ ponatur. Aliud quoque publica Imperii "
Acta teſtari. Turbis Belgicis naſcentibus, in Co- "
mitiis publicis auditas aliquando tumultuan- "
tium querelas. Illis creſcentibus, decretas non "
ſemel pro pacificatione Legationes. Quod ſi, "
turbis iſtis durantibus, Regi Catholico non ad- "
ſtiterit Imperium, ſi Batavi non denunciati Im- "
perii hoſtes, id certis de cauſis factum, quas "
memorare alius temporis locique eſſe. Solum "
id ſufficere, inferri ex eo non poſſe memoratæ "
Transactionis, quæ de caſu illo non loquitur, in- "
obſervantiam. Multò minus inferre argumen- "
tum, Circulo Burgundico inteſtinis bellis im- "
plicito, â neutris partibus ſtetiſſe Imperium, E. "
Circulum Burgundicum ab Imperio ſeparan- "
dum aut in communi pacificatione deſerendum "
eſſe. Ergo novo omnino exemplo pactione ex- "
preſsâ cavendum, quod nec Imperator neque "
Imperii Principes adverſus hoſtis externi inju- "
rias Circulo huic poſſint opitulari. Qua tempe- "

1648. ,, ſtate inter Reges bella flagrarunt, dum annis ſu-
,, perioribus Belgium Burgundiaq; â Gallis impe-
,, tita, nihil ejus rei, quæ nunc petitur, poſtulatum
,, fuiſſe, ac ne quidem cogitatum. Adducta non
,, ſemel in Belgium Germanorum auxilia, data in
,, terris Imp. ſtativa, diribitoria, tranſitus: quæ
,, nec Gallis quidem denegata. Opponi ulterius,
,, Circulum Burgundicum multis ab annis non
,, contribuiſſe. Eo expuncto, nihil Imperio de-
,, ceſſurum. At non contribuiſſe Circulum Bur-
,, gundicum, dici non poſſe, qui noſtrâ patrumq;
,, memoriâ tantam auri virorumq; vim, tantum
,, æris, tantum ſangvinis pro Imperio effuderit.
,, Memorari hic poſſe Legiones, copias, exerci-
,, tus integros in Germaniam adductos, Belgicæ &
,, Burgundicæ nobilitatis florem amiſſum, Duces
,, fortiſſimos deſideratos. Transactione Burgun-
,, dica duplicem contributionis modum eſſe con-
,, ſtitutum, unum communem & ordinarium pro
,, ſolitis Imp. oneribus; Alterū extraordinarium,
,, in expeditione generali adverſus Turcam. Priore
,, Circuli Burgundici Qvotam ad duplum Electo-
,, ralis; poſteriore ad triplum eſſe conſtitutam.
,, Huic innumerato ſemper ſatisfactum; illi,
,, partim in armis, partim in pecúnia, cujus ſi cal-
,, culus ineundus, longe plus debito ſolutum re-
,, pertum iri. Et ſanè juſtiſſimam fuiſſe cau-
,, ſam, cur in Contributionibus ordinariis Qvo-
,, tæ Burgundicæ ſolutio ærario inferenda, duran-
tibus

tibus Belgii motibus tacita quadam compenſati-" 1648.
one aut extincta aut ſuſpenſa fuerit. Reciprocã "
eſſe Imperii & Circuli obligationem; hunc fidẽ "
& clientelam debere, illud protectionem & pa- "
trocinium. Qvamdiu hæc præſtita non ſint, nec "
contributionem fuiſſe præſtandam. Iniquum "
futurum fuiſſe, opem â membris exigi, dum "
corpus membris non opitularetur. Nunc verò, "
Dei beneficio Circulo Burgundico â bellis inter- "
nis pacato, dato reliquis Imperii Orbisq; Chri- "
ſtiani partibus Pacis incitamento, ſperandum, "
obicem, qui contributionibus remoram dedit, "
removendũ, & quicquid hactenus impedimen- "
to fuit, in poſterum iri ſublatum. Verum enim "
verò etſi nulla Legum, nulla pactionum, nulla "
fidei publicæ intercederet obligatio, ipſam æ- "
quitatis rationem poſtulare, Belli ſocios eſſe pa- "
cis conſortes. Eadem omnibus bona malaque "
eſſe, atq; rerum adverſarum, ſic & ſecundarum "
communes ex æquo rationes. Id rationem ipſam "
dictare, id omnium temporum atq; nationum "
exempla, id regnorum hoſtilium fœdera ac ſtu- "
dia, quibus hactenus incubuerint. Scire o- "
mnes, Circulum Burgundicum unà cum Impe- "
rio, imò verius, diu poſt, & ſolius Imperii in- "
tuitu, â Gallis fuiſſe impetitum. Jam dudum "
Gallica arma per Germaniam ſuperiorem fuiſ- "
ſe lata, cũ communem belli cauſam in ſe quoq; "
Burgundia traxerit, Bellorum cauſis vel obten- "

1648. „ tibus illuc derivatis. Ab iſto tempore annis „ jam amplius tredecim patrio in ſolo, tanquam „ Martis alea, Gallorum vim fortiſſimè ſuſtinu„ iſſe. Illum vero nunc deſerere, &, qui bel„ lo ſtetit invictus, Pace devincendum dedere, „ ut nihil turpius, ita nec iniquius. Verùm quam„ vis nulla alia foret, ſolam boni publici rationem „ expoſcere, Circulum hunc Imperii antemura„ le â reliquo corpore non diſtrahi. Sic â natu„ ra comparatum, ut in vaſto hoc Imperio eſſent „ populi in confinio poſiti, qui pro omnium tute„ la excubarent, qui ſalutem communem pericu„ lo communi defenderent, quorum virtute Gal„ lica potentia vicinis ſemper formidoloſa repri„ meretur, qui viribus, locis, fluminibus muni„ ti, veteri quoq; odio animati, gentem inquietam „ & bellicoſam ſuos intra fines continerent. Et „ profectò, ſi Germaniæ, patriæ chariſſimæ, ſta„ tus ob oculos ponatur, non is modò, qui in præ„ ſens eſt, ſed & pace eveniente conſtituendus, vi„ ſam iri faciem Reip. triſtem & miſerabilem, Epi„ ſcopatûs, Provincias, ditiones imperii ampliſ„ ſimas abſciſſas. Illarum acceſſione regnum „ Galliæ ad trientem paulò minus adauctum eſ„ ſe. Rhenum, qui quondam in meditullio Ger„ maniæ, nunc vix limitem haberi. At utram„ que ripam hoſtibus concedi, arces, præſidia, „ tranſitus. Illud verò miſerabilius, illos hi„ ſce conceſſionibus ne quidem contentos, petere

Cir-

Circulos integros, Præſidia Imperii, munimen- " 1648.
ta fortiſſima è medio tolli. Qvibus ſubtractis, "
quid tutandis Imperii finibus ſuperfore? Qvem "
Principum Germaniæ, qui ad meridiem ſunt, "
niſi precariam vitam ac libertatem agere velit, "
domi tutum commoraturum eſſe? Qvam civita- "
tem, qua parte Galliæ adjacet, Liberæ nomen, "
quo nihil carius, conſervaturā? Jam ſi commo- "
da ſpectentur, quid publicè aut privatim antiqua "
inter Germaniam utramque conjunctione, a- "
micitia, neceſſitudine poſſe eſſe utilius? Quid "
pulchrius, quam populos conterminos ejusdem "
nominis, ſangvinis, & lingvæ, paribus mori- "
bus & inſtitutis viventes, Legum pacis publicæ "
beneficio invicem agere, verſari uſumque com- "
merciorum exercere? Si utili honeſtum ad- "
jungendum, quid magis infame, quid magis i- "
gnominioſum, quam ditionem non unam, ſed "
complures, Circulum integrum, Provinciarum "
orbem, pro hoſtis libidine, exemplo fœdiſſimo, "
ab Imperii corpore avelli? Aç meliora ſe ſpe- "
rara optareque, quàm ut nomini Germanico "
hoc probri imputari, atque ad poſteros notam "
hanc tranſire ætatis hujus natio patiatur; Qvan- "
quam fuiſſe hac tempeſtate Germanos, fidei "
olim tenaciſſimos, qui fidos clientes, ve- "
teres amicos, ſocios, & fratres; qui concives ſu- "
os & populares, qui Germanos ipſos in ipſa pa- "
ce per ſummum dedecus abdicarent. Præſentis "
bel-

1648. „belli cauſas haſce unicas vel præcipuas ſumſiſſe Galliam, libertatem Germanicam, & Imperii reſtaurationem. Haſce monumentis publicis editis, has in fœdere Svecico expreſſiſſe. At „apparere jam illam, cujus ſpecie pugnatum, „Germaniæ libertatem, cujus pars maxima, fœderum ſanciendorum & ſocios adjuvandi facultas; Imperii reſtaurationem, Circuli pulcherrimi & fortiſſimi ab Imperio avulſionem. „Multoties & ſolenniter cum publicè tum privatim conteſtatam eſſe Galliam, ob copias „pro libertate Germanica Imperio illatas, nullam ſe unquam retributionem petituram, propriis ſumtibus ſine cujuſpiam onere ſe eas ſuſtentaturam, paceq; compoſita ê finibus Imperii educturam. Num verò dicta factis executura ſit, nunc videri, dum, omiſſa diſſimulatione, obtenta ſatisfactione ampliſſima, pars nobiliſſima Imperii abſtrahi poſtuletur. Pactionum „præliminariû cautionem præcipuâ hanc fuiſſe, „ut omnes & ſinguli S. R. I. Principes ac Ordines „fide publica tuti, colloquio, uti de pace intereſſent. Sic â Cæſare conſcriptos, ab ipſiſmet Regnis „rogatos eſſe. Hoc fine tâ longæ tractationi frequentes adſtitiſſe, de communibus privatiſque „negotiis conſultaviſſe; Finem primordio longe „diſparê. Qui cunctos Imperii Status, imò & mediatos, pacis colloquio adeſſe voluerint, nunc „ſummæ notæ Principem, ſangvine Teutonico ipſis

ipſisque Cæſaribus ortum, antiquiſſima fœderis “ 1648.
ſocietate, & cum Germanis Principibus renova- “
tæ ſæpius cognationis, neq; intermiſſæ unquam “
amicitiæ, neceſſitudine conjunctiſſimum, de hoc “
SS. Imp. optimè meritum, in ipſa pacis conclu- “
ſione velle excluſum. Poſtulatis die SS. Trin. “
jam à triennio editis, id præcipuè petiiſſe Gallos, “
Pacem fieri Chriſtianam, univerſalem, & perpe- “
tuam cum Imperatore & Domo Auſtriaca; o- “
mnesq; & ſingulos eorum fœderatos & Adhæ- “
rentes, inſuper omnes & ſingulos Imperii Prin- “
cipes & Status priſtinis Juribus, Prærogativis, li- “
bertatibus, & Privilegiis reſtitui & conſervari. “
Inſtrumento verò anno ſuperiore exhibito ultrà “
hoc additum de Circulis redintegrandis, Ma- “
tricula renovanda, juribus Principum reſtauran- “
dis, cumprimis verò faciendi inter ſe & cum ex- “
teris fœdera, Pacis quoq; publicæ Conſtitutioni- “
bus obſervandis. At quomodo Circulos redin- “
tegrari, Matriculā renovari proponant, qui Cir- “
culum unum cupiant extinctum? Quomodo Sta- “
tibus Imperii Jus faciendi fœdera, cum quibus- “
cunq; ſive indigenis, ſive exteris liberum petant, “
qui Circulo fidiſſimo ſuppetias pacto publico “
denegari ſtudeant? Quomodo Imperatori & “
Principibus Domus Auſtriacæ denegatum vel- “
le, quod omnibus & ſingulis Imperii Statibus, “
maximis, medioximis, infimis citra contro- “
verſiam permiſſum? Quomodo Conſtitutio- “

nes

1648. „nes pacis publicæ obſervent, qui neque cenſus „neque receptus, neque tranſitus per terras Im„perii pro Circuli hujus ſecuritate contra pacis „publicæ Leges velint permiſſos? Si verò poſtu„lata ab Hiſpanis facta, cum hiſce, de quibus ſer„mo, comparentur, quâ fronte Gallos petere „audere, Circulo Burgundico Imperii mem„bro ab ejusdem corporis membris auxilia non „portari, qui in Legibus pacis Hiſpanicæ illud „præcipuè & pervicaciter obtentum voluerint, „ut integrum illis foret, fœderatis & amicis o„mnibus, etiam perduellibus; & nominatim „Regni Luſitaniæ invaſori, ſeu clam ſeu palam „ſive directè ſive indirectè opitulari. Placitis „cætus iſtius celeberrimi poſt maturam rei de„liberationem jam pridem atque iterato viſum „fuiſſe, & communi Senatus Imperii ſuffra„gio concluſum, XXVI. Aprilis M. DC. XLVI. „& XXV. Sept. M. DC. XLVII. Regem Catho„licum, ratione Domus Brugundicæ ſpectabilem „Imperii Statum, ac ratione Ducatus Mediola„nenſis ejusdem beneficiarium, in hac qualitate „à pace nullo pacto eſſe excludendum. Quæ „Decreta revocare neque juſtum neque deco„rum ſit. Ad extremum, Tractatuum pacis, qui„bus inſudetur, hunc ſcopum eſſe præcipuum, „ut beneficio communis Amneſtiæ, internis „diſſidiis compoſitis, dataque Regnis hoſtili„bus ſatisfactione, Imperii harmonia ſarta

tecta

tecta poſſit conſervari, ſeræq; poſteritati trans- " 1648.
mitti. Cum ſcopo hoc ê diametro pugnare id, "
quod Galli proponant, quod Imperii harmo- "
niam funditus evertat, corpus ſatis trunca- "
tum dilaceret, bellum, quod componendum, "
reſuſcitet, ab Imperio in Imperium arma con- "
vertat, breviter, Pacem ipſam ſub pacis imagine "
diſturbet. Si enim Legum, fœderum, ſecurita- "
tis, boni publici, aliisq; memoratis cauſis, pro "
hoſtis voluntatę procul habitis, Regi Catholico, "
quæ poſtulatur, fiat injuria, quid aliud expectan- "
dum, quam juſtiſſimam fidei violatæ vindi- "
ctã, arma in fœdifragos univerſo Orbi compro- "
banda, & ex bello hoc miſerabili aliud bellum "
miſerabilius? Quamobrem ſibi majoribusque "
dignum, poſteritati laudandum, legibus, qui- "
bus conſtat Imperium, fidei conſtantiæque "
Germaniæ, publico bono, ſecuritati patriæ, "
magnitudini Imperii, ſaluti Reipubl. in extre- "
mo ſitæ, deniq; paci ipſi, quæ Juſtitiæ ſoror, con- "
ſentaneum præbiturum eſſe Exemplum incly- "
tum Pacis conventum, ſi petitioni iſti non mo- "
do non annuat, ſed ex adverſo ſolemni SCto "
eandem decreverit eliminandam. At non intere- Irrita.
rat Procerum, quid Burgundus diceret, & inclina-
tio Cæſareanorum incitamentum iſtis fuit, quo
promtius adverſarentur, non ſine quorundam
metu, ne Germaniæ aliquando fraudi foret nimia
Gallorũ potentia, nullâ, ſi Auſtriaci conciderent,

con-

1648. contraria vi temperanda. At verò, quæ fato manent, quamvis ſignificata, non vitantur. Et quantum damni Germaniæ haud multo poſt Germaniæ latura eſſet neglecta, atque prodita Gallorum lubidini cum Lotharingia tota Burgundiæ regio, ſero (qualis nimirum Phrygum eſſe ſolet ſapientia,) atque poſt fortunam demùm credidimus.

Nova Gallorũ poſtulata. 6. 16. Sept. CXIX. Intereà ad finem ferè atque obſignationem Tabularum Gallicarum, (Svecicis à Cranio Salvioque Moguntini fidei cuſtodiæque creditis,) perventum erat, cùm Servientius uſum Catholicæ Religionis iis, qui in Palatinatu inferiori ei addicti, liberum ſervandum, nec ad aliam Religionem amplectendam adigendos, ex veteri & cum Cæſareanis quondam conventa formula; tum Spirenſi Epiſcopatui, cui Trevirenſis tum præerat, in terras Wirtembergicas Jura atque actiones illibatas poſcens, properantia ad ſpei exitum plerorumq; vota novis & inopinis poſtulatis ſuſpenderet. Et, poſt quinq; horarum jurgium, ſine fructu utrinque diſceſſum; iſthinc Salvio atq; Germanis fidem publicam, & eandem utrarumq; Tabularum formam, iſto pacta cum Cæſareanis contracta opponentibus. Ceſſit tamen ſecuta mox

Remiſſa die Gallus, Salvio aliisq; ex Procerum Ordine Pacis ex eo turbamentum, & opprobrium Gallicæ gentis oſtendentibus, ſi ipſi, magnifica Liberatorum Germaniæ nomina ſibi adſciſcentes, iis, quos oppreſ-

oppreſſores Libertatis appellent, duriores, pacta rescindere auſint, componendis internis diſſenſionibus Cæſareis, Svecis, Proceribusq; placita. Neque ſine periculo Gallorum futurũ, Leges infringere, quas ut valituras & communi ope tuendas Cæſarei atq; Catholici recepiſſent. Illud tantum (omiſſa de Spirenſi mentione) articulo de permittendo Catholicæ Religionis in inferiori Palatinatu cultu adjici petiit Servientius; *Cùm ex parte Statuum Imperii remonſtratum fuerit, quòd Domini Cæſarei, Svecici, & Statuum Legati utriusq; Religionis aliter circa hunc §. tranſegerint, & inter ſe convenerint, ut debeat omitti; Propter defectum autem Mandati Dominus Legatus Gallicus non potuerit nunc conſentire, ideò recepiſſe ſe, rem relaturum Regi Chriſtianiſſimo*; privato ſermone id timori ſuo atque defenſioni tribuere faſſus, quod Memmius Legationis quondam ſocius ſolito inter Collegas æmulatu adeò actionibus ſuis in Aula obtrectaret, ut inſtigante illo, ſolemnes in Conſilio Status orationes in ſe haberi certò nimium compererit. Imò capitis periculum incurſurum, ſi à pactis ſuo auſu recederet, præter ſe cum Longavillo etiam atque Memmio ſancitis. Miſſurum tamen Lutetiam, qui nova mandata ab aula requirat referatq;. Sic, ſopitâ rixa, Tabulæ Servientii Mehliiq; ſignis firmatæ & tanquam perfectæ, certæq; jam tranſactionis robur adeptæ, penes Moguntinum depoſitæ.

1648.

Inſtr. P. Gallic. obſignatũ. §. 15.

1648. CXX. His peractis Monaſterium itum, ubi cuncta faciliora ſperabantur, poſtquam Franciſcus Gvilielmus, Adamus Adami, atq; Leuxelringius, incertum quibus ex cauſis, (impatientia forſan atque indignitate rerum Oſnabrugi peractarû) abſceſſerant. Ibi Oſnabrugenſes, ad viſendum Naſſavium atq; Volmarum venientes, ſuſceptam patratamq; cum Servientio Oſnabrugæ (r) tractationem, Reip. obtentu, propero remedio indigentis, excuſavere, qua non Cæſarei minus honoris, Auſtriacæq; domus incolumitatis, quam ſalutis Imp. curam habuiſſe, ipſis Pacis Tabulis monſtrari affirmabant, modeſtiam in eo ſuam ſolertiamq; memorantes, qvòd Imperio Alſatiam, in Gallum, ut Germaniæ Civem, transferendam, atq; Proceribus Urbibusq; illius Provinciæ, uti & Metenſis, Tullenſis, ac Virodunenſis Epiſcopatuum priſtinam libertatem, Auſtriacisque Principibus fœderum cum Exteris Jura aſſeruerint. Confidere igitur, etiam Cæſareanos reparandæ Imperio propriisq; Imperatori provinciis quieti, & reſtingvendo, quod tantum non omnia abſumpſerit, incendio, adprobaturos Leges, cum Servientio Oſnabrugæ ſtatutas.

Oſnabrugenſiũ re confecta inter Monaſterium verſus. 11. 21. Sept. Et ad Cæſareos ibi degentes excuſatio.

CXXI. Reſpondere Cæſareani; Abſolvi jam potuiſſe pacem, ſi non Oſnabrugenſes de cauſis Gallicis alieno loco agentes interceſſerant; inſpecturos tamen conditiones, paci cum Gallo conſtituen-

Cæſareorum reſponſum.

(r) *Landorp, Tom, VI. Lib. III. c. 260.*

tuendæ pactas. Monaſterienſes quidem non Gallica tantum, ſed & ex Svecica conventione multis offendi, ſpretos ſe, neque ſuffragiorum ſuorum rationem habitam, conquerentes. Aſt quod ad hanc attineat, non incognitas ſibi Oſnabrugenſium cauſas, quibus pacem nullâ Monaſterienſium querimonia deterriti, peregerint, â Cæſare quoq; adprobatam, quanquam eam etiam iſtis perſvaderi, firmitatis publicæ quietis interſit. Nullam quoq; in ſe moram fore, quo minus cum Gallis itidem tranſigatur, & ſententiam in eam rem ſuam proximè prompturos. 1648.

CXXII. Neq; de Imperatoris in pacem ſtudio ambigebant Optimates, ſi non Hiſpaniæ caritas intercéderet; importunitate præſertim Brunii, oratoris Burgundici, anxii, niſi Pax Hiſpanica Germanicam præcederet, aut comitaretur ſaltem, tantum non bellum Germaniæ denunciantis. Et Servientius, ut Procerum metum & in Cæſarem odium accenderet, ſuum ſimul in Germanos amorem oſtentaturus, Cæſareanorum verſutiam ſe metuere ajebat, ne ſcil. promovendo Hiſpanorum negotio tempus tracturi, longiorem Germaniæ calamitatem efficerent. Cui averruncandæ Nuncium Pontificium Venetumq; adverterit, ſi id Cæſareani molirentur, periculum fore, ne Reges proſperis armorum ſuorum in Bohemia ſucceſſibus, & Auſtriacæ domus pertinacia, pacem cum Ordinibus jam patratam remorantis, irritati, alia

Servientii in Cæſareos ob ſtudium in Hiſpanos ſermones.

1648. alia quoque de terris iſtis conſilia ineant. Sperare igitur, Brunii conatus ut ſtrepitu ingentes, ſic affectu inanes futuros. Illud miſeratione dignum eſſe, Brandenburgium, (illique etiam Colonienſis & Neoburgius acceſſiſſe dicebantur,) apud Batavos tam acriter inſtare, ut totam Weſtphaliæ Regionem ad Viſurgim usq; in fidem atq; protectionem recipiant, &, ejectis alienis præſidiis, ſua reſtituant Dominis, cui tamen proxima jam exitui pax communi paciſcentium fide operâq; aſſerenda (die Guarantie) ſufficere, illoq; conſilio eum debuerat abſtinere, quod ſine vicinorum ſuſpicione belloq; vix exequi liceat. Ceterum Hiſpani de cedendâ Alſatia conſenſum nihil ſe morari, ſecuritate, quam manibus contineat, contentum; & Frankenthalam, ſi reddere recuſet, invito extorquendam.

Cæſaris in pacē inclinatio.

CXXIII. Qvin & Cæſar Germaniæ Pacem, priusquam Hiſpaniæ quoq; illa obtingeret, permiſſurus, Pontificiorum præcipuè ſermonibus narrabatur, modò de concilianda iſti etiam cum Gallis concordiâ ſpes ſuppeteret. Conjuratione inſuper Hiſpanicâ perterritus dicebatur, cui certatim nomina dederant, quos aut Auſtriacæ Dominationis odiū, aut acceptæ injuriæ dolor accendebat. Pleriſq; ſpes ex novis rebus petebatur. Præcipui conſpirationis auctores Dux Medinæ Sidoniæ, Dux Hijar, Franciſcus de Melo, Dux Civitatis regalis, Marchio Sayræ, Hieronymus Norennius, Comitis Lunareſii filius, Ferdinandus Contrera,

Fran-

Franciſcus Sylva, Muno Velez de Medrano, Dominicus Cabal, aliique præcipuæ dignationis Proceres nominabantur. Vigeſimam quintam Auguſti diem dixerant, qua deſtinata exequerentur, eo inſidiarum Ordine compoſito, ut Regem, venatione ſeſe oblectantem, à ceteris, quorum fides integra erat, abductum adgrediuntes, ut quisque audaciæ habuiſſet, occurrerent, trucidarentque, virgo regia, Philippi filia, penatibus abrepta, Bragantino Duci Joannis Luſitaniæ Regis filio, cum Luſitaniæ, Legionis atque Algarbiæ dote nuptum elocaretur, Duci Hyiar Aragoniæ, aliis alia regna provinciæque adſignarentur. Et quanquam ſucceſſu facinus caruerat, Caroli Padillæ ſolertiâ fideq; detectum atq; vitatum, ſatis tamen ampla ſollicitudinis materies videbatur, tam propè à periculo abfuiſſe. Accedebant à Salvio minæ, qui Monaſterium ingreſſus, ſi Cæſareani obſiſterent, quo minus ante hyemem proxime ingruentem miles Sveciam remearet, non Ordinum, puibus cum interna externaq; diſſidia compoſuiſſent, ſed ſolius Auſtriacæ Domûs oneri ceſſurum, edicebat, in quâ tota belli mole incubituri eſſent. 1648.

CXXIV. Ita magna cum cura Cæſareorum Reſponſum expectabatur, cùm Proceres Oſnabrugenſes, audiendo ei à Volmaro Cranioq; acciti, Monaſterienſes quoq; ſecū adducere jubebantur; renuentibus illis, non enim ad alios reſponſum id pertinere, quam qui ſententiâ ſuâ Cæſareis 14. 24. Sept. Oſnabrugenſes ad accipiendum Cæſareorum

 ex-

1648. expoſitâ iſtud exquiſiverint; neque etiam jurgiis, quæ Monaſterienſes meditari certum ſit, ſed paci atque concordiæ paratos veniſſe. Si tamen ab iſtis Cæſarei impetrare poſſent, ut Oſnabrugenſium viam inirent, jucundam ſibi eorum ſocietatem futuram, cum quibus in gratiā redire ardenti voto deſiderent. Inutilem alioquin, imo noxiam conjunctionem fore, neq; concordiæ ſtabiliendæ, ſed excitandis augendisq; diſſenſionibus, mutuæq; animorum acerbitati, idoneam. Rogare, ne Cæſareani novarum deliberationum auctores fierent, quas ipſi poſt confectam jam pacem nunquam, ſuſcepturi eſſent. Reſpondere Cæſarei, Nullam ſe Monaſterienſibꝰ cauſam contradicendi præbituros, ſed exhortaturos potius, Pacē Svecicam amplecti, Auguſtumq; ſequi, qui navatam hac in re ab Oſnabrugenſibus operam noviſſimo Reſcripto probarit. Præparandæ tamen concordiæ, & conciliandis animis profuturum, ſi aliqua ſaltē apud diſtractos diviſosq; benevolentiæ ſpecies redeat, in veræ forſan amicitiæ robur convalitura.

Reſponſum cum Monaſterienſibus adeſſe jubentur.

15. 25. ejusd. CXXV. Poſtera die in Epiſcopali, quā vocant, Aula, coacti Catholici, Evangelici, Monaſterienſes, Oſnabrugenſes, & qui *Neutraliſtarum* nomen inde acceperant, quod ante peractam pacis tractationem Oſnabruga quidem digreſſi, Senatu tamen Monaſterienſium abſtinuerant, Tridentinus nempe, Brixienſis, Neoburgius, Badenus, & Colonienſium Legatus, pacatis & ad humani-

manitatem firmatis invicem vultibus, mox Cæſareos, Volmarum ſcil. atque Cranium, Naſſavio adhuc morbo præpedito, adiere, qui laudatâ Procerum frequentiâ, & de Imperatoris in Pacem affectu ſolita præfati, ſua ad Gallicas Tabulas monita, pleraq; ad Sabaudiæ Mantuæque Duces ſpectantia ſcripta exhibentes, Landgravii Alſatiæ appellationem tamdiu non omitti poſſe aſſeverabant, donec de libris Turonenſibus, Oenipontanis Principibus provinciæ iſtius nomine perſolvendis conveniſſet, (quarum unam duobus thaleris & dimidio æſtimandam Cæſareani contendebant.) At, quod ad Hiſpanum Auſtriaca ope prohibendum attineat, optare ſe, Monaſterii deliberationem ſuper ea re inſtitutam fuiſſe. Plurium enim *circumſtantiarum* notitiam Oſnabrugenſibus defuiſſe, quam ibi adipiſci licuerat. Quatuor ſaltem, aut quinque dierum ſpatium darent Proceres, dum Cæſaris ea de re ſententiæ certiores ipſi redderentur.

1648. Notæ Cæſar. ad Inſtrum. Gallic. Et de pace Oſnabrugæ confectâ reſponſū dilatorium.

CXXVI. Repoſuere iſti, non ignaros eſſe Cæſareanos neceſſitatis, qua averruncandi ſupremi Reip. excidii Gallicam cauſam Oſnabrugæ tranſigere adacti fuerint; neq; crediciſſe ſeſe, in Imperatore moram futuram, quo minus comprobaret, quæ ad placitam jam olim Cæſareis formam & tuendæ Imperii ipſiusque Auſtriacæ Domûs ſaluti, indies magis periclitantis, cum Servientio pacti ſint. Iteratis, certe ad aliquot Septemviros

Ordinum è contra.

1648. ros Principesque ſermonibus literisque teſtatum Imperatorem, modo de permittendo denegandove Hiſpano auxilio publicarum legum ratio haberetur, nunquam exterorum commoda Reip. quieti prælaturum. At vero, controverſiâ iſta ad *Aureæ Bullæ*, Conſtitutionum Imperii, *Capitulationis Cæſareæ* tenorem, moremque majorum exactâ, totisque Tabulis ad Svecicarum earumque conditionum modum concinnatis, de quibus jam olim Monaſterii Cæſareis, Gallis, Svecis, Imperiique Ordinibus convenerit, mirari ſe, Ferdinandum, ubi, ſi vellet, quietem afflictæ ſuſpirantique patriæ dare queat, improbare aut differre ſaltem pacem, communi, propriæq; ipſius incolumitati proviſam, & Hiſpani amore, ambiguæ belli fortunæ ſpes, vota, dignitatem, ipſamque ſalutem exponere. Spem quondam feciſſe Cæſareos, modo univerſi Proceres tractationi adeſſent, octo dierum ſpatio pacem ſe confecturos. Et certe in unica celeritate remedium eſſe, adverſariis præſertim tot victoriis lætisque ſucceſſibus auctis. Curandum ideò Cæſareanis, ne cunctando rem perdant, &, abrupta tractationis ſerie, hybernis, ſola pacis feſtinatione declinandis, locum ac evertendæ Reipubl. occaſionem ſuppeditent. Ne igitur deſtinata Regibus ſibique ultra morarentur. Nullam penes Electores, Principes, Ordinesque Imperii belli materiem ſupereſſe, Regumque Legatos paci quovis horæ mo-

men

mento perpetrandæ promulgandæque paratos ſe 1648.
offerre; venienti modo felicitati obviam irent Cæſareani; neq; ſinum tantis bonis ſubducerent, quæ ſine Numinis, Imperii, atque poſteritatis odio invidiaque repudiari non poſſint. Tribuere tamen Imperatoris honori petitam aliquot dierum moram, neque inviſuros ſuam Cæſareanis fortunam, ſi intra ſpatium iſtud à Servientio obtinere poſſint, quæ monitis ſuis expoſtulent. Verùm novas de Gallicis negotiis conſultationes nunquam reſumturos. Certum quippe ſibi immotumq;, pacem propediem habere, neque deliberationibus tempus eo uſq; terere, donec invaleſcentes ſemper Gallorum Svecorumq; vires cuncta pari ruina involvant, & ponendorum armorum leges admittere recuſent, quibus jam quietem Germaniæ indulgere annuerint. In ditionem atque Patrimonium Procerum conceſſiſſe putares Cæſarem Gentemq; Auſtriacam, de quorum fortunis tanta cum licentia paciſcendi decernendique facultatem iſti ſibi uſurpabant.

CXXVII. Indoluere tàm inopino ſermoni Cæſareani, Procerum inconſtantiam atq; in Cæſarem irreverentiã conſiderantes, qui preces tantum, non neceſſitatem eorum, quæ Oſnabrugæ cũ Gallis pepigerant, Imperatori ſed admoturos Ordines non ita dudum teſtati, nihil jam huic facerent reliqui, quàm ut loco ejus ipſi, veluti pedanei judices, in ſententiam irent, quæ Gallis Proceribusque placuerat, Svecicis Gallicisque armis

Cæſareorum ſecreta inde indignatio.

1648. caſtigandi, niſi conſenſum, utcunque nolentes, adhiberent. Nihil ſcilicet perficiundæ paci ſuperfuiſſe, quam ut Procerum litibus communi, aut omnium aut plerorumque ſaltem adſenſu transactis, de Cæſaris fortuna, commodis, ipſaq; fermè ſalute, ſoli Ordines, inconſulto illo, quæ lubebant, ſtatuerent. At quam abſurdum iniqvumque, Gallos non cum Imperio, ſed cum Auſtriaca Domo bellum ſibi fuiſſe præferentes, pacem cum Proceribus conficere, quam deinde Imperatori invito atque repugnanti injungant? Diſſimulatâ tamen offenſa, actisque pro conceſſo ſpatio gratiis, Delectos dimiſere; erectis interim ſuſpenſisq; cunctorum animis, quid Cæſaris Reſponſum allaturum eſſet. Jamque conſilium quidam ex Electorum Collegio cepiſſe dicebantur, Oſnabrugam cum Servientio Salvioq; repetere, ſociatisque ſibi ex reliquorum Procerum ordinibus, qui pacem optarent, belli molem terris ſuis avertere; Bojoaro præcipue auctore, qui, exaratis ad Cæſarem literis, Oſnabrugenſium induſtriam laudans, tanquam eo jam rem perduxerint, ut, ſublatis bellorum cauſis, pax ipſa Numinis manu cœlo demiſſa videri poſſit, (Bavaro ſcil. maximè commoda) ipſum quoque eam amplexurum eo magis ſe ſperare ajebat, quod eâ prudentiâ, cautione atque curâ Tabulæ ejus conſcriptæ ſint, ut nulla iſtas reſpuendi juſta cauſa appareat. Qvòd ſi ille externas apud ſe gratias prævalere ſinens, ſuamq; ipſius ſalutem patriæq; quietem alienæ utili-

Et ad iſtos reſponſu.

Conſilia contra Cæſarem, pacem morantem.

16. Sept.

tilitati poſthabeat, certum ſibi penitusq; fixum eſ- 1648.
ſe, pacem cum Gallis Svecisq; iſtis legibus habere, quæ Oſnabrugæ ſancitæ ſint, adeoq; hoſtilibus in eos abſtinere, & quæ pactis iſtis jubeatur, prompta conſtantiq; fide exequi, ipſi Numini, & quatenus Jus atque fas colat, Orbi conſilii neceſſitatem excuſans, quo poſt Cæſaris Gentisq; Auſtriacæ dignitatem atq; incolumitatem, triginta annorum laboribus ac ſangvinis, opum, honorisq; proprii periculo damnoq; acerrime propugnatam, potiora jam Imperii ſuæq; ſalutis, quam peregrinæ ambitionis, rationem habiturus ſit. Eoq; inter Cæſareanos Bavaricosq; jurgium Monaſterii proceſſit, ut Bojoarum aut reliquos Oſnabrugenſes Tutores ſibi Curatoresve legiſſe ſeſe, negantibus illis, iſti reponerent; Neq; ſe Hiſpanum in Præſidem (zum Vorſteher) ſibi adſciviſſe, quem à Ferdinando ſibi obtrudi nunquam paſſuri eſſent, neque (s) in gratiam iſtius longius ſupplicium toleraturi. In eundem modum Saxo quoq; Electoralis diſſerebat, (Cæſari alioquin æquior) cautionem etiam à Cæſareanis expoſtulans, ſi quid ex pervicacia ipſorum, obſtinatis in Hiſpanum ſtudiis, atq; diuturniori inde bello, Reſp. quid detrimenti caperet. Et ne aliqua verſus Imperatorem verecundiæ ſpecies remaneret, etiam de illo Septemvirorum officio compeſcendo quidam loqui ſuſtinebant.

Jurgiũ inter Cæſareos & Bavaricos.

CXXIIX.

(s) *Formalia*: Daß ſie ſich Spanien zu gefallen nicht mehr ſchinden laſſen würden.

1648. CXXIIX. At Brunius Saxonicis, qui ad viſendum eum venerant, apertis verbis negabat, pacem Germaniæ conſtituram, niſi eadem inter Hiſpanos Galloſque procederet. Nec enim aut Alſatiæ in Gallos transferendæ conſenſurum Hiſpaniæ Regem, aut Frankenthalâ, Hammerſteinio, Homburgove gratis ceſſurum, atq; ita bellum à Rheno ad ceteras Germaniæ provincias novo impetu tranſiturum. Fœdera quoque cum Britannis atq; Palatinis, hisque, exuto Bavaro, priſtinos honores terrasq; reddituros, ferebat. Deprecabantur Saxonici novam iſtam malorũ tempeſtatem, quam nimium diuturnam hucusque pertulerint. Neque jure aliquo poſci, ut Germaniæ quies ex Hiſpanorum pace ſuſpendatur, qui nullâ Imperii curâ in concordiam cum Batavis redierint. Paucas Hiſpano lites cum Gallis componendas reſtare, quibus tranſigendis duas dies ſufficere, ipſe Brunius agnoverit. Præterea Hiſpanum propria vi niti, neque Germanorum ope indigere, ut Gallos hoſtes ſuſtineat, copiis præſertim jam auctiorem, quas in Cæſaris auxilium & geſto contra Batavos bello hactenus impenderit. Curæ tamen Germanis fore, ut, adepta ſibi pace, eandem felicitatem etiam Hiſpaniæ concilient; negante Brunio, eam regno fracto jam adverſisque bellorum caſibus imminuto potentiam ſuppetere, ut Gallo Burgundiam, Mediolani Ducatum, aliasque Hiſpanicæ ditionis terras, omnes fere ſecundis

Colloquium Brunii cum Saxonicis.

dis ſucceſſibus infeſtanti ſufficere queat. Fatum quoque adgnoſcebat, & miſerabatur, quod cun- cta Gallis addicturum prævideat, eò forſan, ut dicebat, evaliturum, ut ipſe quoque partibus eorum aliquando acceſſurus eſſet. 1648. Fatum Galliciſſans.

CXXIX. Hæc inter adventabat expectata tantis deſideriis dies, qua Cæſareani reſponſi, ab Imperatore obventuri, ſpem Proceribus fecerant. Iique voti jam ſui fiduciam ac robur adſumſiſſe videbantur, poſtquam obtinuiſſe ſe ab aulâ literas, & ut ex primordio ipſarum colligere poſſint, lætas, iſti Moguntinis, hi Proceribus nunciarent, diei tantum ſpatio ſibi opus dicentes, quod epiſtolæ numeris (Ziffern), qui tegendis literarum arcanis uſurpari ſolent, conſcriptæ, legendæ explicandæque inſumerent. Neque adeo ægre ferebant moram iſtam Optimates, reſponſi gaudio, quod jam animis præſumebant, eam ſatis penſaturos credentes. At turbavere præproperam lætitiam Cæſareani, qui *Clavi* ad recludenda numerorum ſecreta, quibus ad Trautmansdorffium Cæſar uti conſveverit, ſe deſtitui, & irritum duorum dierum in eam rem laborem, frivola & indecora tantis viris excuſatione cauſantes, viginti adhuc dies ſibi dari expetebant, donec tabellio, quem in Aulam ideo miſſuri eſſent, reverteretur. Et Proceribus inopino reſponſo, ſupra quâ dici poteſt, attonitis atq; oſtentata Reip. neceſſitate, ſive adſentientibus, ſive invitis Cæſare- Cæſareorum tergiverſatio. 20. 30. Sept. 22. Sept. 2. Oct.

1648. ſareanis pacem cum Regibus proxima die ſe perfecturos reponentibus, illi excuſationem ſuam, quo minus ei fidem ab iſtis haberi videbant, eo ſanctioribus juramentis firmantes, ſex tantum dierum ſpatium poſtulabant, intra quod, utcunq; non *Clavim*, Imperatoris tamen ad Bojoarum reſponſum, à Legatis ejus accepturi forent: tum ſententiam ſuam *vel pure vel ſub ſpe rati* prompturos. Indulſere Proceres, ea conditione, ut mox poſt elapſum illud ſpatium ultima manus paci abſolvendæ admoveretur.

Cæſarei cum Electoralibus conſultant. 24 Sept. 4. Oct.

CXXX. Magna interea anxietate Cæſareani agebant, Procerum ardorem, quo in pacem, diuturnis bellorum calamitatibus feſſi, ferebantur, ac ſolis ſibi, ſi illam reſpuerent, bellum manſurum cogitantes. Et vocatis in conſilium Electoralibus, poſt quinque horarum deliberationem, atq; volutatas inter ſe rationes, nihil ſalubrius viſum, quam ut, adprobatis Tabulis Oſnabrugenſibus, ſuam Cæſar incolumitatem firmaret. Neque Hiſpani, expenſis rei momentis, amplius adverſabantur, conſultius exiſtimantes, Auſtriacam Domum meliori fortunæ ſuisque uſibus pacis beneficio ſeponere, quam eâ longiori, &, qui tum rerum ſtatus erat, atrociori diſcrimini objectâ, totam Hiſpanicæ Auſtriacæque Gentis ſalutem in caſum dare.

Et Hiſpanis.

Pacem Gallicam

CXXXI. Ita Cæſareani, ingruenti neceſſitati obviam ituri, accitis in Naſſavii ædes Proceribus, Impe-

Imperatoris mentem deprehendiſſe ſeſe ſignificabant, accepto extra Ordinem ab aula noviter mandato, cujus indicio priorum literarum ſecreta penetraverint, qui totus in pacem proclivis cuncta adſenſu ſuo confirmet, quæ cum Serviento Oſnabrugæ Proceres pacti ſint. Nihil jam reſtare, quàm ut, utriusque pacis Tabulis à Legatis partium, ex quibus Oxenſtiernius Monaſterium accerſendus eſſet, ſubſcriptis ſignatisq;, literisq; pacem nunciaturis, ad Præfectos Militiæ expediundis, hoſtilia vetarentur; additis precibus pro Colonienſi, cujus integrum Epiſcopatum Paderbornenſem Catti indies inſolentiores, & ſtipendiorum repulsâ magis efferati, diripiebant. Reſponſum à Reigersbergio communi Procerum nomine (ex quibus Burgundus, Neoburgius, Ordinis Teutonici Legatus, & qui tum finem negotii inſpecturus nuper redierat, Oſnabrugæ Antiſtes contrahiſcere auſi, tacere jubebantur) Magnas à ſe Numini, Cæſari, ejusque Oratoribus grates deberi, quorum benignitate, curâ, operâque ſua Germaniæ quies reditura ſit; neque magis quid in votis ſe habere, quam ut, iſta adhuc die ſignatis tabulis, quàm proxime hoſtilibus utrinq; interdiceretur. Suam quoque pro Colonienſi induſtriam, promta, poſtquam cupita adepti erant, humanitate offerebant.

1648. accceptant. 26 Sept. 6. Oct.

CXXXII. Jam in portum delati ſibi Ordines videbantur, cum illum ſubita ac improviſa tempeſtas

Nova ſignandi Inſtr.

1648. peſtas perculſis eriperet, difficultatibus inde exortis, quod Servientius, Cæſaris Procerumque pactione non contentus, Alſatiæ ceſſionem, etiam Hiſpani Regis conſenſu, quem ſpernere ante prætulerat, roborari expetebat, Salvius verò verborum, quibus Auſtriaci Exules bonis ſuis carere jubebantur, aſperitatem mitigari, quid quisq; ex Ordinibꝰ militi Svecico daturus eſſet, conſignari; Ne aut aſſerta Bremenſi Urbi *Superioritas* Sveciæ, aut omiſſa Erfurdiæ mentio Juribus ejus aliquando obeſſet, publica fide, præſcriptisque verbis caveri, Cattæ copiis aliquam ſtipendiorum partem exſolvi; & quoniam id Caroli Guſtavi Palatini (Sveciæ poſteà Regis,) ad quem Juliacenſis hereditas pertineat, multum interſit, datam Erneſto Saxoniæ Principi Juliæ, Cliviæ, Montiumq; (*t*) Ducis appellationem omitti, (ad hoc à Brandeburgio Electore maxime inſtigatus,) aliaque poſtulabat. Qvæ mox in publicum elata, variis & plerorumq; acerbis rumoribus differebantur; aliis felicia Svecorum in Bohemia arma, & diripiendæ veteris Pragæ cupidinem, opulentia Novæ accenſam, ac Auſtriæ ſuperioris Exules oblatis noviter Bonis ſangvineque reſtitutionem orantes; aliis Brandenburgium Hiſpani gratiam & tuendæ Juliacæ ditioni patronum ambientem inſimulantibus. Plurimi Cattorum pravitati id imputabant, qui nullo quietis aut Reip. ſtudio bel-

Gallici impedimenta. A Gallis. Svecis.

(t) *Art, XV.*

bellum ſe quàm iſtam pacem malle, non obſcura confeſſione frendebant. Rediit tamen, at non ante acrem verborum conflictum, Moguntini nempe, Bojoari, Saxonum atque Brunſvicenſium induſtriâ cum Salvio concordia, eas in conditiones, ut Cæſar pro mollienda verborum acerbitate publicis precibus adiretur; Svecorum timori ita conſuleretur, ut Bremenſi Civitati ultra priſtina Jura nihil hac pace tributum Ordines ſcripto teſtarentur; Erfurdiæ nulla fieret mentio, Saxoni Juliaci nominis honor maneret, additis in fine Tabularum, quibus Brandeburgio etiam ſua, ſi quæ forent, jura ſervabantur; de militis quoque Svecici onere cuique adſignando (*Repartition*) illico poſt ſignatam pacem ageretur, & Caſſellanæ bis millena thalerorum millia ex promiſſa à propinquis Principibus ſumma ante dicta ſolutioni tempora numerarentur. 1648. Remot. 29 9. Octob.

CXXXIII. At pœnituit mox, ne ludibria calamitoſæ Germaniæ deeſſent, Salvium ſuæ facilitatis, reſciſſis, quæ modo placuerant, Tabulis nomen ſuum inſcribere renuens, niſi Svecici militis patriàm mari repetere, incommoda, uti cauſabatur, navigantibus anni tempeſtate, prohibiti, commorandi interim opportunitati proſpiceretur, neque Juliaci Ducis appellatione Erneſto Saxoni tributa, ceteris eandem hereditatem pe- Renata.

1648. tentibus præjudicium fieret. Haſſiaci etiam militis ſtipendium urgebat. Maxima in Saxonum atque Brandenburgiorum contentione difficultas verſabatur, cùm iſti Juliaci Principis dignitatem cognomenque ſibi traherent, hi acerrime contra niterentur; variis etiam artibus Saxones Electorales aggreſſi, uti à ceteris Domus illius Principibus abſtraherent, quos adſcripto Erneſto, at omiſſo in Electore Saxoniæ Juliaci titulo, præcipuum quoddam ſibi jus meditari, callide interpretabantur: nullo tamen profectu, Septemviro commune Gentis decus ſtrenuè aſſerente. Conceſſerant tandem Leuberus, Thumshirnius atque Auguſtus Carpzovius, Cæſareanorum atq; Galli auctoritate permoti, ut omnino Erneſti, navatæq; ab illo componendis Haſſorum litibus operæ mentione omiſſa, ipſius transactionis ſumma Pacis tabulis adderetur; at obnitabetur Hehetus, ſubſcriptione potius ſe abſtenturum, quam ut id admitteret, teſtatus, Et vicit hujus conſtantia ceterorum lenitatem. Ceterum neq; Catto militi neq; Svecico ultra conceſſa quidquam largiendum Proceres pertendebant.

Contentio inter Saxonicos & Brandenburgicos ob Juliaci Ducis titulum.

Sopita.

5 15. Octob. CXXXIV. Poſt, Oxenſtiernium, cum nova nupta Monaſterium non ita pridem advectum, precabantur, ut, poſtquam negotio cum Servientio perfecto (cum promiſſa ob Alſatiam evictione,

ne, & ſi Hiſpani intra duos menſes ceſſioni adſentiri cunctarentur, conceſſo Urbium Sylvaticarum & exſolvendæ Oenipontantis Principibus pecuniæ retinendæ Jure pacaverant, nunquam magis, quam ubi de Cæſaris atq; Auſtriacorum re agebatur, liberaliores) ſoli Sveci Germaniæ gaudia morarentur, ipſi quoque pacem ei quàm proximè redderent, &, ſepoſita longiori cunctatione, Tabulas illius Monaſterii ſignarent, quod ſi occaſio tulerat, Servientius Oſnabrugæ, loco itidem à tractatione ſua alieno, facturus fuiſſet. At abnuebat Oxenſtiernius, ſuâ naturâ auſterus, & opinionis, quam ſemel hauſiſſet pervicax, irritis etiam Collegæ mitioris ingenii viri, argumentis, Procerum vota commendantis. Mollivere tamen hominis duritiem datæ à Servientio epulæ, quibus admiſſurum ſe ſignifibabat, ut ambobus locis eodem tempore ſubſcriptio promulgatioque confieret, modo inter alia partitio ſolvendæ Militibus ab Imperio pecuniæ ipſi traderetur, & cohortibus, quas ſecuritati ſuæ neceſſarias retenturi eſſent, atque maris navigatione ipſa temporis tempeſtas arceat, trium ſaltem menſium alimenta decernerentur. Illud tamen indulſit, ut Pacis ſubſcriptio Procerum in ea poſtulata ſententiam præverteret; ſimul teſtificans, curaturum ſe, quo copiæ illæ, mox poſt confirmatam à ſummis partibus pacem aut dimiſſæ aut in Sveciam deportatæ, minus Germaniæ oneri eſſent.

1648.

Oxenſtiernius pacis Inſtr. Monaſterii ſubſcribere recuſat. Tandē certis conditionib9 annuit.

1648. CXXXV. Tandem inita à Proceribus conſcriptaque ratione, quid quisque Svecico militi tribueret, XII. Octobr. Julianorum Faſtorum dies à Cæſareanis Regiisq; commutandis inter ſe Tabulis dicta erat, eo negotii peragendi ordine compoſito, ut eâdem die horâ Servientius Naſſavii atq; Volmari, Oxenſtiernius cum Salvio Lambergii; Craniique ædes inirent, ibiq; uni ex Tabulis ſuis exemplo quisq; nomina adſcriberent; Cæſareanis poſt meridiem eandem vicem cuiq; Regiorum reddituris. Id vitandæ offenſioni repertum, ne inter Gallos Svecosque, uno in loco cöeuntes, honoris certamen oriretur; ridentibus plerisque ſtolidam horum ambitionem, qui Regni, totius Europæ conſenſu, poſtremi Oratores poſt Galliæ Legatos haberi dedignarentur, cui extra Hiſpanum, honoris prærogativâ, cuncti Reges Principesq; concedant.

Dies ſubſcriptioni præſtituta.

CXXXVI. At novæ turbæ communi gaudio interceſſere, Oxenſtiernio, ſolita homini, ſui non ſemper compoti, varietate, Oſnabrugam Svecicis negotiis nominatam rurſum obtendente. Neque pacem ſe firmaturum aſſeverabat, niſi de hybernis Svecicarum cohortium conveniſſet; eadem Cæſareis minantibus, ſi Gallis Sylvaticæ Urbes retinerentur, donec Alſatiæ in illos transferendæ ſuum Hiſpanus adſenſum commodaret.

Ob injectas ab Oxenſtiernio & Cæſareis moras dilata.

Dede-

Dedere tamen Sveci Servientii Groulartique au- 1648.
ctoritati, atq; Cæſareani Procerum argumentis, propriam ipſorum culpam objectantium, qui ſatisfactionem Gallis, inſciis Proceribus, Hiſpanique in eam conſenſum ultro ſpoponderint, ut pacis tractationi finem imponi paterentur.

CXXXVII. Quartâ & decimâ Octobris die horâ nonâ matutina Proceres in Epiſcopali Aula convenere, poſt quatuor horarum patientiam domum redire juſſi, quod quaſdam cerimonias non rite ſervatas eſſe, diceretur. Secunda poſt mediam diem hora Galli, ad Naſſavium ac Volmarum ſeptem curribus, Sveci Lampergii atq; Cranii ædes quinque carpentis iniere, miſſis mox Secretariis, qui Tabulas, Procerum cuſtodiæ traditas, repeterent. Quæ utræq; conventum ad modum ſignatæ, repetito tertiùm tormentorum applauſu, Aulæ Epiſcopali Procerum quoque Delectis ſignandæ, per eosdem Secretarios illatæ ſunt.

Pax tandem Subſcripta. 14. 24. Octob.

CXXXIIX. Secuta luce, (die Dominica) quam colendo Numini pia antiquitas ſepoſuit, accomodata diei religione publicæ gratiæ à Cæſareanis in Baſilica Urbis, à Servientio apud Minoritas, ab Evangelicis in Oxenſtiernii ædibus, atq; à Reformatis apud Witgenſteinium actæ, ſupplicationesq; habitæ, diverſo quidem non minus animorum habitu quàm ritu, uno tamen ore *Deum lau-*

1648. *dantibus*, ſolis Hiſpanis atque Oſnabrugenſi luctu domi detentis. Mox peracto divino cultu, pacis nuncium Senatus Monaſterienſis Secretarius per vicos Urbis, diſpoſito ex utroque latere milite, præcinentibus tubis tympanisque, & comitante Sclopetorum fragore, circumtulit, Eademque eundem in modum Oſnabrugæ peracta.

Publicata. 15, 25. ejusd.

FINIS.

IN-

INDEX.

A.

Albertus Brandenburgius ex Magiſtro ordinis Teutonici, Dux Pruſſiæ 10. 11
Alſatiæ Civitatum Imperialium Proteſtatio contra ceſſionem ſui cum præfectura Hagenavienſi in Gallum; ordinum pro iis ſententia 481. ad voc. Satisf. Gall. lit. S.
Amneſtia Univerſalis Propoſitione Svecorum flagitata 93. Cæſareorum Reſponſum 114. Svecorum replica 150
Amneſtia Pragenſis 218. Ratisbonenſis 219. emendata 220. approbata à Catholicis ib. improbata ab Evangelicis 224. Cæſareorum duplica 301. oblatio ad Terminum anno 1624. 318 Evangelicorum endl. Gegen-Erklärung. 349 Der Catholiſchen Bedencken 350. Oblatio ad Terminum Anno 1624. à Saxonicis Electoralibus approbata 368. ad An. 1628. revocata 443 Difficultas ratione Antegravatorum 417. 418. add. 421. 422. ſeqq. 547. Punctus hic transactus. 578
Argentinenſis Electionis controverſia inter Canonicos Pontificios & Evangelicos. 17
Argentinenſis Urbis legato aditus ad Ordinum conſultationes negatus 108. permiſſus 110
Armiſtitium Colonienſe Svecico-Haſſicum 472. ſeqq. Bavari cum Gallis & Svecis 494. 511. ſq.
Aſſecurations-Punct 156. propoſitum in id à Re-

Regiis fœdus cum Proceribus Imp. & de eo deliberatio 273. Cæſareorum declaratio 299. Procerum poſtulatum erga Svecos de Puncto hoc atque executionis pacis cum puncto ſatisfactionis militiæ Svecicæ jungendo. 619

Auguſtanus Senatus à Gallis ad Pacis tractationem invitatus. 75

Auguſta Evangelicis, Catholicisne Ordinibus Urbibusve accenſenda? 290. ſeq. 422. Paritas ſenatus &c. ab Evangelicis petita 418. 436. 450. 548. renuentibus Cæſareis 549. Punctus hic transactus. 569. Senatus renitentia; Evangelicorum ideo literæ ad Cæſarem. 633. ad Senatum 636. hujus reſponſum ibid. Executio tranſactionis. 640

Semper Auguſti titulus Imperatori à Gallis negatus, ab Ordinibus aſſertus. 667

Auſtriacorum Exulum cauſa 222. 428. ſeqq. 439. 440. ſeqq. 423. ſeqq. 471. ſeq 564. Evangelicornm Procerum conſilium. 565. Svecis probatum; ſecus Cæſareis 566. Continuatio hujus negotii. 569. ſeqq. aliquantû dilati. 571. ſeqq. reſumti. 578. ſeqq. Exulum cauſa à Svecis auro vendita 580. Ordinum de ea deliberatio 582. ſeqq. & apud Cæſareos conatus irritus 583. tractatio hujus negotii reaſſumta, & de ipſa re conventum. Contentio de Formula. Res tota compoſita 648. add. tamen 718. ſeq.

Ob Avtonomiam ſubditorum, Evangelicorum

Gravamen contra Pontificios 182. iſtorum Reſponſum 209. 268. Evangelicorum media 268. Catholicorum 270. der Evangel. endl. Gegen-Erklärung 349. der Catholiſchen Bedencken darüber 356. Saxonicorum Electoralium ſententia 418.ſeqq. de hoc negotio add. 425. 440. 444. 447. ſeq. Novæ Cæſareorum Conditiones 563. Svecis & Evangelicis ingratæ 564. add. 566. 567. punctus hic transactus. 568

B.

Badenſis controverſiæ origo 574. tractatio 575. ſeqq. transactio proviſionalis. 577

Bavarico militi Circulus Bavaricus loco ſtipendii certo modo aſſignatus 590. Bavaricorum inde queſtus & poſtulata ibid. 620. 641. tandem adquieſcentium. 651

Bavarico-Palatina cauſa. vid. voc. PALATINI RESTITUTIO. lit. P.

Belli Germanici inteſtini cauſæ. 7. ſeqq. Principia, occaſiones, & præludia 10. ſeqq.

Bohemicum bellum 33

Bonorum Eccleſiaſticorum mediatorum ratione, Evangelicorum Gravamen 181. 207. Catholicorum reſponſum 207. Evangelicorum Media 267. Catholicorum 269. Pertinet huc vocab. GRAVAM.

De Bonis Eccleſiaſticis immediatis, vid. voc. RESERVATUM ECCLESIASTICUM lit. R.

Brandenburgicus Elector. vid. voc. SATISFACTIO SVECICA.
De Bremenſi Svecorum Seſſione in Senatu Imp. Principum controverſia. 406. ſqq. ſopita 408
Brunſvicenſium Ducum recompenſatio 404. add. 439
De Burgundico Circulo pacificatione excludendo Contentio 629. ſeq. 687. res inter Gallos atque Ordines transacta cum reſervatione Conſenſus Cæſarei 688. 689. Hiſpanica Petiti Gallici refutatio, 690. irrita, 701

C.

Cæſareorum adventus Oſnabrugæ atq; Monaſterii 79. Tractationem ſine Dano aggredi recuſant ibid, Svecorum ideo ad iſtos literæ, ib.
Calviniſtæ. vid, voc, REFORMATI.
Cameræ Spirenſis tardi Proceſſus ab Evangelicis incuſati, eorumque circa eam conſtituendam poſtulata 189. ſeqq. add. voc. JUDICIA IMPERII.
Capitulatio perpetua & à quibus formanda Evangelicorum eam in rem gravamen atque poſtulatum 277. Svecorum, 445
Carolus Lotharingus Epiſcopus à Canonicis Argentoratenſibus Catholicis creatus, 18
Caroli Lotharingiæ Ducis reſtitutionem Cæſareani â Gallis petunt 117. Salvus conductus unà cum ipſa reſtitutione â Gallis negatur 159. Statuum Imp. de hac re ſententia. 229. Succincta de Conſiliis atque actionibus hujus Principis

cipis narratio 231. ſeqq. declaratio ejus 235. Proteſtatio 242. Cæſareorum duplica 301. Ordinum pro eô ſententia. 483 add. de hoc negotio 628. ſeqq. 688
Caſſellanis Legatis ſuffragii facultas in deliberationibus Ordinum à Cæſareis, Monaſterienſibusq; negata. 108. Caſſellanorum pro ſe contra hos argumenta 124, add. voc. Magdeburg.
Caſſellana ſatisfactio flagitata 255. Procerum de ea ſententia 257. Darmſtattinorum contradictio, ratione ditionis Marpurgenſis. 257. Origo ejus Controverſiæ 259. Cæſareorum oblatio. 300. Poſtulata Caſſellana ſpeciatim. 333. etiam Evangelicis improbata. 334. Publica de iis conſultatio. ibid. Gallorum pro Caſſellanis conatus. 462. Cæſareorum oblatio, utrinque rejecta ibid. & ſeq. tractationis continuatio. 463. Catholici ob hanc cauſam transactionem de gravaminibus confirmare recuſant. 465. Colonienſis armiſtitio ideo renunciat. 472. ſeqq. Continuatio hujus negotii. 569. ſeqq transacti. 572. ſeqq. Caſſellanorum pro milite ſuo poſtulata 621. rejecta ab Ordinibus, præcipue Saxone. 622. add. 646. 654. 718
Churlandia ut hereditaria facta. 11
Comitiorum intermiſſio, inter Gravamina Evangelicorum. 276
Compoſitions-Tag zu Franckfurt. 3. ſeqq.
Conſpiratio Hiſpanica. 700. ſeq.

Da-

D.

DAnicum bellum cum Cæſare 38
Danica mediatio à Svecis rejecta, atque inde Pacis Tractationi à Cæſareis obſtacula 79.ſqq.
Deputatorum Imp. Ordinariorum (Reichs-Ordinar-Deputirten) paritas numeri ab Evangelicis flagitata 188. Catholicorũ reſponſum 214
Diſciplinæ militaris reſtitutio ab Evangelicis flagitata 277
Donaverdæ Urbis proſcriptio 21. ſeqq. reſtitutio 189. 214
De Durlacenis ad deliberationes publicas admittendis vid. voc. Magdeburg: de cauſa Durlacena, voc. Causa Badensis, lit. B.

E.

EDictum Ferdinandinum de reſtituendis Bonis Eccleſiaſticis 50. Electoris Saxonici contra illud queſtus 51. Ejus Executores 52. add. 187
Eduardi Bragantini liberatio à Svecis flagitata 94 Cæſareorum Reſponſum 117. add. 147. 156. Statuum ſententia 275
Contra Electores Evangelicorum Procerum gravamen 277. ſeqq. Legatorum Electoralium præcedentia præ quibuscunque Principum Legatis prætenſa. 280
Excellentiæ Titulus ab Electoralibus poſtulatus, & quo auctore. 131. ſeq. Ceterorum Procerum de eô ſententia. 133. ſeqq. Electoralium pro ſe argu-

argumenta. 135. ſeqq. Judicia de hoc Electoralium poſtulato, pro & contra 137. ſeqq. Svecorum 139. Auſtriacorum 140. controverſia add. 176. Evangelicorum Gravamen 278
Ob Exemtiones illicitas Evangelicorum gravamen 279
Exules Auſtriaci vid. voc. AUSTRIACORUM EXULUM CAUSA. lit. A.
Executions - Punct. vid. voc. ASSECURATIONS-PUNCT.

F.

FErdinandus M. Florentiæ Dux quo animo in Auſtriacos Galloſque. 62
Fœderum facultas Imp. Proceribus Svecica propoſitione aſſerta 94. â Cæſareis temperata. 116. Svecorum reſtrictio iſtius Temperamenti 153. Diſcrepans de ea Catholicorum atque Evangelicorum ſententia 226. Cæſareorum eam in rem duplica 324
Fœdus contra Domum Auſtriacam 37
Fœdus Lipſienſe. 38
Friderici Holſati Queſtus ob Bremenſem & Verdenſem ditionem in Svecos ceſſam 387
Fridlandii inſolentia 56. Procerum Imp. contra eum Querelæ, unde abrogatum ei imperiû. 57

G.

GAlliæ ſtatus tempore cœptæ tractationis Weſtphalicæ 64
Gallorum cauſæ belli Imperatori illati 59

Galli-

Gallicorum Legatorum literæ invitatoriæ Procerum Imp. ad Pacis tractatus 72. ſeqq. contra eas Cæſaris. 74. poſtulata pro reſtitutione Electoris Trevirenſis. 86. ſeqq. Propoſitio Pacis. 95. Replica. 157.
De Gallis Svecorum & Procerum Evangelicorum querelæ 101. ſeqq. add. voc. PROPOSITIO PACIS.
Gebhardi Truchſeſſii Electoris Colonienſis cauſa. vid. voc. MOTUS TRUCHSESSIANI. lit. T.
Germaniæ ſtatus tempore Tractatuum Weſtphalicorum. 65
Gotthardus Kettlerus I. Churlandiæ Dux. 11
Gravaminum Evangelicorum cauſa à Svecis commendata. 153. Gravamina eorum in Puncto religionis exhibita. 177. Politico-Eccleſiaſtica. 188. ſeqq. Reſponſum & Gravamina Catholicorum. 202. Evangelicorum media, (Vorſchläge.) 265. 267. Catholicorum Gegen-Vorſchläge. 269. Evangelicorum Gravamina politica. 276. ſeqq. Svecorum opera in componendis mutuis gravaminibus à Catholicis requiſita, eamque in rem Svecorum atque Evangelicorum ſententia. 281. ſeqq. Tractatio inter partes Oſnabrugæ inſtituta. 284. add. Vorſchläge und Gegen-Vorſchläge præſertim de oblata à Catholicis Bonorum Eccleſiaſticorum poſſeſſione ad certum Tempus voc. RESERVATUM ECCLES. Lit. R. Conſilium Trautmans-

mansdorffii in eam rem. 313. Gallorum. ibid. ab Evangelicis ſprecum. 314. Der Catholiſ. Hauptſächl. fernere Summariſ. Erklärung über die Religions-Gravamina. 316. der Evangel. Gegen-Erklärung. ibid. der Cathol. Erklärung darüber. 317. derer Käyſerl. Plenipotentiariorum 318. non omnibus Catholicis probata. 319. Evangelicorum de eâ deliberatio. 346. ſeq. Colloquium eorum tam Monaſterienſium, quàm Oſnabrugenſ. Lengericæ eam in rem inſtitutum. 347. 348. Evangeliſ. endl. Gegen-Erklärung. 349. ſeqq. Catholicorum Bedencken darüber. 356. ſeqq. Declarationem Cæſareorum agnoſcere recuſantium. 358. Evangelicorum inde indignatio. ib. & ad Coronas refugium. 360. Judicia de iſta Pontificiorum duritie. ibid. Saxonicorum Electoralium media. 368. ſeq. Evangelicis Oſnabrugenſibus ſummè improbata. 369. Secus Mcnaſterienſibus. 370. Nova lis de loco atq; ordine hujus Tractationis mutando, Svecisq; inde excludendis. 371. Cæſareorum eam in rem hortamenta erga Evangelicos Monaſterienſes. 374. ſeqq. Horum aſſenſus. 376. inde Svecorum atque Oſnabrugenſium indignatio. ibid. Saxonicorum congreſſus. ibid. ſeqq. Tractatio Monaſterii tandem ſuſcepta inter Deputatos utriusque partis, irrita. 378. ſeqq. Alia inter Cæſareos (nomine Catholicorum) Sve-

Svecos atque Evangelicos 380. ab Oxenſtiernio turbata 381. Nova Cæſareorum oblatio 382. Proteſtantibus non ſatis grata 383. Rurſum alia Tractatio inter Cæſareos, Svecos atq; Evangelicos 417. ſeqq. Judicia de horum duritie. 419. ſeq. Quorundam ex ipſis Evangelicis 422. ſeq. 434. Novæ Cæſareorum Conditiones 435. & ipſæ ab Evangelicis ſpretæ ib. & ſeq. objurgatis ideò à Cæſareis 436. ſeq. Alia rurſum oblatio 438. Tractationis continuatio 440. ſeqq. Plerorumque Punctorum compoſitio 449. Catholici conditionibus iſtis ſtare abnuunt, eorumque inde contra Cæſareos querelæ 450. Cæſareorum Apologia 451. ſeqq. Oxenſtiernii minæ de Pactis ſua ex parte itidem retractandis 469. ſeq. Tractatio reſtaurata 470. ejus potiſſimæ difficultates atque obſtacula. 471. Bavari promiſſa & oblationes ibid. & 476. in eum Evangelicorum ſuſpicio. Leuxelringii Legati Auguſtani pro bello conſilia. Catholicorum factiones 476. ſeqq. Tractatio cum Volmaro ab Evangelicis Oſnabrugenſibus expetita 477. Catholicis non ſatis grata 515. Cæſareorum Tergiverſatio 518. Tractatio Oſnabrugæ à Volmaro reaſſumta 518. Nuncii Apoſtolici proteſtatio 519. Evangelicorum inſtantiæ apud Cæſareos 523. Pactis Trautmansd. ſtari poſſe apertè negantes 525. præcipua Puncta ex iis à Catholicis impro-

probata.526. horum declaratio ad ſupremū Inſtr. P. Cæſar. Evangelicorū contra inſtantia apud Svecos. 529. Saxoniæ Electoris Reſcriptum ad legatum pro Catholicis 533. Evangelicorum declaratio in d. P. Inſtrumentum 546. Catholicorum ad eam Reſponſum. 551. Conventus Deputatorum ex utraq; religione. ibid. Quibusdam ex ipſis Evangelicis improbati. 552. Cæſareorum nova oblatio ibid. & in Catholicos ob inſtitutos iſtos conventus invectiva. 553. Saxoni quoq; improbatos, ib. Congreſſus Cæſareorum cum Svecis; cum Electoralibus & Brandenburgicis 554. Reliquis Evangelicorum Deputatis. 555. horum querelæ adverſus deputatos Catholicorum ob turbatos iſtos Conventus. 556. Horum reſponſum, Pactis Trautmansdorffianis ſtare conſtanter negantium 557. Alius tractandi modus ab Evangelicis in medium allatus; Cæſareis & Catholicis probatus. 558. & tandem, ægrè quidem, Oxenſtiernio ibid. & ſeqq. Tractationis impedimentum â Saxonicis Electorallbus. 560. â Gallis ibid. tandem ſuſceptæ. 565. Punctus Juſtitiæ transactus, 562. ſeqq. Avtonomiæ tractatus. 563. ſeqq. transactus. 568. ut & de urbibus mixtis. 569. Impedimenta tractationis â ſatisfactione Caſſellanâ. 569. Iterum â formula â Cauſa Exulum Auſtriacorum. 578. ſeqq.

H.

Hagenavienſis Præfectura. vid. voc. Alsatiæ Civitates. lit. A. & Satisf.. Gall. lit. S.
Hamburgenſes Tractatus præliminares Tractationis Weſtphalicæ. 6.
Hanſeaticæ Civitates ad Pacis Tractatus â Gallis invitatæ, & inflicta ab iis iſtarum Legatis contumelia. 76. ſeq.
Henrici IV. Galliæ Regis in deſtruenda Auſtriacorum potentia, conſilia. 60.
Hermannus Wedanus El. Colon. Archi-Epiſcopatu motus. 11.
Hiſpaniæ ſtatus tempore cœptæ Tractationis Weph. 63.
Hiſpaniæ res an Paci Germanicæ connectendæ. 227. Cæſareorum eam in rem duplica. 301.
Hiſpano auxilium â Cæſare ferri non debere, Galli propoſitione ſuâ, poſtulant. 95. Reſponſum Cæſareanorum. 117. Gallorum replica. 157. Statuum de ea re ſententia 272. Cæſareorum duplica 301. Gallorum novum poſtulatum de auxilio Hiſpano â Cæſare ne quidem ut Auſtriæ Archiduce ferendo, 459. ſeq. â Bavaricis approbatum 461. aliorū eam in rem temperamenta ibid, Obſtacula pacis â cauſa Hiſpanica. 530. Gallorum inſtantia. 627. Contra, Cæſareorum. 628. Oſnabrugenſium conatus negotiū Monaſterio Oſnabrugam trahendi, 627. ſeq. refra-

refragantibus Cæſareis. 628. 631. ſeq. Electoralium ſententia ratione hujus aſſiſtentiæ. 684. 685. Servientii declaratio. 685. inſtituta Oſnabrugæ Tractatio, & formulæ in rem eam compoſitæ. 688. ſeqq. Res inter Gallos atque ordines transacta, cum reſervatione Conſenſûs Cæſarei. 689. Horum reſponſum dilatorium 709. Contra Ordinum. ibid. Iſtorum hinc indignatio. 711. Conſilia contra Cæſarem pacem morantem quorundam Electorum. 712. add. voc. PROPOSITIO PACIS, verſus fin. Cæſarei pactionem acceptant. 716. 717.

I.

JOhann Georgius Marchio Brandenburgicus, Epiſcopus Argentinenſis à Canonicis Lutheranis electus. 18. Epiſcopatu cedit. 20.

Judiciorum Imp. conſtituendorum modus ab Evangelicis poſtulatus. 189. ſeq. Catholicorum reſponſum. 214. ſuper hoc Catholicorum Bedencken. 356. Saxonicorum hac de re ſententia. 368. repetita Cæſareorum oblatio. 438. 443. acceptata. ibid. add. 447. Punctus hic transactus. 562. ſeq.

Judicium Imp. aulicum, & Evangelicorum circa id queſtus ac deſideria. 189. ſeq. Cæſareorum oblatio. 443.

Juliacenſis ſucceſſionis cauſa. 23.

Juliaci ob Titulum inter Svecos, Saxonicos, atque Brandenburgios diſceptatio. 718. ſeqq. ſopita. 720.

 In

In Puncto Jurisdictionis Eccleſiaſticæ Gravamen Evangelicorum. 186. Catholicorum reſponſū. 212. 270. Pertinent huc Gravamina ſupra.

K.

KEttlerus primus Churlandiæ Dux. v. voc. GOTHARTUS.

L.

LAnd-Gerichte in Schwaben. 190.
Land-Vogtey zu Hagenau. 190.
Liga Catholicorum. 27.
Lindaviæ præſidium inducendi jus Auſtriaci flagitant; Lindavienſium contradictio. 410. Evangelicorum pro iis ſtudia. 411.
Lipſienſe fœdus. 58.
Literæ Svecorum invitatoriæ ad Proceres Imp. ad Tractationem Pacis. 72. Gallorum. 72. contra has, Cæſaris 74. Gallorū ad Senatum Auguſtanum. 75. Svecorum ad Cæſareanos, Tractationem ſine Dano aggredi recuſantes, 79. ad Deputatos Imp. ordinarios Francofurti coactos ob comparitionem in locis Tractatuum. 82. Oſnabrugenſiū ad Monaſterienſes pro admiſſione Magdeburgii, Caſſellani, &c. 119. Reſponſum ad eos. ib. Catholicorū ad Bavarum ob cauſam communē armis contra adverſarios defendendā. 565. Electoris Colonienſis ad Landgraviam Caſſellanam, ad Wrangelium & Königsmarkium ob ruptum armiſtitium. 472. Reſponſum Landgraviæ. 473. Königsmarkii. 474. Mutuæ inter Cæſarem & Bavarum ob armiſti-

miſtitium ab hoc cum Gallis Svecisq; initum 498. ſeq. 502. ſeq. Cæſaris ad Imp, Proceres in Puncto ſatisfactionis militiæ Svecicæ. 513. Bavari ad Cæſarem ob promovendum pacis negotium. 516. Saxonis ad Legatum in cauſa Gravaminum pro Catholicis 533. Batavorum ad Lutheranorum Imp. ordinum Legatos, pro Reformatis. 606. Horum Reſponſũ. 609. Evangelicorum ad Cæſarẽ in cauſa paritatis Auguſtanæ 634. ad Senatũ Auguſtanũ 636. Hujus Reſponſum. ib. Reginæ Sveciæ ad Imperii Ordines in Puncto Satisfactionis militiæ. 643.

De Loco tractandi controverſia inter Svecos, Oſnabrugenſes, Gallos ac Monaſterienſes. 90. 91. ſeq. compoſita. 107.

Lotharingica cauſa vid. voc. CAROLUS LOTHARING. lit. C.

Luſitani an ad Pacis Tractatus admittendi, inter Cæſareos Regiosq; diſceptatio. 146. 397.

M.

DE Magdeburgio, Haſſo Caſſellano &c. ad Conſultationes Ordinũ admittendo Cõtroverſia, â Cæſareanis atq; Monaſterienſibus mota. 107. 108, Oſnabrugenſiũ argumenta in contrariũ ib. & ſeq. Orta inde difficultas occaſione Reſponſi Cæſarei ad propoſ. Regiorũ Ordinib9 communicandi, 110. remota. 111, Continuatio iſtius Controverſiæ; Iteratæ Oſnabrugenſium eã ob rẽ ad Monaſterienſes literæ 119. Horũ Reſponſum ib. rurſum iſtorũ ad hos, & facta ad eosdẽ

Deputatio. 125. irrita, 127. Novæ Monaſterienſium Conditiones ratione Magdeburgii, ibid. repudiatæ. 128. Monaſterienſium ideo ad Oſnabrugenſes legatio. 129. & ipſa nullo ſucceſſu. 130. Lis hæc compoſita, 131. Matriculæ Imp. defectus emendatio & rectificatio ab Evangelicis poſtulata. 277.
Mantuana & Montisferratenſis cauſa. 62.
Mediat-Stiffter vid. voc. Bona Eccles. Mediata, lit. B.
Meckelburgiorum Ducum ejectio. 39.
Metenſis, Tullenſis, & Virodunenſis, Epiſcopatuum Vaſalli Imp. à Gallis in appendicem eorum vindicati. 483. Tractatio ob ſalvandam illorum immedietatē. 666. ſeq. 669. Salvii in eam rem conſiliū. ibid. probatum Ordinibus. 677. ſecus à Cæſareis. 678. Juxta id Declaratio Ordinū. 679. à Servientio rejecta. 681. Ejus declaratio. 682. Ordinum ideo ad Regem literæ. ibid.
Militiæ Svecicæ ſatisfactio. 156. negata â Cæſareis 300. Horum inſidioſa Quæſtio Evangelicis propoſita, eluſaq; 348. Immane Erskeinii poſtulatū, & Ordinum utriusq; religionis inde conſternatio, 512. Cæſaris ideo ad Evangelicos Literæ 513. irritæ 515. Ordinum deliberatio & ſententiæ. 585. ſeqq. 588. & aſſignatio Circulorum, reſervatis Circulo Auſtriaco, pro milite Cæſareo, & Bavarico pro milite Bavarico. 590. quo non contenti hi. ibid. Conſultatio Ordinum de

Qvan-

Qvanto ſatisfactionisSvecicæ. Concluſum,ad duos milliones floren. 617. Oxenſtiernii ad illud Declaratio. 618. Rurſum ad eam Ordinum, & præſertim de Puncto Executionis & Aſſecurationis Pacis cum Puncto ſatisfactionis hujus jungendo; Oxenſtiernii inſtantia. 619. Nova Ordinum oblatio ad 4. milliones, & ipſa ſpreta. 621. Monaſterienſium Contradictio 623. Oſnabrugenſes ſex milliones flor. offerunt; Tandem quinq; milliones Thaler. certis conditionibus. 624. Sveci rem, non modum acceptant. 625. ſeq. add. 630. Monaſterienſium decretum contra iſtam Oſnabrugenſium conceſſionem 626. & Cæſareorum Querelæ. 627. Tractatio ratione Terminorũ ſolutionis & aſſecurationis. 642. ſeq. Reginæ ad molliendam invidiam ad Imp. Ordines Literæ. 643. Conventio in eã rem. 646. ſeq. add. tamen 718. ſeqq.
Miſſæ myſterium apud Unioniſtas. 27. ſeq.
De modo Tradanctæ Pacis variæ ſententiæ 90. 103. compoſita. 107

N.

DE Naſſoviis, Saræpontanis ad deliberationes Procerum admittendis, vid. MAGDEBURG.

O.

ODoardi Farneſii, Ducis Parmenſis cum Pontifice Urbano IIX. de ditione Cæſarenſe controv. 62. 63.

P.

PAcis Propoſitio, Tractatio & Concluſio vid. voc. PROPOSITIO PACIS, infra.

Palatini Reſtitutio; Trautmansdorffiani inſtr. P. primi eã in rem conditiones. 302. add. 325. ſeq. Gallorũ declaratio. 325. Judicia de ejꝰ Proſcriptione. 336. ſeq. Brandenburgici Legati pro eo ſententia. 337. Acre Bavarorũ Reſponſum 338. Evangelicorũ cura in componenda hac cauſa. 339. Variæ rationes eam in rem allatæ, â Palatinis ſpretæ. 340. Svecorum conſiliũ de alternatione Electoratûs; rejectum â Bavaro. 341. Palatinorum Queſtus & poſtulata. ib. Bavarorũ Reſponſum. 342. Obſtacula ab Auſtriacis 343. ſeq. Legati Svecici apud Galliæ Regem pro Palatino inſtantia. 414. ſeq. irrita. 416. Neoburgici induſtria pro aſſerenda communis Domûs dignitate. ib. Svecorũ Conditiones 445. Rurſus Cæſareorum. 483. Svecorum pro Palatinis ſtudia 484. Deliberatio de ea re, & præcipuè de inſtitutione oct. Electoratûs, Principum, 486. Electoralium. Equeſtris Imp. Ordinis; contra, Svecorum. 486. ſeq. 491. Deputatio omnium Imp. Curiarum ad Svecos, & conſiliũ. 491. & ſeq. Svecis approbatum. 493. Palatinorũ repugnantia. ib. irrita, re ad Bavari vocũ deciſâ. 494.

Philippsburgum quo modo in poteſtatem Gallorum devenerit 87. Præſidii Jus in ſatisfactione petitum. 322. conceſſum. vid. voc. SATISFACTIO GALLICA.

Philippus Chriſtophorus Elector. vid. voc. TREVIR ELECTOR. Lit. T.

Propoſitio Pacis Svecica, 93. ſeq. Gallica. 95. Cæſareorũ de iis ſententia, ib. Propoſitio ad Imp. Ordines. 112. Reſponſum ad Svecicam. 114. ſeq. Gallicam 117. Svecorum contra ratione præliminarium, 140. 146. Eorum Replica 149. Gallorum. 157. Deliberatio & ſententia de iis Principum, Electoralium, Civitatum. 215. 257. Duplicia Cæſareorum ad Replicam Svecicam 297. ſeq. Gallicã 301. Inſtr. P. primum Trautmansdorffianũm. 302. Svecorum & ceterorum Evangelicorum de eo animorum motus. 303. ſeq. Inſtrumentum ſecundum Cæſareorũ. 443. Inſtr. Svecorum. 445. Evangelicorum 546. Inſtr. novum Cæſareorum 616. Svecorum ad id Notæ. 647. Inſtr. Cæſareo-Svecicum perfectum. 651. Cæſarei id â ſenatoribus regni Svecicæ ſubſcribi volunt. ib. coram Ordinibus recitatum. 652. Eorũ id monita. 653. Deputati ex ordinibus ad ſubſcriptionẽ. Subſcriptio ipſa cur dilata. 654. Oſnabrugenſium conatus, Negotiationẽ Gallicam Oſnabrugam trahendi. 655. adverſantibꝰ Cæſareis 657. Monaſterienſibus. 660. Declaratio Gallica ad Cæſareorũ Inſtr. P. 665. Procerũ de eâ ſententia. ib. Pertinent huc, quæ de cauſa Burgundico-Hiſpanica atq; Lotharingica ſuis quæq; locis habentur. Inſtr. P. Gallicũ obſignatũ depoſitumq; 703. hinc Oſnabrugenſiũ Mona-

ſterium profectio,& ad Cæſareos excuſatio, ob Pacem ſine ipſis confectam. ib. Horũ reſponſum. 704. & Notæ ad Inſtr. Gall. 709. Tergiverſatio 715. Pacem tandem acceptantium. 716. 717. Impedimenta ſignandorũ Inſtrum. Pacis à Gallis, Regis Hiſpani Conſenſum ſuper ceſſione Alſatiæ requirentibus; à Svecis, alia quædã flagitantibus. 717. ſeq. remota 719. 720. Novũ ab Oxenſtiernio, Monaſterii Svecico ſubſcribere recuſante. ib. tandem annuente. 721. rurſum reſpuente atque iterum conſentiente, Pax tandem ſuſcripta, 623. publicata. 724.

Præcedentiæ inter urbes & Nobilitatem Imp. immediatam controverſia. 351. ſeq.

Pruſſia quo modo Brandenburgiis hæreditaria facta. R. 11.

OB Reditus ſacros ex alieno territorio pendendos Evangelicorum Gravamen. 186. Catholicorum Reſponſum 212. iſtorũ rurſum 268. Catholicorum. 270. Pertinet huc P. GRAVAMINUM. Lit. G.

Reformandi Jus an Juri ſuperioritatis annexum ſit? Negativa. 599. ſeq. Affirmativa. 602. ſeqq. Media. 605.

Reformatorum invidia apud Catholicos. 31 ſeq.

Reformati Paci religionis propoſitione Svecica adſcripti. 93. 95. Cæſareis cum conditione annuentibus. 115. Svecorum replica. 155. Cæſareorum Duplica. 300. Horum Aſtutia eos Lutheranis Inſtrumento ſuo parificantium 443.

Argu-

Argumenta Reformatorum, Pacem religionis etiam ad ipſos pertinere 591. Contraria. 593. ſeq. Lutheranorum animus atq; ſententia de iis in Pacis iſtius communionem admittendis. 595. & oblatio cū conditione non reformandi. 597. Rejecta â Reformatis; ad Svecorum opem, minori tamen ſucceſſu, confugientibus ib. & ſeq. Tractationis continuatio. 606. Batavorū pro Reformatis ad Lutheranos Literæ. ib. ſeq. Horum Reſponſum. 607. Temperamentum â Svecis propoſitū, partibus non omnino ingratum, & inde projecta formularū Magdeburgii 610. Luneburgiorum, Saxonicorum, Reformatorum ib. ſeq. Horū nova poſtulata, rejecta â Lutheranis. ib. Formula Brandenburgiorum, improbata ab iisdem 611. 613. Horū, Reformatis quoq; tandem probatá. 613. Cauſa hæc transacta, Electoralis Saxonici proteſtatio contra eam. 614. irrita. 616.

De Rege Romanorum eligendo Articulus propoſitionis Svecicæ. 94 â Cæſareanis rejectus 116. â Gallis immutatus. 158. Principū Imp. de ea re deliberatio atq; ſententia. 242. ſeq. Cæſareorū Duplica. 302. Svecorum Inſtr. P. hoc in puncto. 485.

Replica Svecorum ad Reſponſum Cæſareorū ad horum propoſitionem. 149. Gallorum. 157. Judicia pro iis. 160. Contra 162.

Reſervatum Eccleſiaſticū in Cauſa Truchſeſſiana agitatū, 179. ſeq. in eam rem Gravamen Evan-

gel-

gelicorũ 177. 180. Contra Catholicorũ 202. Medium (Vorſchlag) Evangelicorũ circa illud 265. Catholicorum Gegen-Vorſchlag. 269. Svecis, certo modo probatum, ſecus Evangelicis Proceribus. 283. 284. Utriusq; partis argumenta, 285. ſeq. Svecorum mutata ſententia 288. quæ eam in rem mutuo agitata. ib. & ſeq. Temperamentum Evangelicorum 291. Cæſareorum & Gallorum Conſilia pro admittenda temporaria poſſeſſione. 292. Catholicorum ſententia de Evangelicorũ Temperamento. 294. & nova oblatio ad 60. an. 295. Magdeburgiorũ in impugnando Reſervato Zelo, à reliquis Evangelicis temperatus 346. ſeq. der Evangel. endl. Gegen-Erklärung. 349. ſeq. Der Cathol. Bedencken darauf 356, add. voc. GRAVAM. ECCLES.

Rotwilenſis Dicaſterii abolitio ab Evangelicis poſtulata. 190.

S.

SAlentinus Iſenburgius Electoratu Colonienſi ſeſe abdicat. 12.

Salvus conductus à Regiis poſtulatus pro urbibus aliisq; Imp. ſubditis mediatis 88. Cæſaris ideo Qverimoniæ ad Imp. Proceres. ib. Cæſareanorum ad id poſtulatũ declaratio. 114. Nova Svecorum inſtantia, 148. ſeq. Cæſareorum adſenſus. 144.

Satisfactio à Regiis poſtulata. 94. Cæſareorũ Reſponſum. 117. Svecorũ poſtulatum primum 155. Judicia Pro, 160. Contra 162, Cæſareorũ. 171. ſeq. Brandenburgiorũ & Mekelburgiorum 173. Delibe-

liberatio in Conſilio Principũ, & diverſæ horũ ſententiæ. 245. 247. Cæſareorũ Duplica. 301. Conſilium 320. 321. Oblatio, 323. ſeq. 326. Brandenburgii inde Queſtus. 328. Interceſſio pro Eo Evangelicorum 330. iterata. 331. Batavorũ. 332. Judicia quorundã ex ipſa Domo Brandenburgica pro Svecorum poſtulato. ibid. Satisfactio â Brandenburgicis pro Ceſſione Pomeraniæ poſtulata ab ipſis Evangelicis improbata. 384. Svecorum agendi hac in re ratio, Evangelicis moleſta ſuſpectaq;. ibid. Cæſareorum ad pleraq; Svecorum poſtulata adſenſus. 386. Svecorum hac in re Imprudentia atq; iſtorum Calliditas. ibid. Queſtus Brandenburgiorum ibid. Friderici Holſati ob Bremenſem atq; Verdenſem Epiſcopatum Svecis cedendum. 387. Proteſtatio Poloni ratione Pomeraniæ. 388. Brandenburgicorum Vehementia. 389. Ablegatorum Provinciæ Pomeranæ Conſilium, improbatum. 390. Legati â Cæſareis & Gallis ad Electorem miſſi, Horum oblatio, Iſtius reſponſum 391. ſeq. Evangelicorum interceſſio â Brandenburgicis deſiderata, Iſtorum in eam rem dubia. 399. certo modo tandem annuentium, 400. Ad eam Reſponſum Cæſareorum, ibid. Svecorum, 401. Nova horum propoſitio. 402. Brandenburgicorum ad eam Declaratio 403. mutua conventio. ibid. ſeq. Catholicorum declaratio. 527. Ex adverſo nova Svecorum poſtulata, 531. 532. add. 718.

Satis-

Satisfactio pro milite ſuo à Svecis flagitata. voc. MILITIAE SVECICAE SATISF. Lit. M.
Satisfactio Gallica. 158. Judicia, Pro 160. Contra. 162. Cæſareorum. 171. ſeqq. Delibera in Collegio Principum de ea 250. ſeqq. Cæſareorum oblatio in duplica 301, 302. Conſilium. 320. Bavari 321. à Cæſareis acceptu primò quidem aliud ſimulantibus. 322. Nova eorum oblatio 323. ſpreta à Gallis 32 ab ipſis Auſtriacis adjectis conditionibus reſtricta. ibid. Gallorum ad eas declaratio 32 ſeq. oblatæ novæ conditiones. 408. Difficultates à Wirtenbergicis & Lindavienſibus. 40 ſeq. Tranſactionis capita. 412. Lis ob Landgravii Alſatiæ titulum ab Auſtriacis retinendum 481. Civitatum Imp. præfecturæ Hagenavienſis Proteſtatio contra ceſſionem iſtius Præfecturæ in Gallos. 481. Ordinum pro iis ſententia. ibid. & ſeq. Gallorum oblatio, Alſatiam ab Imperio Jure feudi tenendi 668. ſententia in eam Qvæſtionem Affirmativa. 669. ſeq. Negativa. 672. Groularti, Galli, conteſtatio ob Urbes Imp. Alſatiæ. 678. Declaratio ſtatuum. 679. rejecta à Servientio. 681. Ejus Declaratio. ibid. Ordinum ad Regem epiſtola reſervatoria. 682.
Sxoniæ Electoris inclinatio & Conſilia Regis adverſa, Pleriſq; Evangelicorum improbata. 100. add. 368. ſeqq.

Schœn-

Schœnbeckiani Tractatus. 117. 154. 217. 298.
Statuum Imperii admiſſio ad Pacis Tractatus â Cæſare negata. 72. 89. contranitentibus Svecis 81. Gallis. 72. & ſeq. Cauſa Cæſaris excludendorum Ordinum, tandem tamen admittentis. 89.
Sveci ſocietas atq; Fœdus cum Evangelicis Germaniæ Proceribus. 59. cauſæ belli Imperatori inferendi. ibid. & ſeq. De earum juſtitia. 150. 297. An contra Imperium. 215. 298.
Svecicorum Legatorum Adventus Oſnabrugæ 71. Literæ invitatoriæ ad Imperii Proceres, ad Pacis Tractatus. 72. ad Imperii Deputatos Ordinarios. 82.
Svecorum propoſitio Pacis vid. PROP. PACIS. In ejus defenſionem ſermones 95. â Proteſtantibus pronis auribus accepti. 99.

T.

TRactatus præliminaris Hamburgenſis. 6.
Trautmansdorffii ſupremi Cæſareanorum Legatorum adventus in locum Tractatuum, & Gallorum in eum criminationes. 143. ſeqq. Viennam abitus, & de eo judicia. 458. add. 469.
Treviri Electoris capitulatio cum Gallo & Sveco. 87. Captivitas â Cæſareanis 88. Gallorum pro reſtitutione ejus poſtulatum. 88. Cæſare abnuente. 89.
Truchſeſſiani motus. 10. ſeq.

V. Ven-

V.

VEnetorum inclinatio, bello inter Auſtriacc Galloſq;. 62
Unio proteſtantium. 27. ſeqq.
Votorum Majorum obligatio inter Gravamin Evangelicorum 188. ſeqq. Catholicorum Reſponſum. 213.
Urbanus IIX. Pontifex R. nimio in Nepotes ſtudio, rei Catholicæ in Germaniæ incurioſior. 62.

W.

WAllenſteinius, vid Fridlandius.
Wirtenbergii Ducis Reditus ex Bonis Eccleſiaſticis. 51. Auſtriacorum poſtulatum, de retinenda Blaubeyra, Hohenſtauffa atque Achalmia ditione. 302. add. 322. Wirtembergiorum inde queſtus. 409. Evangelicorum pro iis ſtudia. 411.

FINIS.